N. 8. 6 017853

# NOVA LITERARIA
## MARIS BALTHICI
## &
## SEPTENTRIONIS,
edita
## M DCCI.

LVBECAE,
*Apud Iohannem Wiedemeyer, Bibliopolam.*
Typis Chriſtoph. Gothofr. Jægeri.

BIBLIOTEKA ELBLĄSKA
9948
BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA w Toruniu
017853

# NOVA LITERARIA
## MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS,
*Edita Menſe Januario M DCCI.*

### WISMARIAE

Nova qvædam editio *Carminum* ſive *Canticorum ſacrorum* in uſum Eccleſiæ Wiſmarienſis collectorum unà cum *D. Henningi Iohannis Gerdeſii*, Superintendentis, præfatione, prodiit, accuratisſimâ, qvoad fieri potuit, emendatione, maximè neceſſariâ qvorundam immutatione, & facillimo ordine cuivis ſe commendans, cujus titulus ita habet: Pſalmen und Lobgeſänge und geiſtliche liebliche Lieder / ſammt andächtigen Gebet-Buch / beſonderer Prüfung und Buß-Andacht für Communicanten, zum Dienſt der Wißmariſchen Kirch:n und Hauß-Andacht / mit Fleiß überſehen / zuſammen getragen / und mit nöthiger Vorrede heraus gegeben. Wißmar / bey Matthias Martini / 1700. (2. Alphab. 6. plag. in 12. obl.)

Typis qvoqve excuſa eſt Oratio *Johannis Neumanni*, Paſto-ſtoris Börzovienſis, qvam in panegyri exeqviali *Chriſtophori* Schünemanns / Adminiſtratoris qvondam prædiorum groſſen Walmſtorff / kleinen Voigtshagen &c. habuit, ſeqventi modo inſcripta: *Terminus vitæ humanæ*, oder / das Ziel des Menſchlichen Lebens / &c. in einer Abdanckungs-Rede fürgeſtellet. Wißmar / bey Matthias Martini. (6. plag. in 4.)

### ROSTOCHII

Prodiit *Alberti Joach. de Krakevitz*, SS. Theol. D. & Profeſſoris Ducalis, Schrifftmäßige Unterſuchung der Lehre vom Termino der Göttl. wiederruffenden Gnaden: dem deutlichen Vortrag der Prophetiſch-Apoſtoliſch- und Evangeliſch-Lutheriſchen Lehre / von dem Termin der von Gott beſtimmten Gnaden-Zeit Herrn *D. Adam* Rechenbergs;

chenbergs: Zu Erforſchung der Warheit in Chriſtlicher Lieb und Beſcheidenheit &c. entgegen geſetzt. Roſtock / bey Joh. Weppling / 1700. (13. plag. in 4.)

Superiori anno 1700. die 11. Decemb. ſub moderamine *Joh. Petri* Grünenberg / SS. Th. D. & Prof. P. Conſiſtorii Ducalis Aſſesſoris, Diſtrictus Mecklenb. Superintendentis, & h. t. Facultatis ſuæ Decani, Præſide verò *M. Georgio Friderico* Niehenck / Roſtochienſi, S. Theol. Baccalaureo, Auctor & Reſpondens *Adolph. Fridericus Dermannus*, Strelitzia-Mecklenb. Diſputationem Theologicam, de *Sabbatho hebdomadali ab Adamo in Paradiſo celebrato*, publicè defendit. (3. plag. in 4.)

Die 25. Decemb. Rector Univerſitatis *Joh. Nicolaus Qviſtorpius*, S. Theol. D. & P. P. Paſtor item ad Div. Nicolai, & Rev. Miniſterii Director, *Programma Natalitium* publicavit, cumqve illud ultimum ſit Sæculi à Chriſto nato decimi ſeptimi Programma, in illo omnes Profeſſores longo ordine ex Matricula Acad. recenſuit, qvi iſto Sæculo Rectoris Academiæ hujus munere ſunt functi, unà cum variis memorabilibus in eâdem Matriculâ à Rectoribus ſimul annotatis. (3½. plag. in 4.)

*M. Zacharias Grapius*, SS. Theol. Doctorandus, Phyſ. ac Metaph. Prof. Publ. & Archi-Diac. Jacobæus, Concionem qvandam ſub titulo: Einfältiger / und denen heutigen Neulingen entgegen geſetzter Unterricht von der verſäumten Gottes Gnade / ſuperiori die Jejunii ordinario d. 17. Septemb. ex Rom. II, 1-11. habitam, evulgavit. (5½. plag. in 4.)

GEDANI

*Samuel Schelgvigius* D. in ordinariis Diſputationibus continuavit Pugillos *Qvæſtionum Theologicarum*, ventilavitqve.

Pugillum XXI. Reſp. *Chriſtiano Zachert*, Senicenſi Boruſſo 8. Octobr. An major uberiorqve illuminatio, qvàm Eccleſiæ antea unqvam contigit, poſt-hac exſpectanda ſit. *Neg.* An virtute divinâ, ſed tamen creatâ & finitâ, qvæ ex Deo ac Chriſto, ejusqve humanâ naturâ emanet, & hominem intimè penetret, regene-

remur?

ſemur? *Neg.* An per regenerationem, conſeqvamur novam eamqve divinam naturam? *Neg.* An Renatus per novam, qvam conſecutus eſt naturam, in ipſo cordis fundo animæqve ſummis & intimis viribus, penitus (gantz oder gäntzlich) mutetur, ita ut in præſenti vitâ, non tantùm idoneus fiat, ad peccatum actuale perpetuò vitandum, omnesqve fructus Spiritus indeſinenter exercendos; ſed etiam actu ipſo continuo & nunqvam interrupto, pravis cupiditatibus reſiſtat, aut ad minimum reſiſtere conetur? *Neg.*

Pugillum XXII. Reſp. *Joanne VVahl*, Gedanenſi 13. Octobr. An natura divina, per generationem acqviſita, etiam corpus, hujusqve facultates penetret & mutet; ita ut corpus in præſenti vitâ, per illam non ſolùm à materialibus peccati ſordibus purgetur, ſed etiam ſpiritualem indolem, (eine geiſtliche Art) qvalem Electorum corpora in reſurrectione habitura ſunt, conſeqvatur? *Neg.* An in Regeneratione novum corpus, ex Chriſti corpore, induatur, ut caro & oſſa de carne & oſſibus Chriſti ſiamus? *Neg.* An dupli- ci modo filii Dei fiamus, per adoptionem & generationem adoptioni contradiſtinctam? *Neg.* An inter Regenitos ſpiritualis ſympathia reperiatur, ut licet ſibi invicem antehac ignoti fuerint, ſingulari tamen affectu, ſimulac convenerint, ſe mutuò proſeqvantur, ut alter alterum agnoſcat, diligat, deſideret, de eo gaudeat, ei condoleat &c.? *Neg.* An ex parte hominis nihil planè diſcriminis, inter Regenitum lapſum & eum, qvi nunqvam regenitus fuit, occurrat? *Neg.*

Pugillum XXIII. Reſp. *Davide Georgio Eberto*, Belgard. Pom. 29. Octobr. An iis, qvi gratiâ Regenerationis exciderunt, literalis notitia rerum ex Scripturâ antehac, cùm adhuc renati eſſent, hauſtarum, ut & aſſenſus ſuperſtes, non ampliùs divini luminis ſint, utpote prorſus exſtincti; ſed tantùm humanarum cogitationum? *Neg.* An propterea Deo placeamus, cum eo uniamur, & ad regnum cœleſte capeſſendum idonei reddamur, qvòd Deus ſuam imaginem, in Regeneratione reſtitutam, in nobis videt? *Neg.* An crucifixio carnis, tanqvam medium conſervandæ, vel promovendæ Regenerationis, aut etiam ſignum hujusdem, conſiſtat in caſtigationibus corporis ultrò ſusceptis, v. gr. in vigiliis,

cum per labores officii, qvantum ſatis eſt, dormire liceat; in humicubatione, cum lecti ſtrati præſto ſint &c.? *Neg.* An charitas ſit ipſa Fides, qvâ juſtificamur? *Neg.* An præſente Notitiâ promisſionum Evangelicarum, Aſſenſu iisdem præſtito & Fiduciâ in Chriſtum promiſſum, infallibiliter concludamus, adeſſe Fidem juſtificantem? *Aſſ.* An eſſentia Fidei juſtificantis materialiter ſpectata, conſiſtat in Notitiâ, Aſſenſu & Fiduciâ; formaliter autem in Chriſto per Notitiam, Aſſenſum & Fiduciam apprehenſo: adeò ut Chriſtus, eo qvo diximus modô apprehenſus, rectè pro eſſentiâ fidei formaliter ſpectatâ venditetur? *Aſſ.*

Pugillum XXIV. Reſp. *Johanne Georgio Koch*, Soldino-Neo-Marchico. 3. Novembris. An dilectio aut reſignatio ſui ipſius, aut imitatio Chriſti, &c. ſit Forma vel Vita Fidei? Itemqve an Fides vera & Fides operoſa, vel operans, qvâ rem, unum idemqve notent? *Neg.* An vita Fidei duplex ſit, una qvam Fides ſibi ipſi â Chriſto, ante hujusdem apprehenſionem, per verbum vivificum habet; altera, qvam cum Chriſto, in hujusdem apprehenſione non ſibi, ſed homini credenti accipit, conſiſtentem in juſtitiâ & Salute? *Neg.* An Fidem præcedat viva peccatorum notitia? qvin imò an neceſſe ſit, ut cor priùs â peccatorum ſordibus purgetur, qvàm Fidei capax fieri qveat? *Neg.* An Fides, qvæ in ſolâ imputatione meriti Chriſti conſiſtit, ubi non ſimul experimur virtutem Chriſti adverſus peccata, ſit Fides imaginaria? *Neg.* An veram Fidem ex experientiâ oriri oporteat, ut qvicqvid ſine experientiâ pro Fide habetur, non niſi Fidei mortuæ exſangvia qvaſi oſſa exhibeat? *Neg.*

Pugillum XXV. Reſp. *Leonhardo Gebauero*, Steinâ Sileſio, 24. Novembr. An propter abſentiam Operum, Fides in homine primum juſtificando, cenſenda ſit mortua? *Neg.* An agnitio & ſenſus peccatorum, ipſaqve contritio & conſternatio ſuper peccata, eſſentiam Juſtificationis, vel ipſius Fidei juſtificantis, formaliter conſiderandæ, & definiendæ, ingrediantur? *Neg.* An rectè inter juſtificationis actum & ſtatum diſtingvatur? *Aſſ.* An juſtificemur Fide actualiter efficaci, i.e. eò, qvò juſtificare debet,

jam

jam dilectionem, & ( qvæ dilectionis appellatione comprehenduntur, ) opera, ſeu externa, ſeu interna, neceſſariò ſecum habente? *Neg.*

Pugillum XXVI. Reſp. *Joh. Georgio* Rotenberg / Ged. 1. Decembr. An juſtificemur Fide potentialiter efficace, i. e. tali, qvæ, cùm homo juſtificari debet, virtutem ſeu potentiam diligendi, ( & qvæ dilectionis appellatione comprehenduntur ) opera, ſeu externa edendi, jam neceſſariò ſecum habeat? *Neg.* An formæ ſanorum verborum conſentanea proferat, qvi ſtatuit, nos qvidem non juſtificari Fide, *qvatenus* per charitatem efficax eſt; ſed tamen Fide, *qvæ* per charitatem efficax eſt? *Neg.* An Fidem priùs eſſe vivam oporteat, qvàm juſtificare qveat? *Neg.* An juſtificemur, per imputationem meriti Chriſti & operationem juſtæ conſervationis? *Neg.* An juſtificemur per Fidem, tanqvam vitam ſpiritualem, qvâ Chriſtum intra nos operantem perſentiscimus? *Neg.* An juſtificemur intrinſecus, per novam, qvam accipiamus, naturam divinam, cujus imperfectionem imputata Chriſti juſtitia tegat & ſuppleat? *Neg.* An non ſolùm per fidem, ſed etiam per charitatem, tanqvam cauſam à parte hominis mediam, Deo uniamur? *Neg.*

Pugillum XXVII. Reſp. *Zacharia Grünvvald*, Reval-Livon. 8. Decembr. An per unionem ſpiritualem Deificemur, vel Chriſtificemur? ſeu ut alii efferunt, an per illam tingamur ad divinam naturam: transformemur in Deum? imò ad totam plenitudinem Deitatis, in Λόγῳ habitantem, perveniamus? *Neg.* An Unio ſpiritualis ſit fundamentum & principium omnium gratiæ actuum, ipſiusqve etiam juſtificationis? *Neg.* An cùm Chriſtus, etiam qvà humanam naturam, nobis unitur, caro ejus glorificata, in Unione myſticâ, fiat indumentum Sanctorum? *Neg.* An una eademqve virtus Fidei ſe in Juſtificatione & Sanctificatione exerat? *Neg.* An Fides non ſolùm naturâ, ſed etiam tempore prior ſit charitate; ita tamen ut hæc illam peractâ Juſtificatione, proximè, immediatè & perpetuò ſeqvatur? *Aff.*

Pugillum XXIIX. Reſp. *Simone Jacobo Liebe*, Mariæb-Pruſſo. 14. Decembr. An Opera Renatorum legaliter ſpectata, bonitatem ab-

abſolutè ſic dictam habeant, ut non ſolùm ex gratiâ, in Chriſto & per fidem, verùm etiam in & per ſe, ac propter eſſentiam ſuam, pro verè bonis cenſeri debeant? *Neg.* An B. O. ad Chriſtianismum, non tantùm conſeqventer, ſed etiam formaliter & conſtitutivè, ut pars ejusdem, pertineant? *Neg.* An Fides non niſi prima ſcintilla, Charitas vero præcipua pars vitæ ſpiritualis, ſit? *Neg.* An Fides per bona opera retineatur, augeatur, vel confortetur? *Neg.*

Pugillum XXIX. Reſp. *Georg. Andreä Meſſerſchmied*, Gedanenſ. 15. Decembr. An conſcientia, ratione ipſius perſonæ, coram Deo, præſertim in agone mortis, per opera tranqvilletur? *Neg.* An formæ ſanorum verborum conſentaneum ſit, qvòd, qvi bona opera facit, Deum ex eô habeat propitium? *Neg.* An per ſanctam vitam veniamus ad beatam mortem? *Neg.* An obedientia & ſervatio Legis, ſeu, qvod idem eſt, an patratio bonorum operum ad viam ſalutis, ut hujusdem pars, pertineat? *Neg.* An, qvi non totam vitam, juxta omnes vires ſibi conceſſas, ita inſtituit, ut ſecundum regulam divini verbi, & conſcientiæ, omnia facere conetur, ad illum non ſpectet iſtud Rom. IIX, 1. Nulla condemnatio eſt iis, qvi in Chriſto Jeſu ſunt? *Neg.*

Sub *eodem Præſide*, ſolennem diſputationem 4. Novembris habuit, *Immanuel Kühn*, Colbergâ-Pomeranus, *Auctor* & *Reſpondens*, ſuper Problema Theologicum, *an Fides juſtificans ſit bonum opus?* (pl. 3½.) Summa Theſium hæc eſt:

1. Status controverſiæ formatur. 2. Problema in duo membra diſpeſcitur. Qværitur I. An Fides ſit opus? Conceditur. Fidem eſſe Opus paſſivè ſic dictum. 3. Itemqve Opus latè dictum. 4. Fidem eſſe Opus ſeu Actionem ſtrictisſimè ſic dictam, negatur, & negativa probatur. 5. Objectiones ſolvuntur. 6. Qværitur II. An Fides ſit bonum Opus? Significatio Fidei aliena removetur. 7. Probatur, qvòd Fides juſtificans non ſit bonum opus. 8. Argumenta contraria ordine ſolvuntur.

Die 9. Decembr. à *Chriſtophoro Behrio*, Eloqv. ac Poeſ. P. P. inſtitutus eſt *Controverſiarum ex Plinii Panegyrico, per commisſiones oratorias enodandarum Agon* IV, in Capita Panegyrici à XXXVI,

XXXVI. ad XLIX. Reſp. *Salomone Theophilo Pomian Peſarovio*, Gedanenſi. (pl. 5.)

## REGIOMONTI

*D. Gothofredi Wegneri*, S. Theol. Prof. Ordin. & Concion. Aul. Luther. Diſputatio de *Ordine ſalutis*, aliqvot aphoriſmos complexa, hab. Reſp. *Joh.* Lindenblatt / Bartenſt. Pr. Miniſterii Candid. (plag. 6½.)

Ejusdem prodiit qvoqve Memorabile alterum Anni M DCC. *Emendatio Calendarii*, qvæſtionibus aliqvot expedita, 1. An Emendatio Calendarii ſit tractationis Theologicæ? 2. An neceſſaria, an otioſa fuerit? 3. Qvibus jus competat emendandi? cur & qvomodo facta ſit? &c.

Lectoribus hîc ſignificandum duxit, ante nominatus *D. Wegnerus*, qvod Diſputationes Regiomonti editæ, non omnes completæ lucem mox viderint, ob cauſas in præfatione *Syntagmatis* adductas; interim eô inſcio & inconſulto ab aliis alibi inter has nonnullæ recuſæ ſunt, ut primùm prodierunt. Sed & *Francofurtenſes Diſputationes* à Bibliopolâ Francof. uno volumine, ſic ipſo volente, junctim omnes; ab alio verò octo tantùm; & iterum Tres ſeorſim, ipſo inſcio, diſtractæ & venditæ ſunt. Qvare h. l. B. Lectoribus indicat, ſe Diſputationes ſuas hactenus editas, in IV. Volumina compegiſſe, in qvibus etiam completæ ac integræ inveniuntur. Et qvidem

Vol. I. Francofurtenſe continet (α) Diſſertationes decem: (1) de *Navigationibus Salomonis*, ex Reg. 9. 26-28. c. 10. 11. ſqq. ed. 1671. 8vo. cum Calend. Rom. 1689. 4. (2) de *Origine avium*, ex Geneſ. 1. 20. 1672. 1690. (3) de *Loco natali J. C.* ex Luc. 2. 1673. 1690. (4) de *Seqvelâ Dei*, ex Prov. 1. 7. Pſ. 111. ult. 1678. (5) de *Aqva Bethlehemi*, ex 2. Sam. 23. & 1. Par. 11. 1679. (6) de *Lingvis Spir. S. metadoticis*, ex Actor. 2. 3. 1681. (7) de *Triduo mortis J. C.* ex Hiſt. Ev. 1688. (8) de *Teſtimonio 3. Teſtium*, ex 1. Joh. 5. 7. 1690. (9) de *Syncriſi* I. & II. *Adami*, ex 2. Cor. 5. 21. (10) de *Indumento Baptizatorum*, ex Galat. 3. 27. Halæ 1694. hab. Qvibus adjungi poteſt Diſſertatio de *Pace Dei*, ex Philipp. 4. 5. Jenæ 1693. impreſſa, item 1679. & 1680. (β) Speci-

 mina

mina *Hierolexicorum* V. & N. Teſtam. Analyſeos,Exegeſeos,& Praxis Biblicæ. A. 1689. vid. An. 1698. Nov. Liter. p. 92.

Vol. II. continet *Meletemata Philoſophica*, in juvenili ætate ſcripta, & recenſita A. 1699. N. Liter. p. 199.

Vol. III. continet *Primitias Regiomontanas*, qvarum recenſio A. 1698. Nov. Liter. p. 92. & 93. facta eſt.

Vol. IV. eſt *Syntagma*, qvô Diſſertationes, intra triennium editæ, comprehenſæ ſunt, recenſitæ qvæqve ſuo loco & tempore, qvando ſunt habitæ. Acceſſerunt verò 1. Examen Syllogiſmi de Reformatione Concionum. 2. de Autoritate Conciliorum. 3. de Autoritate Patrum. 4. de Deo infinitô, & 5. Continuatio Enantiophaniarum Symbolicarum. 4to.

Cæterum hîc etiam aliorum opuſculorum, ab eodem *D. VVegnero* editorum, Syllabus ſubjungitur.

1. Oratio de Oſtraciſmo, Regiomonti 1664. 4to.
2. Sciagraphia Geographiæ Mathematicæ, ibid. 1666. 8.
3. Geiſtliche Parodien I. & II. Theil/ Cöln 1668. 12.
4. Calendarium Romanum, cum Annotat. Colon. 1671. 8.
5. Geiſtliche Sonntags-Geſpräche vom Sabbat/Stettin 1671. 12.
6. Das Vater unſer/ Gebetsweiſe/ Leipz. 1672. 12.
7. Kurtzer Begriff des Chriſtenthums Arnds/ aus dem Latein verdeutſcht/ Cöln an der Spree/ 1673. 12.
8. Nahmen-Buch Lutheri, verdeutſcht und mit Anmerckungen/ Leipzig/ 1674. 8vo.
9. Encomium Neoſtadii Ebeſ-vvaldenſis in Meſo-Marchiâ, Colon. ad Spream, 1674. 4.
10. Geiſtliche Lieder und Oden/ I. II. III. IV. Theil/ 1674. 1676. ſqq. 12.
11. Tractätl. von der Kinderzucht/ex Epheſ. 6,4. Ff. 1675. 1677. 12.
12. Conſilium de obitu Collegæ B. Arndii, ſibi ipſi manus in morbô inferentis, expetitum, Colon. 1676. 4.
13. Summariſche Anzugs-Predigt Jeſu Chriſti/ bey Anzug an der Ober-Kirchen/ in 3. Bußpred. Ff. 1676. 4.
14. Unterricht von der Kinder-Pflicht. Guben/ 1676. 12.
15. Catharismus, oder Predigt von der Reinigung nach dem Geſetz/ ex Luc. 2. Ff. Od. 1677. 4.

16. Kinder-Lehr/oder Bericht / wie die Jugend von Kindheit auff zu informiren. Guben/1677. 12.

17. Die nützliche Denck-Kunſt/ in einer dreyfachen Betrachtung des vergangenen/ gegenwertigen und zukünfftigen/ zur Ubung der Gottſeligkeit. Guben/1678. 12.

18. Programma invit. ad iter Orientale, qvô de neceſsitate & utilitate lingvarum ſacrarum agitur. Francof. 1678. 4.

19. Horologium Hebræum, ibid. 1678. 8vo.

20. Specimina Analyſis Hebrææ, ib. 1679. 8vo.

21. Leichpred. in fun. Marg. Burchardiæ, Conjugis D. D. Sam. Gottfried Poliſii, Prof. & Phyſici. Francof. 1680. 4to.

22. Programma de Computo Eccleſiaſtico, & Accentuatione Hebræa. Francof. 1680. 4to. & in ſyntagm. 1700.

23. Pius deſiderius ad pium eruditum orbem ablegatus, ut ſuas cogitationes de 7. novis ſocietatibus ineundis exponat, ſub nom. Georg. Finvvetter. Biponti, 1681. 12.

24. Epitome Bibliorum, exhibens fundamenta Theologiæ Lutheranæ in lingvis authenticis. Witteb. & Francof. 1681. & 1700. 8vo.

25. Chriſtl. Leichpredigt in fun. Dn. Chriſt. Schweders/ J. U. Stud. ex Jeſai. 63, 2. Francof. 1691. fol.

26. Chriſtl. Leichpred. in fun. Hn. Martin Harniſch/ Rahtsverwandten und Kauffmans / ex Jeſai. 43. Francof. 1683. 4to.

27. Biblidion de Bibliothecis per ſocietatem augendis & colligendis, ſub nom. Georg. Finvvetter. Biponti, 1684. 12.

28. Kinder-Poſtill od. Sprüche der Heil. Schrifft/Pſalmen/und Reimgebetlein/ für kleine Kinder/Ffurt/1685. 1692. 12.

29. Der gecreuzigte Jeſus/in Kinder-Geſprächen/ aus der Paſſions Hiſtorie/ Wittenb. 1686. 12.

30. Leichabdanckungen/ bey vornehmer Leute Begräbniſſe gehalten/in ein Volum. gebracht/ Ffr. 1687. 4to.

31. Franckfurtiſche Trauer-Klage / über den Tod S. Churf. Durchl. Hn. Frid. Wilhelms/ Churfürſten etc. 1688. fol.

32. Geiſtl. Kleider-Predigt/ex Rom. 13. Gal. 3. Lipſ. 1675. 1700.

33. Nucleus Curtii Scholaſticus, Francof. 1689. 8vo.

34. Florilegium Latinitatis, ſive Apophtegmatum, Narrationum,

num,& Epiſtolarum è Cicerone collectarum Libr. III. Ff.1690. 8vo.

35. Anfang zur Latein. Sprache/Sfurt/1690. 8vo.

36. Iſagoge ad Theologiam Poſitivam D. Königii, in Filii uſum, Francof. 1690. & repet. 1699. 8o.

37. Calendarium ad Ann. 1691. Ff. 1690. 4to.

38. Brandenb. Geogr. Calend. ad A. 1692. 1691. 4to.

39. Nucleus Cornelii Nepotis Scholaſticus, 1691. 8vo.

40. Kinder Sorge/Freud/ und Leid/ Ff. 1691. 8vo.

41. Göttliche Verordnung wegen der Betler. ib. 1692. 4to.

42. Diſcusſio Criticæ Cenſuræ J. H. K. P. & M. D. qvâ Calendarium Romanum &c. Ff. ad Od. 1693. 8vo.

43. Predigten von ſeligmachenden Glauben/ und Lutheriſchen geheimen Kirchen-Beichte/ibid. 1693. 4to.

44. Volumen Concionum Miſcellanearum, ib. 1694. 4to,

45. Pregramma Pentecoſtale. Regiom. 1695. 4to.

46. Diſputatio de Ceremoniis Eccleſ., utrum ubiqve ſimiles eſſe debeant? Reſp. Aut. Joh. Georg. Bedaun, Regiom. 1695. 4to.

47. Impietas Doctrinæ Pontif. pio veritatis ſtylo improbata, Reſp. Aut. M. Joh. Thiel/Regiom. 1696. 4to.

48. Programma Natalitium, nomine Academiæ, 1696. 4to.

49. Programma Paſchale, nomine Academiæ, 1697. 4to.

50. Biblia Lutheri German. cum uſibus, 1697. fol.

51. Programma Pentecoſtale, nom. Acad. 1699. 4to.

52. Annotata ad Matthæum, aliqvot Diſputat. Academ. privato-publicis propoſita, 1699. 4.

53. Gutachten von der Kinder-Information, Ff. 1699. 12.

54. Gutachten/ wie ein 11 jähriger Knabe/ der bißher Grammaticam gelernet/ zum ſtudiren ſoll glücklich angeführet werden. 1700. 12.

55. Theoria Controverſiarum, Neoter. 1700. 8vo.

56. Scholæ Poëticæ, 1700. 8vo.

57. Teutſche Lieder und Gedichte/1700. 8vo.

*Evulgata qvoqve ab Eodem aliorum Opuſcula ſeqq.*

1. D. *Glaſſii* kurtzer Begriff des heil. Catechiſmi, Ff. 1670. 8vo.

2. Pia Deſideria. *B. Balthaſ. Meisnero*, vendicata, cum præf. 1679. 12.

3. *Orveni* Epigrammata, cum gemino indice copioſiſſimo, Vratislav. 1680. 12.

4.

4. PraxisTrivii i.e.Grammaticæ,Rhetoricæ,Dialecticæ,*M.Chriſtian.Teuberi*,t.t. P.& Inſp. Ruppin. Francof. 1688. 8vo.

5. Calendarium *Gottlieb VVegneri* ad A. 1693. Francof. 4to.

6. Oratio *Gotlieb VVegneri*,Filii p. m. de libris & liberis ſacerdotum,cum præf. *Gotfr. Ohm*, Lipſ. 1696. 4to.

D. 25. Decembr. Programma Natalitium de *perpetua Eccleſiæ durati one*,ex Luc. 2.10. aliisq; Scripturæ locis,inprimis Matt. 16,18. à Rectore & Senatu Acad. Regiom. propoſitum eſt,Auctore *D.Bernhardo* von *Sanden*,S.Th.Prof.&Concion.Aul.primario &c.(pl.1½.4to.)

THORVNII

*Georgius Hübnerus*, Regius Burggrabius, Reip. Patriæ Thorunienſis PræCoſ. Senior, & Gymnaſii ProtoScholarcha,ſeptuageſimo ſecundo ætatis anno, d. 11. Novemb. præteriti anni, viventium numero ereptus eſt. In Proto-Scholarchæ munere ipſi ſucceſſit *Johannes Czimmermann*, PræCoſ.

*D. Paulus Hofmannus*, Wratiſlav. antehac Superintendens Torgenſis, nunc Senior Thorunienſis & Capituli Wurcenſis Præpoſitus, varia hactenus edidit ſcripta, vernaculo idiomate concepta, qvalia ſunt:

Ein kurtzer unvorgreifflicher Diſcurs von Bekehrung der Juden im N. T. aus zweyen Bibliſchen Sprüchen/als Hoſ. 3, 4. 5. Rom. 11, 25. 26. und aus den Hiſtorien geſtellet. Zu Dreßden gedruckt 1662. in 12mo.

Chriſtliches und Torgauiſches Jubilate in der Schloß-Capelle zu Torgau 1671. am Sonntag Jubilate in 18. Chur-und Fürſtl. Perſonen Gegenwart über das Evangelium gehalten/ und nebenſt einer Erzehlung/ was von Alberti Zeit an/die Durchl. Beſitzere deſſelben Ortes merckwürdiges daſelbſt verrichtet. In Druck gegeben in Torgau 1671.

Eine Denck-und Danck-Predigt/ gehalten zu Torgau in Jubilæo Formulæ Concordiæ, ſo Churfürſt Johann George der II. daſelbſt A. C. 1676. am 7. Junii celebriret/nebenſt einem Bericht von dem heilſamen Concordien-Werck. Iſt dem Churfürſten zu Sachſen und

deſſelben zu Dreßden verſamleten Land-Ständen dedicirt.

Torgauiſcher Catechiſmus, erſtlich A. C. 1594. in Fürſtl. Sächſ. Officin zu Torgau gedruckt / hernach auff Befehl Churfürſt Joh. Georgen des II. vor dero beyde junge Printzen und Enckel/Hn. Johannem Georgium IV. hernach Churfürſten/ und Hn. Fridericum Auguſtum, ietzo König in Polen/ auffs neue überſehen und vermehret/ mit ſchönen Kupffern gezieret/und zum ſechſtenmahl auffgelegt: ſampt einer Vorrede und Anhang vou des Catechiſmi Urſprung und Beſchaffenheit/Nothwendigkeit/Nutz und Gebrauch/ D. P. H. in welchem Anhang der gantze Papismus und Calvinismus ex ſola Catecheſi wiederleget wird. Torgau A. C. 1675. in 8vo.

Anfang und Eingang zu dem von Churfürſtl. Durchl. zu Sachſen Hn. Johann Georgen dem II. angeordneten Kirchen-Calender; darinnen ins gemein von dem Römiſch-deutſchen Calender/ und deſſelben Namen und Feſten in XX. curioſen Fragen gehandelt wird.

Des Kirchen-Calenders Erſter Theil / von denen im Januario, als dem erſten Monat des Römiſch-Calenders/ befindlichen Namen und Feſten inſonderheit; darinnen der Lebens-Lauff derer Perſonen/ und Urſprung der Feſte/ ſo dieſer Monat in ſich hält / aus der H. Schrifft/Kirchen-und andern Hiſtorien angeführet / erkläret / und was Fabelhafftes dabey zu finden/entweder ausgelaſſen oder wiederleget wird/ auff ſonderbare gnädigſte Anordnung Churfürſt Johann Georgen des II. verfertiget/und Jhr. Churfürſtl. Durchl. geſchrieben eingehändiget in Dresden A. 1679.

Chriſtianæ Charitatis Vexillum ſurſum deorſum volitans, das iſt/ Rechtſchaffener Chriſten hinauff-und herabwerts fliegendes Liebes-Panier/ gezeiget in einer zu Copenhagen in der Königl. Schloß-Capelle am 18. Sonnt. Trinitatis 1666. gehaltenen Beylagers-Predigt / bey dem Beylager Joh. Georgii III. und der Däniſchen Printzeßin Fräul. Annen Sophien.

Gallina Laureata, ad nos cœlitus demiſſa, erga nos benevola & benefica, unà cum Pullis tanqvam albæ Gallinæ filiis, illam audientibus & ſeqventibus, gemino Sermone ſacro repræſentata Thorunii, cum obſervatt. nonnullis latinis à D. P. H.

Oder

Oder

Die von Chriſto ein- und auffgeführte Gluckhenne/wie ſie uns/ als ein ſonderbarer Weyhnacht-Prediger zwo nöthige Weyhnacht-Lehren/zween herrliche Weyhnacht-Nutzen/ und zwo heilſame Weyhnacht Regeln vorſchreibet/ aus denen Evangelien des II. und III. Weyhnacht-Feyertages/ in zwo Predigten/der Alt-und Neu-Städtiſchen Gemeine zu Thorn 1685. gezeiget.

Evangeliorum Dom. & Feſtiv. *Succus* & *Virtus*, h. e. *Senſus* & *Vſus*, certis *Limitibus* & *Lemmatibus* incluſus: Oder/der Sonn-und Feſt-täglichen Evangelien Safft und Krafft/ das iſt Sinn und Nutz/ in gewiſſe Stücke und Reim-Sprüche/ eingefaßt. Wird in Dantzig gedruckt.

Ein dreyfacher Prediger; ein Schwacher/ mit ſeinem Zuſtande und Methodo ſeinen Zuhörern dargeſtellet; und ein Neuer/ der Deutſchen Gemeine zu St. Marien in Thorn ſolenniter vorgeſtellet; und ein Engliſcher / gottſeligen Hertzen zu Troſt und Erbauung auffgeſtellet/ am H. Chriſt-Tage 1688.

Aus allen Sonn-und Feſttäglichen Evangeliis ausgezogene Tria Credenda & Facienda, oder 3. Glaubens-Lehren und 3. Tugend-Regeln/da alle membra mit einer Polniſchen und Preußiſchen Hiſtori illuſtriret und gezieret werden.

Eine eâdem methodo gehaltene Grüne-Donnerſtags-Predigt/ darin die 3. Credenda oder Dogmata uns zu beſchauen geben Teſtatoris Eminentiam, Corporis & Sangvinis Chriſti Præſentiam & Teſtamenti Efficentiam; und die 3. Facienda oder Monita uns dieſe Regeln vorſchreiben: Ne mutila, laß es unverendert/und behalte es: Ne vitupera, laß es unverachtet/und gebrauche es: und Ne dedecora, laß es ungeſchändet/und verehre es. Iſt in Thorn gedruckt.

Eheſpiegel aus 46 in und umb Torgau gehaltenen Trau-Sermonen/und 2. Predigten von der Ehe/ auff der ChurPrintzlichen Sächſ. Feld-Reiſe gehalten / beſtehende/ ſo in Torgau gedruckt worden.

Die in 24. Leich-und Abdanckungs-Reden/ einer Troſt-Schrifft und einigen Leichen-Gedichten beklagte und getröſtete Sterbligkeit/ werden in Königsberg gedruckt. Pre-

Precum Formulæ & Morum Regulæ, metricè vel rhythmicè utplurimum conceptæ, in uſum Gymnaſii Thorun. unà cum obſervatt. non-nullis Hiſtorico-Theologicis hinc inde interſperſis, inprimis de Cantico, *Te Deum laudamus*, ejusdemqve tum *Ortu* ſ. Auctoribus, tum *Vſu*, editæ, Thorunii, 1690.

Qvod ſi Deus vitam & vires conceſſerit, poſthac in publicum emiſſurus eſt:

Prælectiones Gymnaſticas in Theologiam Poſitivam Acroamaticam D. *Königii*.

Conciones Funebres ſelectiores in *Misniâ* atqve *Boruſſiâ* habitas, qvarum complures antehac editæ.

Conciones Illuſtres, i. e. coram Illuſtribus Perſonis habitas.

Orationem qvandam ſacram, in Hafn. arcis templo, coram Friderico III, ejusdem Filio, Chriſtiano V, & Duce Electorali, Johanne Georgio III, ſacrô mandatô è ſuggeſtu recitatam.

Den Himmels Methodum, da aus allen Evangelien der Himmel beſchauet und gebauet / oder / die Freude in dem Himmel / und die Straſſe zu dem Himmel vorgeſtellet wird.

## REVALIAE

Die 1 Oct. anni ſuperioris, 1700, in demortui Georgii Schüleri locum Gymnaſii Collega fuit vocatus *Joh. Joach. Helwigius*, Berol. March. an. 1696. d. 27. Julii Director Muſices, Cantor & Collega conſtitutus; Huicqve *Joh. Gonſior* Regiomont. Pruſſus ſuffectus eſt.

## VPSALIAE

B. D. *Olao Svebilio*, Regni Sveciæ qvondam Archiepiſcopo, & Academiæ Vpſalienſis Procancellario, auctoritate Regiâ & Cleri Svecani conſenſu, in dignitate ſucceſſit *Ericus Benzelius*, SS. Th. D. & hactenus Epiſcopus Stregneſienſis, cujus plus vice ſimplici in his N. L. mentionem fecimus. Fuit is antehac Theologiæ Profeſſor in Academia Vpſalienſi, & varia ingenii monumenta edidit, ex qvibus (præter *Hiſtoriam Eccleſiaſticam*, an. 1699. menſe Septemb. p. 271. memoratam) ſeqventia innotuerunt:

Diſſer-

Diſſertatio de *doctrinalium ſignorum naturâ* in genere. Vpſaliæ, 1654. in 4.

De *Inſtitutione literariâ*. Ibid. 1658. in 4.

De *Philoſophicâ vitæ civili ſerviturâ*. Ibid. 1663. in 4.

Explanatio *Concionis D. Pauli in Areopago habitæ*, qvæ legitur Act. XVII. Ibid. 1669. in 4.

Diſputationes plures in *Vitas Patriarcharum*.

*Palma pacifera*, ſive opus pertinens ad Controverſias de Articulis fidei fundamentalibus, & conciliationem Religionum, à B. Socero ipſius D. *Odhelio* inchoatum.

Anteceſſoris ipſius *D. Olai Svebilii* mortem ſuperiori anno 1700. menſe Auguſto p. 240. paucis nunciavimus; Aſt jam pleniora ex *Jacobi Arrhenii*, Vpſalienſis Academiæ Rectoris, Programmate funebri dare poſſumus. Natus fuit is an. 1624. d. 1. Januarii in prædio Rǎby/ qvod habet prope Calmariam ſita parœcia Liungbyenſis, jactisqve in Scholâ Calmarienſi ſtudiorum fundamentis Regiomonti per integrum annum atqve Upſaliæ per ſexennium literis incubit, ubi etiam an. 1640. ſupremis honoribus Philoſophicis ornatus eſt. Dehinc cum Baronibus Gyllenſtierniis exteras perluſtraturus terras, per inferiorem Germaniam in ſuperiorem profectus, Argentorati per integrum biennium ſubſtitit. Italiam poſtea ingreſſus, Venetiis, Româ aliisqve locis viſis, Galliam adiit, ac ſeptem menſibus Lutetiæ conſumtis, in Hollandiam iter paravit. Domum tandem poſt qvadriennem peregrinationem reverſus, primùm Gymnaſii Calmarienſis Rector; deinde Lector Theologiæ & Paſtor arcis conſtitutus; tum Pœnitentiarius publicus & Paſtor Eccleſiæ Liungbyenſis vocatus. Hinc munus Profeſſorium in Academia Londenſi à S. R. M. ipſi oblatum, & paulo poſt Primarii Concionatoris aulici ſparta commiſſa. Ab aulâ dimiſſus Paſtoratum Holmiæ primarium ſimulqve officium Præſidis Conſiſtorii obtinuit; hæc erat functio, in qva ſupremis in Theologia honoribus an. 1671. ornabatur. Poſtea *Doctoris Terſeri* humanis rebus erepti, in Epiſcopatu Lincopenſi adminiſtrando, Succeſſor fuit. Acceſſit tandem Archiepiſcopi Upſalienſis dignitas;



BIBLIOTEKA UNIWERSYTECKA W ...

Sed his omnibus honorum titulis mors illum exuit, qvam ſeptuageſimo ſeptimo ætatis anno die 29. Junii 1700, tribus filiis, totidemqve filiabus relictis, oppetiit.

## HOLMIAE

Typis exſcripta eſt *Oratio Panegyrica*, qvam ſuperiori anno, in feſto Onomaſtico Auguſtisſimi SueonumMonarchæ CAROLI XII, *Joh. Chriſt. Mandell*, Holmienſis, de *Piisſimo & Clementisſimo* CAROLORVM *Nomine* habuit.

*Nicolai Keder, Regii Antiqvitatum Collegii Aſſeſſoris, ad Collectores N. L. Lubecenſes Epiſtola.*

QVemadmodum Romanis olim Africa, ita nunc Rusſia mihi ſemper aliqvid apportat novi. Ex iſtâ qvidem Romanis incognita afferebantur monſtra: ex hac verò oculis inviſi meis afferuntur Nummi, qvamvis, ſi alterum ex nuperrimè allatis, ob monſtroſam in eo tam literarum qvàm vocum formationem, monſtrum qvoqve dicerem, neutiqvam à veritate aberrarem. Primus Nummus aureus eſt, Ducati ferè pondere, pertinetqve ad Tſarem Theodorum Johannis filium, cujus hinc effigiem habet eqveſtrem, inde titulum: *Tſar i velikii Knjaz Feodor Ivvánovvitſch vvſejá Ruſii.* h. e. TSAR. ET. MAGNVS. DVX. THEODORVS. IOHANNIDES. VNIVERSAE. RVSSIAE. Apud Mercatorem qvendam Hamburgenſem mihi olim obſervatus eſt Nummus aureus alius major, ejusdem etiam, ſi rectè memini, Tſaris figurâ eqveſtri & nomine inſignis, gravis inſtar Nummi Portugallenſis, ſeu decem Ducatorum: nec ullo modo dubito, qvin is ad normam Portugallenſium Walteri Plettenbergii Livoniæ Magiſtri ſit percusſus. Meminit eorum Balthaſar Ruſſovvius in Chron. Livon. Ydt hefft diſſe Meiſter by ſyner Regeringe gülдene Münte ſchlan laten / an Gewichte / Schrot unde Korne den Portugalöſern gelyck / de ock Portugalöſers genömet worden / und gahr gemeine im Lande geweſen ſind. i. e. *Hic Magiſter tempore ſui regiminis aureos*

Tab. I. Fig. I.

*reos numos cudendos curavit pondere & materiæ bonitate Portugallenſibus pares, qvi etiam Portugallenſes vocantur, ac obvii admodum in Livoniâ fuerunt.* Ex his duo qvondam ſe oculis obtulerunt meis, unus penes Nobilisſimum & Magnificum Dominum Hermannum Ditmerum, Conſulem Narvenſem, Affinem meum honoratisſimum, alter penes Nobilisſimum & Amplisſimum Dominum Martinum Nymannum, Civitatis Holmienſis Senatorem, judiciiqve inferioris urbici Præſidem, Amicum meum perdilectum, ſimillimi ac prorſus gemini Numo iſti à Vobis in Novis Anni M.DC. XCIX. Tab. VIII. exhibito, niſi qvod beatæ Virgini ſubjectam haberent Lunam, qvâ iſte caret. Duo argentei proximè ſeqventes Chriſtiani IV. ſunt Danorum Regis, pondere *Copicis* Tſarum Baſilii, Vladislai, Michaëlis & Alexii æqvales, inſigniti etiam, in uno latere, effigie Sancti Georgii ut Eqvitis haſtati, conſveto nempe *Copicis* inde nomen ſortitis typo (eſt enim *Copijè* Rusſis *haſta* & *Copéjek*, *haſtatus*) & *Copicis* item oblongâ formâ æmuli. In altero autem latere prior habet literis non ſatis genuinè expresſis Rusſicis (ex eo genere qvod calamo, non prelo, formari plerumqve ſolet) inſcriptionem nec lingvæ genio conſonam, per literas Latinas ſic exprimendam: *Chriſtiano ſchetira Korol az Denmark*, qvæ ſecundùm nativam Idiomatis rationem foret: *Chríſtjan tſchetvvértoj Koról Dátskoj* (ſeu *Dánskoj*) h. e. CHRISTIANVS. QVARTVS. REX. DANICVS. Alter epigraphen lingvâ inferioris Germaniæ hanc: Van G. Genaden Christian der iiii Koninc in Dennemarc. i. e. DEI. GRATIA. CHRISTIANVS. IV. REX. DANIAE. Hujusmodi *Copici* Danici Rusſis etiamnum uſuales, rariùs tamen occurrentes, cujus Tſaris conſenſu, qvemqve in finem fuerint percusſi, nondum mihi ſatis expiſcari licuit. Eqvidem ſpectabilis & probatisſimus mihiqve charisſimus Vir Dn. Johannis Rodde, Civis & Mercator Narvenſis, cùm aliqvando apud eum Narvæ hujusmodi *Copicorum*, me præſente, mentio fortè facta eſſet, retulit, ſe ex ore habere Mercatoris Moſcovitæ, qvod tales primitus præcipuè eò reſpexerint, ut æqvè ac Rusſici tam à Lapponibus Tſareo parentibus imperio, qvàm à Lapponibus Dano

Tab. I. Fig. 2.

Tab. I. Fig. 3.

ſubjectis ultrò citróqve recipiendi, permutationis tædio & incommodo obvium irent. Sed rem omnem ingenioſisſimo ſagacisſimoqve Danorum Polyhiſtori Othoni Sperlingio indagandam relinqvo. Qvartum & qvintum æreos Tſar Petrus hoc anno cudi fecit. Major, qvi amplitudine Oram noſtram dimidiam recentem æqvat, in
Tab. 1. Fig. 4. peripheriâ partim unius faciei, partim alterius habet: *Tſari vvelikij Knjaz Petr Alexijevvitſch vvſeà Roſsîî Samodersjávvnyj Povvelitel.* h. e. TSAR. ET. MAGNVS. DVX. PETRVS. ALEXII. FILIVS. TOTIVS. RVSSIAE. AVTOCRATICVS. MANDATOR. In medio autem illic Aqvilam bicipitem coronâ in utroqve capite & tertiâ ſupernè intermediâ, ſceptro in ungvibus dexteris & globo ſtaurophoro in ſiniſtris, expanſisqve alis conſpicuam; hîc vocem *Dengha*, qvâ dimidius denotatur *Copicus*, nec non annum à natâ ſalute generis humani milleſimum ſeptingenteſimumqve.
Tab. 1. Fig. 5. Minor exhibet alterâ parte verba: *Tſar Petr Alexijevvitſch*, i. e. TSAR. PETRVS. ALEXII. FILIVS. & Aqvilam talem qvæ eſt in *Dengâ*: alterâ: *vvſejà Roſíi Samodérsjets*, h. e. TOTIVS. RVSSIAE. AVTOCRATOR. ac præter commemoratum modò annum, vocem *Polúschka*, qvæ qvartam *Copici* deſignat partem. Obſervationem in *Dengâ* iſtâ meretur ſingularem novus honoris titulus: *Samodersjávvnyj Povvelítel*, pro qvo ſimplex *Samodérsjets* in uſu alioqvin eſt, in aliis etiam freqventioribus hujus anni æneis *Dengis* occurrens. Valete diu bono curioſi Orbis. Dab. Holmiæ d. 8. Decembr. An. 1700.

## HAFNIAE

Die 15. Decemb. ſuperioris anni, *Clemens Jeſſæus*, Reſpondente *Nicol. Joh. Lundio*, Diſſertationem Hiſtorico-Eccleſiaſt. *de Ritibus convocandi ad publica ſacra, prioribus poſt Chriſtum Sæculis*, propoſuit. (2. plag. in 4.)

Die 17. Decemb. ſub Præſidio *Petri Kragelund*, Reſpondens *Thaggo Sterup* Diſſertationem Hiſtoricam *de Serra Martyrii inſtru-*

*ſtrumento*, ex Ebr. IX, 35. in Collegio Mediceo ventilavit. (2. plag. in 4.)

Die 21. Decemb. Præſide *Joh. Matthiâ Hammerico*, Reſpondens *Petrus Deichmann*, *de Menſâ & Poculo Dæmoniorum*, ex 1. Cor. X, 21. Diſſertationem Hiſtorico-Criticam habuit. (2. plag. in 4.)

*Eodem die*, in Collegio Mediceo, ab *Olao Theſtrupio*, *Francuci* filio, Reſpondente *Rudolpho Moth Bagger*, Diſputatio tertia, *de Syringe in ſugendâ aqvâ*, ventilata fuit. (2. plag. in 4.)

Die 22. Decemb. *Johanne Norbölm* munus Præſidis ſuſtinente, Reſpondens *Laurentius Turni Lundorp*, Diſſertationem Hiſtoricam primam *de Martyrio Johannis Evangeliſtæ*, publicè defendit. (1½. plag. in 4.)

Superiori anno 1700. menſe Junio, p. 175. Anagramma Germanicum, è Nomine & Titulis Auguſtisſimi Daniæ Norvegiæqve Monarchæ, FRIDERICI IV. auctore Gerhardo Erneſto à Franckenau, Archiatri Regii filio, adornatum, recenſuimus; Huic jam aliud ſubnectere juvat, eôdem auctore è Serenisſimæ Reginæ Nomine conflatum, & Lutetiâ Pariſiorum transmiſſum, qvod ita habet: LUJSE/ Königin zu Dännemarck/ Norwegen/ derer Wenden und Gothen/ Hertzogin zu Schleßwig/ Holſtein/ Stormarn und der Dithmarſchen/ Gräſin zu Oldenborg und Delmenhorſt.

Durch reine Verwechſelung der Buchſtaben.

Wo Tugend/ Schönheit/ herrlicher Verſtand
Den Weg zum Thron und Krohn muß zeigen können/
So mag man Dir wohl billig gönnen
Die Fürſten-Zierd durchs gantze Norder-Land.

KILONII

Die 18. Decemb. Præſide *Günthero Chriſtophoro Schelhammero*, Med. D. & Profeſſ. Primario, Sereniſſ. Duc. Cimbr. Gottor-

pienſ. Archiatro, Societatis N. C. Leopoldinæ Adjuncto, & in Italia Recuperatorum Socio, *Chriſtoph. Martinus Burchardus*, Theſes ſelectas, numerô LXIV. *de Principio Motus Animali*, publice defendit. (2, plag. in 4.)

*Jo. Burchardus Majus*, Eloqv. & Hiſt. Prof. P. ipſis feriis Natalitiis publico Academiæ nomine Programma edidit, qvo poſt indicatam ſuperioribus annis ſingulorum dierum feſtorum originem, itemqve verum & ſuperſtitioſum cultum, communiores vulgi errores recenſet; qvos etiam in reliqvis futuri anni ſolemnibus perſtringet. I. autem exponit breviter, qvæ hiſtoriæ naſcentis Chriſti admiſceri ſoleant commenta, ut de *Joſepho*, qvod fuerit ſenex capularis, de matre *Mariâ*, qvod ejus nomen denotet ſtellam maris, prædictumqve ſit primo ſtatim capite Geneſeos, qvod ipſa ex coitu Joſephi pepererit filium, qvodqve pepererit utero aperto, qvâ occaſione illos carpit pictores, qvi Chriſtum tanqvam de cœlo deſcendentem, crucisqve figuram ſuper humeris geſtantem pingunt Tum refellit errorem *Bodini*, qvod Chriſtus non ſit natus Bethlehemi; & *Sculteti, Grotii, Baronii* atqve aliorum, qvod natus ſit extra urbem Bethlehemiticam in rure aut ſuburbio, & *Pontificiorum*, qvi hodie qvoq; caſam Bethlehemiticam, præſepe ligneum, induſium Mariæ, *faſcias* & multa alia oſtentant, diverſasqve eorundem opiniones enumerat, qvisnam locus Chriſtum primo naſcentem exceperit? Inde vulgati illius erroris de animalibus ad præſepe Chriſti alligatis & originem & cenſuram affert, ſimulqve riſui exponit fabulam ex epigrammate *Matthæi Gothi* deſumtam, de bove, gallo, ove & aſino, de loco natali Chriſti mirabilem in modum teſtantibus. Poſtea varias de numero paſtorum Bethlehemiticorum adducit ſententias & hac ratione ad ea etiam devenit, qvæ de Magorum nominibus, forma, veſtitu, officiis nugantur Pontificii, inprimis vero deteſtandum eſſe putat errorem *Gordonii* Jeſuitæ, qvi nominibus iſtis vim ineſſe exiſtimavit morbo comitiali medentem. Qvibus ita expoſitis II. adducit miracula, qvæ in ipsâ urbe Bethlehemiticâ eâ nocte, qva natus Servator, contigiſſe perhibentur, qvomodo ſcilicet aqva è petrâ profluxerit ad abluendum infantis Chriſti corpus, & qva ratione lac conſecuta ſit Maria virgo, qvo lactare potuerit filium ſuum, aliaqve qvæ reperiri do-

docet in ſpuriis Evangeliis *Jacobi*, *Nicodemi*, *Bartholomæi*, *Thomæ*, libro de *nativitate Mariæ*, & Evangelio de *infantia Chriſti* ante biennium ab *Henrico Sickio* edito. III. ea recenſet prodigia, qvæ ſimiliter in aliis locis eodem tempore facta dicuntur. Nimirum qvod Romæ ipſe etiam Auguſtus Imperator aliqva in honorem nati orbis Domini fecerit, nummumqve cudi permiſerit hac inſcriptione: SALVS HVMANI GENERIS, & PAX ORBIS TERRARVM, qvod ibidem trans Tyberim toto die fluxerit fons olei, qvod in Hiſpania tres viſi ſint ſoles, nubesqve admodum lucida, qvod in Ægypto corruerint ſimulachra Deorum, qvod in Syriâ vinea Engaddi unâ nocte ſimul protulerit flores, fructum & liqvorem, qvod deniqve in univerſo terrarum orbe averſæ Veneri vacantes, qvos Sodomitici ſceleris reos eſſe dicimus, ſubito perierint. Qvæ omnia poſtqvam percenſuit, docet etiam, qvonam ea nitantur fundamento, & qvid habendum ſit de iſtarum fabularum auctoribus, ubi unâ indicat, qvando iſtiusmodi fabuloſi ſcriptores cœperint. IV. ad ſeqventia progreditur tempora, noſtrumqve inprimis ævum, qvod adhuc perſvaſum ſibi habet vulgus, aqvas nocte Natilitiâ mutari in vinum. Cujus opinionis originem cum expoſuit, V. ad reliqvos errores pergit, qvi circa hoc tempus hominum mentes imbuunt. Ut cum pueri perſonatos juvenes pro Chriſto habent, vel puellæ induſium, qvod *necesſitatis* vocatur, à ſe confectum vim corpora indurandi habere putant, vel alii etiam nocte profeſtâ profanis modis fortunas ac futuram felicitatem explorare laborant. Qvem morem cum jam tum Auguſtini ætate obtinuiſſe demonſtravit, noſtrorum qvoqve temporum ſuperſtitiones ac errores attingit. Notum qvippe eſt, qvod vulgus ex XII. diebus poſt Natalitia de tempeſtate XII. menſium judicet, juvenesqve ac puellæ ex cepis, pomis aut lignorum ſtrue de matrimonii, aliiqve ex umbrâ candelæ mortis auguria capiant. VI. deniqve ſubjungit, qvid habendum ſit de ea ſententia, qva Livoniæ Ruſſiæqve incolæ creduntur circa id tempus in lupos mutari, diemqve à Natalitiis ad Epiphania galli paſſum accreſcere, aliaqve qværere lectores jubet in libro Prætorii, qvi inſcribitur Weynachts-Fratzen. ($2\frac{1}{2}$. plag. in 4.)

Jo.

## *Jo. Ludov. Hannemanni D. & P. P. Obſervatio de Pingvedine per umbilicum fluente.*

Paucis ante annis, qvidam valde obeſus civis mortuus eſt, cujus ex umbilico ſex libræ *puræ Pingvedinis* non ſine hominum admiratione effluxerunt; poſt qvidem pingvedinis effluxum aliqvot adhuc annos ſanus & incolumis ſupervixit.

## *Io. Iac. Stolterfohti D. Scholion.*

*Puræ* niſi *pingvedinis* oculatus Teſtis Excell. Neſtor II. mentionem exſertis feciſſet verbis, portionem chyloſam lympha dilutam, ex vaſorum illuc tendentium ac mole turgidorum reſeratione ortam fuiſſe fere perſvaſi fuiſſemus. Vermis qvippe pedati & chyli per umbilicum excreti mentionem facit Excell. *Dn. D. Joh. Dolæus Ep. III. ad B. Dn. D. VValdſchmid. p. m.* 219. *ſq.* qvo facto tumida ante præter morem puella maxime contabuit. Huic analogus eſt effluxus Chyli per vulnus Thoracis juxta *D. Alard. Maurit. Eggerdes M. N. C. Dec. II. A. VI. Obſ. CCIX. p.* 417. Fluxum oculorum chyloſum in Infante recens nato vidit *D. Joh. Petr. Albrecht. l. c. A. IX. Obſ.* LXXXVI. *p.* 148. Ictoroſam materiam per umbilicum Hydropicorum effluere poſſe, ex vaſorum Lacteorum & Lymphaticorum ruptura affirmant *D. D. Lipſienſes in Paul. Ammann. Medicin. Critic. Caſ. XI. p.* 126 *ſqq.* Ex umbilico hujus ſubjecti admodum obeſi *veram* effluere potuiſſe *pingvedinem* ambabus largimur manibus illi Kilonienſium *Podalyrio.* Sive n. hæc oriatur à particulis Chyli ſuperfluis, ſive ex ſangvine unctuoſo, ut volunt *Isbr. de Diemerbrœck Oper. Anatomic. L. I. c. IV. Thom. Bartholin. Anatom. Ref. L. I. c. III. p. m.* 17. & alii; ſive ex ſero oleoſo aqveo concreto, juxta mentem *Excell. Dn. D. Georg. VVolffg. VVedelii Phyſiolog. Ref. c. II. p.* 40. & *c. VIII. p.* 216. certum tamen eſt, eam in vaſis eſſe liqvidam, id qvod ex natura ejus ignea & aerea ſatis ſuperqve demonſtrat *Zacut. Luſitan. Prax. Hiſtor. L. II. c. VIII. f.* 357. conf. *Seb. VVirdig. Medicin. ſpirit. L. II. c. I.* §. 10. *p.* 10. & §. 18. *p.* 16. Qvod vero condenſetur, aëris partim externi acceſsioni, partim frigidæ membranarum conſtitutioni adſcribendum eſſe credimus.

Tur-

Turgida hinc vaſa ſecretoria ac onere rupta, totum illud qvod alveolis adipoſæ ſubſtantiæ deſtinatis committere debebant, qva data porta dimittunt. Maximam vero partem cavernulis glanduloſo-membranoſis medii ventris deberi, *αὐτοψία* evincit: qvicqvid enim de Pleura adipoſa & pingvedine veſicæ Felleæ refert *Joh. Rhodius Mantiſſ. Anatomic. N. IX. p. 9. & N. XXV. p. 18.* it. de Pingvedine per cordis totum Parenchyma granulatim qvaſi diſperſa, notat D. *Salom. Reiſel. M. N. C. Dec. II. A. VII. obſ. XII. p. 22.* vel circa Adipem in cavitate Thoracis *obſervat. Thom. Bartholin. Cent. 2. Hiſt. Anat. XV. p. 195.* inter res p. n. contingentes merito referimus. De Pingvedine Abdominis mirabili vid. *D. Joh. Mich. Febr. M. N. C. Dec. I. A. IV. & V. obſ. XXVIII. p. 27.* conf. qvæ de Pingvedine exſuperante in Puella habet *Th. Bartholin. Cent. III. H. A. LXXXVIII. p. 180.* Repletis hinc alveolis, mole ſua exonerare ſe tentarunt vaſa in hocce ſubjecto, commodisſimamqve ſcopo ſuo invenerunt viam per umbilicum. Adipoſam hancce ſubſtantiam cum *εὐφορίᾳ* interdum in ſeroſitatem permutari poſſe ratione non tantum analogiæ, ſed & originis, fato ſuo evincunt Hydropici, ut ex ſupra allato caſu ex B. Dn. D. *Pauli Ammanni Medicina Critica* patet. Adipoſam qvoqve ſubſtantiam ex Hydatidibus Hydropicorum obſervat *Th. Bartholin. Cent. VI. H. A. LXXXIV. p. 341.* qvos materiam itidem ſebaceam per vomitum ejicere teſtatur D. *Ehrenfr. Hagendorn. Cent. II. Hiſt. Medico-Phyſic. XIII. p. 341.* conf. qvæ de Pingvedinis in aqvam reductione habet *D. Dan. Ludovici M. N. C. Dec. I. A. IV. & V. obſ. CC. p. 257.* Pingvedinem ſine ſanitatis damno aliqvot annis per urinam ac vomitum excretam, teſtis eſt *D. Frider. Clauder. M. N. C. Dec. II. A. VII. Obſ. CLXXXIII. p. 346.* conf. qvæ ad l. c. habet *Excell. Dn. D. Luc. Schrœckin Schol. p. 347.* Materiam adipoſam ſingulis diebus per alvum excretam vidit *Gotbofr. Mœbius Fundam. Phyſiol. c. XI.* conf. *Salom. Reiſel.* de Pingvedine liqvata & in gelatinam ſoluta *M. N. C. Dec. I. A. VIII. Obſ. XXX. p. 54.* Ut plurimum vero, ſi non ſemper, ejusmodi extravaſatio Pingvedinis, extra corpus ſive fiat, ſive intra corpus in loco extraordinario colligatur, Maraſmum habet comitem, ob denegatam ſeri oleaginoſi & nutritii

decentem agglutinationem: exemplis rem declarant *D. Carol. Rayger. M. N. C. Dec. III. A. II. Obſ. XXVI. p.* 35. *Joh. Mich. Fehr. l. c. Dec. I. A. IV. & V. Obſ. XXVIII. p.* 27. *Roſin. Lentil. Parallelum. in App. M. N. C. Dec. III. A. III. p.* 84. *D. El. Camerarius l. c. D. III. A. V. & VI. Obſ. XLI. p.* 91. De Nutritione Aucta ſ. Corpulentia nimia vid. *Gerh. Blaſius Med. Univerſ. Therapeut. ſpecial. L. III. S. XVIII. c.* 1. *Theod. Corbæus Pathol. L. II. S. IV. c.* 36. *Caſp. Hoffmann. Inſtit. Medic. L. III. c.* 13. *D. Phil. Jac. Sachs à Levvenh. in Schol. ad M. N. C. Dec. I. A. II. Obſ. LXXXVII. p.* 162. *Gabr. Fallop. Tr. de Decoratione C. III. IV. V. Joh. Fernel. Conſ. Med. XIV.* 18. *Joh. Jeſſen. Inſtit. Chirurg. S. III. c.* 22. *Hieron. Mercurial. de Decoratione. c. 6. Nic. Tulp. Obſ. Med. L. III. c.* 54. *Euſtach. Rhodius Art. Med. L. III. c.* 36. *Victor. Trincavellius Conſ. Med. L. III. Conſ.* 101. *Joh. Jac. Manget. Bibliothec. Medico-Practic. Tom.* 1. *f.* 758. *ſeqq. B. Dn. D. Mich. Ettmüller. Diſſ. de Corpulentia nimia*, & qvos ibi allegat &c. &c. Præter alia nimiæ obeſitatis incommoda, repentinam inde Mortem obſervat *D. Ehrenfr. Hagendorn. Cent. III. Hiſt. Medico-Phyſic. XXVIII. p.* 317. *Balth. Tim.* von Güldenklee *Conſ. Med. L. VI. c. 2. Theod. Kerckring. in Spicileg. Obſ. Anat. LXVI. D. Sim. Scholz. M. N. C. Dec. I. A. II. Obſ. LXXXVII. p.* 161. *ſqq.* Turtrius Pingvedine ſuffocatæ anatomen ſiſtit *D. Phil. Jac. Hartmann. M. N. C. Dec. II. A. VII. Obſ. XXXII. p.* 69. Gruis eodem jugulatæ gladio eviſcerationem inſtituit *idem l. c. Obſ. XXXIII. p.* 71. Modum curandi Corpulentiam nimiam præter jam citatos ſuppeditant *Petr. Bayrus de Med. Hum. corp. mal. L. XXIV. c. XI. Dan. Sennert. Med. Pr. P. I. c. IV. Chriſt. à Vega de Art. Med. L. II. S. VII. c.* 41. *Felix Plater. Tr. III. de Vitiis c.* 1. *de Deformatione p.* 49. *Oribaſ. Synopſ. L. V. c.* 40. *Act. Med. Haffn. Vol. I. Obſ. LXXIV. p.* 144. *Roderic. à Fonſeca Conſ. Med. Tom. I. Conſ. XXXII. Iſaac. Cattierius Obſerv. Med. Borello communicat. Obſ. XV. Haly Abbas Pr. L. I. c. XVI. de Habitudine corporum. p.* 148. &c. &c. Sat prata biberint.

## HAMBURGI

*B. Samuelis Schultzii*, Doctoris Theologi, Eccleſiæ Hamburgenſis ad D. Petri Paſtoris, & Venerandi Miniſterii Senioris, *Biblio-*

*Bibliotheca*, qvoad maximam partem, publico Auctionis ritu, in ædibus relicti filii, *Stephani Schultzii*, J. U. L. in D. Mariæ Magdalenæ Cœmeterio ſitis, die 4. Aprilis, & ſeqq. horis conſvetis, diſtrahetur.

*Johannes Müllerus*, Phil. & Med. D. Phyſ. & Poëſ. Prof. Publ. & hoc anno Gymnaſii Rector, *Plauſus & bona Verba Muſarum Hamburgenſium*, in annum primum Sæculi decimi octavi, poſt Domini & Servatoris noſtri JESU CHRISTI, nativitatem, Carmine Heroico interpretatus eſt.

Sub prelo typographico eſt *D. Johannis Gröningii*, Hiſtoria Expeditionis Britannicæ, ex Numiſmate III. Libris expoſita. Qvorum primo, Pars Antica; ſecundo, Pars Poſtica Numiſmatis Brandenburgici ex Argumnntis veterum illuſtratur; & tertio Hiſtoria Expeditionis Britannicæ, qvibus conſiliis cœpta & qvo ſucceſſu ad finem deducta, recenſetur. Hamburgi, apud Godfried Liebezeitz, 1701.

In publicum qvoqve exiit, *D. Matthæi* Schlüters *Aſpecten-*Zeiger über das 1701. Jahr: ſammt beygefügten vorhin herausgekommenen Aſpecten-Zeiger; Aus deſſen Vorrede die der Sternen-Kunſt ſonſt unerfahrne/auch ungelehrte erlernen können/ wie man ſich des Aſpecten-Zeigers bedienen/ und vom Gewitter vorhero urtheilen möge. (2. plag. in 8.)

Porrò *Sigismundus Wilhelmus Toppius*, Urbis Mindæ vocatus & ordinatus Eccleſiaſtes, Concionem qvandam, ſub titulo: Die in Chriſto Jeſu theur erworbene und durch zwey Mittel erhaltene Freyheit / ſupertori annô Dom. XIV. p. Trin. ex Gal. V. 16-24. Hamburgi in Templo Cathedrali habitam, cum præfixis depoſiti officii cauſis, publicæ luci expoſuit. Hamburgi, apud Joh. Chriſtophorum Ziegler / 1700. (7. plag. in 4.)

## LUBECAE

Die 13. Decemb. vitam cum morte commutavit *Henricus Oſterman*, J. V. D. Is an. 1644. d. 10. Febr. Bochumi in Weſtfa-

liâ fuit natus, ibidemqve ut & Tremoniæ atqve Hammonæ literis excultus in Duisburgenſi primò, deinde in Colonienſi Academiis ſtudio juris operam dedit. Perluſtratis poſtea potioribus Germaniæ vicinarumqve regionum locis, in Academiam Chriſtian-Albertinam ſe contulit, ubi an. 1675. titulum Doctoris conſecutus. Lubecæ tandem, *Gerhardi* Grünwalds U. J. D. filiâ conjugio ſibi junctâ, ſedem figens cauſarum patrocinium ſuſcepit, cui muneri qvinqvageſimo ſeptimo ætatis anno immortuus eſt, ex viduâ ſuperſtite nulla prole relictâ.

*Caſparis Lindenbergii, Paſt. Eccleſ. S. Joh. ad V. Pl. Rev. Albertum Balemannum, Paſtorem in Kirchwerder, de loco qvodam Talmudico, Epiſtola.*

Ex qvo tot deliciis me nimis diuturnum hoſpitem excepiſti, multum me tibi debere non ignoro, imo ut dicam qvod res eſt, rubore qvandoqve ſuffundor, qvod grates meditari, reddere nondum potuerim. Inter cætera Loci veſtri amœnisſimi blandimenta, haud parum voluptatis mihi, Bibliotheca tua elegantisſima præbuit, ex qva illa *B. Dedekenni* Philotheca, (non contemnendum me judice cimelium) memoriæ meæ adhuc ſæpius obverſatur. Noſti qvam avida manu volverim revolverimqve magnis nominibus ſuperbientes paginas, & qvanta cupidine ſententias manu præſtantisſimorum virorum conſignatas ceu pretioſas gemmas floresqve luſtraverim. Ne vero de tuo hoc theſauro nimis ſerio triumphes, veniam mihi dabis ſi illum nævis tamen ſuis laborare, & tot inter humana nomina, humani aliqvid, hoc eſt erronei irrepſiſſe, oſtendero. Si rectè memini, doctisſimus qvondam *Schikkardus* talia B. Dedekenno oppoſuit שלשים עזין הן h. e. ישראל באומות כלב בחיות תרנגול בעיפות וגו' *Tres ſunt impudentes, Iſraelita inter gentes, canis inter animalia, gallus inter aves &c. Fatetur ipſemet Judæus Rabbi Simeon ben*

*ben Lakiſch in Talmude maſſecheth Beza f. 25. p. 2. edit. Venet.* ***. *Præſtantiſſimo Domino Poſſeſſori SS. Theol. Candidato meritiſſimo, amico honorando memoriæ cauſa aſſcrib. Wilhelmus Schikkardus S.L.Profeſſ. & contubernii Academici Rector. Tubingæ 10. Julii 1612.* Vix hæc perlegeram, cum dubius hærerem, de vero ſenſu effati hujus Talmudici. Non poteram à me impetrare ut crederem, ſuperbisſimos, & qvod gentis ſuæ famam attinet delicatisſimos Rabbinos, de Canina brutaqve ſua impudentia qvaſi gloriari; itaqve de ſignificatione vocis עזין, cui *impudentes* Schikkardus ſubſtituerat, ambigere, & verſioni huic mendum ſubeſſe ſuſpicari cœpi. Nec me fefelliſſe opinionem videbis, cum jamjam demonſtravero, tantum abeſſe ut opprobrium gentis ſuæ Rabbi Simeon divulgare in animo habuerit, ut potius fortitudinem animumqve ſuorum virilem & bellicoſum verbis hiſce laudare ei fuerit propoſitum, hoc modo: *Tres ſunt* עזין (non impudentes ſed) *fortes* courageux, braves ut Galli & Hiſpani loqvi amant, *Iſraelita inter gentes, canis inter animalia. gallus inter aves.* Ne hæc gratis me dicere cogites, en brevibus ſententiæ meæ fulcra. Primum Judæos qvi moverit, maxime Rabbinos, gloriæ illa animalia, ut cum Tertulliano loqvar *init. lib. de anima p. m.* 640. neſcire non poterit, illos adeo non ſolere propriam allegare turpitudinem, ut potius aperta gentis ſuæ crimina negare, excuſare, extenuare, aliis imputare, ipſis ſolemne & qvotidianum ſit. Permulta mihi in promtu ſunt qvæ hæc probant, alio loco ac tempori reſervanda, unicum tamen adducam rei noſtræ apprime congruum. Eſt illud inſigne aliqvod dictum ipſius noſtri *Simeonis ben Lakiſch* qvod invenitur Tr. Talmudico Berachoth cap. 3. f. 19. col. a. lin. 5. â fine, ubi talem tradit regulam לעולם אל יפתח ארם פיו לשטן *Nunqvam aperiat homo os ſuum ad loqvendum ſive confitendum ea qvæ adverſario ſuo proficua ſunt*; hoc eſt ut ex connexione & adducto Exemplo patet, qvæ adverſarius in illum retorqvere & iis contra illum abuti posſit. Vides qvomodo R. Simeon ſuis auctor ſit, crimina ſua potius tegendi qvam confitendi; ecqvis igitur facilè credet, adeo



*** *Hic Judæus, Canis & Gallus adpicti.*

ſui illum fuiſſe oblitum, ut ipſe contra hanc regulam qvam graviſſimè impegerit? Sed accipe plura. Si putarem hominem alias arrogantiſſimum ea de re gloriari, qvæ vel maxime ei eſſet exoſa & dedecori, contra qvam qvotidie obnixè orat, qvam pro digno æternis ſuppliciis facinore habet, fallerer profectò, ne dicam ineptus eſſem: jam illa eſt ratio impudentiæ apud Judæos ut pro maximo reputent dedecore, contra illam qvotidie orent, & pro facinore in inferno luendo habeant; Ergo. &c. qvod primum & ſecundum attinet, teſtem advoco illorum סדר תפלות ſ. precatorium, juxta qvod preces ſuas annuatim fundere ſveverunt, idqve tum Hiſpanicum, qvam Judæis Germanis & Polonis uſitatum. In utroqve inter primas & primarias preces matutinas * invenitur præcatio qvædam, (cujus auctorem eſſe Rabbi Iehudam Sanctum ex Tr. Berachoth. f. 16. col. 2. in fine diſcimus) tali principio יהי רצון וגו ubi inter maxima qvæ averruncare volunt mala, vel primo loco ponunt impudentiam, tam activam, ut ita loqvar, qvam paſſivam, & ita orant: יהי רצון מלפניך יהוה אלהי ואלהי אבותי שתצילני היום ובכול יום ויום מעזי פנים ומעזות פנים מאדם רע ומיצר רע וגו׳ *h. e. Domine Deus meus & Deus patrum meorum, ſit beneplacitum tuum, ut me cuſtodias hoc die & omnibus diebus ab homine impudente & ab impudentia, ab homine malo & cordis malitia ſ. prava concupiſcentia &c.* qvod vero ſecundum attinet, potiſſima & ſæpius laudata apud illos eſt regula Rabbi *Iehuda ben Thema* ex אבות Cap. V. Reg. penult f. 31. col. 1. עז פנים לגיהנם ובושת פנים לגן עדן *qvi impudentia facie eſt, gehenna, qvi vero facile erubeſcit, paradiſo dignus eſt.* Nihil igitur certius eſt qvam עזין in loco noſtro Talmudico per impudentes verti non poſſe, niſi Rabbi Simeonem ſibi ipſi adverſari, deqve re ſibi ſuisqve maxime exoſâ gloriari, hoc eſt cum oratione inſanire putemus. Reſtat ut alteram potius hujus vocis ſignificationem, qva fortes, & audaces denotat, hic obtinere evincam. Comprobat id ante omnia connexio

* in Hiſpanio f. m. 33. col. 2. in Germanico f. m. 4. col. 2. in fine.

xio hujus dicti in corpore Talmudico Tr. Beza f. 25. col. 2. poſt med. ubi talia præcedere videmus: *Societas ſive diſcipuli Rabbi Iſmaelis hanc tradunt traditionem, cum Deus dixit Deut. 33. v. 2.* מימינו אש דת למו *ſic ſecum cogitavit ſanctus benedictus ille: digni ſunt Iſraëlitæ ut detur illis* דת אש *lex ignea. Alii ſunt qvæ dicunt* דתיהם של אלו אש *illorum Iſraëlitarum mos ſive genius igneus plane & ferox eſt. Si enim Deus legem ſuam illis (qvaſi frænum) non dediſſet, nulla gens coram illis conſiſtere potuiſſet. Qvod convenit cum illo, qvod dicere ſolebat Rabbi Simeon ben Lakiſch.* ( hic demum ſeqvuntur, שלשים הן עזין גו׳ qvæ in Philotheca notavit *Schikkardus*) *Tres ſunt feroces, animoſi &c.* qvis hic non videt, עזין non de impudentia ſed animo feroci & bellicoſo accipiendum eſſe, ni funiculum ex Arena nectere velimus. Connexioni etiam aſtipulatur commentarius Textui Talmudico adjunctus, qvem ſi vir eruditus inſpexiſſet, ex fortibus impudentes neqvaqvam feciſſet. Talia enim ad עזין annotantur עזין להנצח אגדרייש. בלעז i. e. עזין *accipe de fortitudine vinci neſciâ, qvales homines Lingva barbara ſeu græca ἀνδρας vocare ſolemus.* Huc accedit tertiò, qvod voce עזין per fortes & feroces reddita tria illa Exempla, ſaltem ex mente R. Simeonis, exactè qvadrant, qvod ſecus evenit, ſi vox *impudentes* ſubſtituatur. Licet enim facile concedam Judæos hodiernos vel impudentisſimos eſſe, qvæ tamen eſt impudentia ſingularis canis & galli præ omnibus animantibus & alitibus? Contrà vero ut ferociam & fortitudinem eximiam his nemo negaverit, ita Judæis qvondam illam non omnino defuiſſe, ex iis qvæ *Joſephus* de Bello Judaico lib. 7. cap. 1. p. m. 943. & lib. 6. cap. 8. p. m. 923. & pasſim narrat, videre poſſumus. Nullus igitur dubito, qvin errorem in verſione B. Schikkardi mecum jam agnoſcas, cujus originem ſi conjectare licet, viro alias Hebraicè doctisſimo *Buxtorffium* impoſuiſſe exiſtimo, ex cujus forſan Lexico Talmudico, non vero ex ipſo Talmude, dictum hoc in Philothecam notâſſe mihi ex eo fit probabile, qvia ibi ſub voce עז eadem verſione reperitur. Qvod vero Buxtorffium in hunc errorem induxit, illud fuiſſe crederem, qvod eqvidem videret, tam ex Thisbi Eliæ Lev. qvam ex Aqvi-

Aqvinatis מעריך המערכות vocem עז duplicem habere ſignificationem & ad frontem relatam in malam, ad cor relatam in bonam partem eſſe ſumendam; at cum in hodiernos Judæos fortitudinem animumqve virilem nullum, ſecundum Deut. 32. v. 30. impudentiam vero inſignem animadverteret, primam ſignificationem præ altera amplectere maluit. Vides igitur qvam ſit humanum errare, imprimis etiam in Literatura Rabbinico-Talmudica, qvod & aliorum magnorum virorum Exempla teſtantur: ſiqvidem *Druſium* (a) ex Columbis, Iones homines Græcos, *Hackſpannium* (b) ex Moſis lecto funerali, baculum ejus feciſſe reperimus. Hæc tamen eo fine non loqvor, ut merito tantorum virorum literario detrahere qvicqvam, multo minus ſtudii Rabbinici qvalemcunqve notitiam jactare velim, qvin potius probè conſcius, qvam ſit mihi curta ſuppellex, plurimis Exemplis edoctus, vera eſſe novi, qvæ dicit Plato Lib. X. de Republ. p. m. 511. *πολλά τοι ὀξύτερον βλεπόντων, ἀμβλύτερον ὁρῶντες πρότερον εἶδον h. e. ſæpe contingit, ut qvi ſunt hebetiori acie, nonnulla prius intueantur, qvam qvi accuratius cernunt.* Iguoſce qvæſo, vir plurimum Reverende, ſi hiſce meis ratiunculis cimelio tuo cariſſimo qvicqvam apud te deceſſit pretii; manet illud meo calculo nihilominus non contemnendum Bibliothecæ tuæ ornamentum; itaqve ut annulum plurimis iisqve fulgidiſſimis adamantibus radiantem nemo rejicit, eo qvod in qvodam illorum amicus propius inſpiciens, nebulam aut maculam obſervavit, ita & hanc tuam tot magnis nominibus & exqviſitiſſimis ſententiis nitidè refertam Philothecam non minus ac olim caram tibi futuram confido.

Vale.

---

(a) Vid. *Dilheri* Diſp. Philol. T. 2. Diſp. IX. §. 1-6.

(b) *Hackspanius* de Cabbala ſudaica §. 162. ubi pro מִטָּה legit מַטֶּה ſenſu nullo aut plane inepto.

# NOVA LITERARIA
## MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS,
*Edita Menſe Februario MDCCI.*

### ROSTOCHII

Die 16. Jan. *Jan. Daniel Habichhorſt*, S. Theol. D. ejusdem P. P. & Sereniſſ. Duc. Mecklenb. Conſiliarius Conſiſt. Collegiiqve Prof. Ducalium, uti & Facultatis Theol. Senior, denuò publicavit *Theſes Exercitii Diſputatorii*, & qvidem hac vice in *Auguſtanam Confeſſionem*, Diſputationibus XXIV. abſolvendi, & diebus Merc. & Sabb. horis à 1. in 3. pom. in Auditorio domeſtico privato-publico inſtituendi, qvod ſeqventes 9. Studioſi in ſe receperunt, factoqve die 19. Jan. initio ita præſtituri ſunt, ut dicto Prof. Præſide *octo* ex illis partes opponendi & reſpondendi ordinarias ſuſcipiant, & duobus ſemper Reſpondentibus more pridem recepto adhibitis (qvorum alter Aſſiſtentis, alter Aſſumentis munere fungatur) ſexies illas inter ſe partes reciprocent; *nonus* verò (qvi cæteroqvi in ordine hîc primus) ſemper ſit paratus, ut aliis qvandoqve abſentibus, ipſe defectum ſive Aſſiſtendo ſive Opponendo ſuppleat. Scilicet 1. *Rudolph Petrus Schröder*, 2. *Johannes Gerlach*, Elbing. Pruſſus. 3. *Jacobus Flensburg*, Scanus. 4. *Martinus* Pöhle/ Landsbergâ-Marchicus. 5. *Johannes* Backmeiſter/ Travemundâ Lubec. 6. *Joachimus* Brücke/ Bernſtein-March. 7. *Adolph. Frider.* Derrmann/ Strelitziâ-Mecklenb. (qvi ſupra Menſe Jan. p. 2. jam nobis laudatus) 8. *Joachimus* Röhle/ Warbend-Mecklenb. & 9. *Martinus Joach.* Bornemann/ Wismarienſis.

Die 22. Jan. *Joh. Petrus* Grünenberg/ Phil. & S. Theol. D. P. P. Ord. & Conſiſtorii Ducalis Aſſeſſor, Diſtrictus Mecklenb. Superintendens, atqve h. t. Facultatis Theol. Decanus, Diſputationem Theologicam, de *Atheorum Religione Prudentum*, Reſpon-

dente *Joh. Chriſtiano* Schwartzen / Rulshagâ-Mecklenb. (cujus jam ſupra in N. L. a. 1700. p. 329. meminimus) ventilandam exhibuit. (9. plag. in 4.)

Die 26. Jan. *M. Georg. Raphelius*, Lubenſis Sileſius, Diſputationem Philologicam, qvæ *Problema de Analyſi Logica, exemplis illuſtratum*, exhibet, Reſpondente *Dieterico Hermanno Kemmerich*, Palæo-March. defendit. (2. plag. in 4.)

Die 29. Jan. Præſide *Caſp. Matthæo Müllero*, J. U. D. & Inſtitutionum P. P. Ducali Ordinario, Diſſertationem Juridicam *Theſes controverſas de Nuptiis*, continentem, publico examini ſubmiſit Reſpondens *Dieter. Chriſtoph. Bock*, Hamburgenſis, (1. plag. in 4.)

## STRALESVNDAE

Relationes vernaculæ, numero tredecim, reportatam de Ruſſorum gente an. 1700. d. 20. Nov. victoriam continentes, prodierunt, ſub titulo: Glorieúſe Nachricht̃en des Sieges / ſo die Königl. Schwediſche Waffen wider den Moſkowiter befochten. (9. pl. in 4.)

## GRYPHISWALDIAE

Die 26. Ianuarii eximiâ funeris deductione, ſepulcro illatus eſt *Cunradus Tiburtius Rango*, SS. Theol. D. & Prof. primarius, Conſiſtorii Regii Præſes, & Eccleſiarum per Pomeraniam Citeriorem, ut & Rugiam Superintendens Generalis. Ampliſſimô hic, & antiqviſſimæ Nobilitatis, ſtemmate (de qvo peculiari Epiſtolâ non ita pridem egit *D. Joh. Gvil. Pfennigk*) editus & natus fuit Colbergæ an. 1639. d. 9. Aug. jactisqve in ſcholâ patriâ, uti & in Gymnaſio Halenſi ſtudiorum fundamentis, decimo qvinto ætatis anno Academias adiit, ac in Jenenſi primùm, deinde in Gieſſenſi literis incubuit. Luſtratis poſtea potioribus ſuperioris Germaniæ Academiis, ad Batavos progreſſus, per inferiorem Saxoniam domum rediit. Hinc an. 1660. ad Witebergenſem Academiam excurrit, ibidemqve dignitate Magiſterii ornatus, Francofurtum ad Viadrum conceſſit. Perfunctus deinde in Gymnaſiis, apud Berolinenſes qvidem per qvinqvennium

nium Rectoris, Profeſſoris Theologi atqve Philoſophi; Sedini verò per aliqvot menſes Profeſſoris Philoſophi munere, hoc poſteriori loco Eccleſiaſtes ad D. Jacobi fuit vocatus, & an. 1682. Paſtor Ædis Nicolaitanæ conſtitutus, ſupremos in Theologiâ honores Witebergæ ſuſcepit. Tandem an. 1689. Auguſtiſſimus Veciæ Rex eum Eccleſiarum Citerioris Pomeraniæ Præſulem, loco B. *Auguſtini Balthaſaris*, eſſe voluit, cui dignitati ſexageſimo ſecundo ætatis anno, Chriſti verò 1700. die 3. Decemb. immortuus eſt, ex viduâ ſuperſtite tribus filiis totidemqve filiabus relictis. Inter filios eminet *Joachimus Johannes Rango*, I. V. D. & ſtrenuus apud Lubecenſes cauſſarum Patronus. Filiarum natu maxima ante Patrem obiit, elocata olim *Johanni Jacobo Stolterfotho*, Phil. & Med. D. hujusq; in Academiâ Gryphicâ Prof. & Practico Lubecenſi felicisſimo. Juvat hîc ſubnectere Syllabum Scriptorum Rangonianorum.

*Edita.*

Tract. de Paradiſo, 4to. Gieſſ. 1657.
de Deſcriptione Univerſi Orbis à Julio Cæſare facta, in 4t. Ff. 1663
de Accentuatione Hebræorum, in 4t. ib.
de Vitâ Romuli, in 4t. Ibid.
de Vitâ Julii Cæſaris, in 4t. Ib.
de Vitâ Juſtiniani, in 4to, ib.
Comment. ad Pſ. CXXXIII, in 4to, ib.
Comment. ad Apographen Auguſti Luc. II, 1. ſeqq. in 4to, ib.
Tract. de Capillamentis, vulgò Paruquen / 12. Berolin. 1663.
de Curculionibus, von den Korn-Motten / 12. 1665.
de Patronis, Advocatis, & Clientibus, 12. 1665.
Faſciculus Diſſertationum Philologico-Philoſophico-Hiſtorico-Theologicarum.
Matæologia Papiſtica, 8vo.
Nucleus Inſtitut. Phyſ. Sperlingii, 8vo.
Tract. de Adamante, 8vo.
de Uſu Præceptorum Logices, 12.
Encyclopœdia Facultatum omnium, fol.
Hiſtoria Syncretiſmi ab Orbe Condito, Pars I. & II. 12. 1674. & 1680.

Obex Syncretiſmi Formulæ Concordiæ, 12. 1683.

Faſciculus Concionum Funebrium & Sermonum Parentalium.

Uncatholiſch Pabſtthum contra Digitum in Trivio Abbatis Neo-Cellenſis Alberici à Burghof. Acceſſere: Goliaths eilfertige Antwort auff ſpeculum ſine maculâ; Copia Brieffes eines guten Freundes/ & alia ejusdem argumenti.

Porta Cœli, oder Cantzel-Weyh-Predigt zu Stetin/ 4to, 1680.

Doli & Fraudes Pſeudo-Theologorum detecti cum Annot. Hiſtorico-Theologicis, 4to, 1682.

Diſputatio Inauguralis de Deſcenſu Chriſti ad inferos.

Warnung an das Königreich Schweden vor Abr. Sculteti und Martini Mölleri Calviniſche Poſtillen/ vor Statii Schatzkammer/&c. 4to, 1683.

Auguſtana Confeſſio Editionis incorruptæ cum ejusdem Hiſtoria, 12 1684.

Svecia Orthodoxa, 4to, 1688.

Neue Quäckerey in der Quietiſterey i. e. Hiſtoria und Warnung vor der Quietiſterey des Molinos, 12.

Entſcheidung etlicher Fragen durch Reſponſa der Theologiſchen Facultät zu Leipzig/Wittenberg/&c. contra Lic. Ammonem.

Kennzeichen eines Ketzers Nic. Hunnii überſetzt.

Blick in den Abgrund der Papiſtiſchen Greuel/ occaſione des Ungariſchen Bekändtniſſes / an derer Warheit/ob ſie der Jeſuiten wäre/ gezweiffelt ward/ 4to, 1689.

Sendſchreiben von der Muſic ; alten und neuen Liedern.

Send-Schreiben vom Nordpol.

Prudentia Eccleſiaſtico-Politica circa errores & hæreſes, 12, 1664.

Acta Rectoratus & Decanatus, 4to.

Der Rangoniſchen Naturalien-Kammer Erſtes und zwar Schönbergiſches Cabinet von Mineralien/ fol.

de Macariſmo ſ. de Verâ Beatitudine Libellus ad Matth. V, 1-10.

*Prelo matura.*

Hiſtoria Perfectiſmi à mundo condito.

Hiſtoria Eccleſiaſtica Sæculi XVII.

Hiſtoria

Hiſtoria Syncretiſmi à mundo condito, cum augmento magno.
Der Rangoniſchen Naturalien-Kammer zweytes/drittes und vierdtes Cabinet, fol.
Epiſtolæ Curioſæ.
Tract. de capillamentis, Pars II.

## GEDANI

Die 7. Octob. anno 1700. Athenæi Gedanenſis Rector, *Samuel Schelgvigius*, S. Theol. D. & P. P. atqve Eccleſiæ ad SS. Trin. Paſtor, *M. Danielem Gradium*, Dantiſcanum; novum Græcæ Hebraicæqve Lingvæ Profeſſorem introduxit, habitâ Oratione *de Vtilitate, qva brevi poſthac Eccleſiæ, ex literarum Græcarum culturâ, imminere videtur*; Hic verò munus demandatum auſpicatus eſt oratione, *de Odio, qvo Judæi nonnulli in ſtudia Græcarum literarum feruntur*; & brevi poſt Lectionum publicarum ſeriem, in Acroateriis ordinariis habendarum, ut & Methodum ſibi obſervandam publico Programmate expoſuit.

Modò dictus *M. Daniel Gradius*, ex Athenæo patrio; ubi ductus & doctus erat; an. 1688. habitâ prius Diſputatione de *Juſtificatione & Bonis Operibus ex Marci Eremitæ libello, de iis; qvi putant ſe ex operibus juſtificari*; ad Academica abiit ſubſellia, & in Academiis Gryphisvvaldenſi, Roſtochienſi, Kilonienſi; Lipſienſi & Witebergenſi literis operam dedit. Studiorum progreſſus diverſis demonſtravit ſpeciminibus; Witebergæ enim Præſide D. *Ioh. Georg. Neumanno*, Diſputationem Theologicam *Tremulis modernis*; Gryphisvvaldiæ verò ſub *Brandano Henrico Gebhardo* Diſſertationem *de Nomine Dei Tetragrammato* ventilavit: Hinc Oratione Hebraicâ *de Idololatriâ Judæorum hodiernorum*, profectus in ſanctâ lingvâ publicæ luci expoſuit: deniqve & Præſes Exercitationem Philologicam ad 1. Cor. XV, 29. de Βαπτιζομένοις ὑπὲρ τῶν νεκρῶν defendit. Domum reverſus; non ſolùm freqventiſſimè pro concione verba fecit; ſed & per Collegia Græca, Hebraica, Chaldaica & Syriaca; qvæ diſcentibus aperuit; Philologica ſua ſtudia excoluit.

Die 15. Octobris *M. Johannes Schelgvigius*, Eccleſiæ Kæſemarcenſi in Inſulâ Gedanenſium, Paſtor præficiebatur. Natus ille eſt Thorunii 1671. 25. Novembr. Patre *Samuele Schelgvigio*, tunc Gymnaſii illius Conrectore & Profeſſore. Jactis in Athenæo Gedanenſi ſtudiorum fundamentis, eadem primùm Lipſiæ, ubi 1692. Philoſophiæ Baccalaureus & 1694. Magiſter renunciabatur, atqve pòſt Witebergæ, qvæ eundem 1697. Philoſophici Collegii Adjunctum eſſe volebat, continuavit. Anno 1694. Patris in itinere comes, Academias, Jenenſem, Halenſem, Helmſtadienſem, Rintelenſem, Kilonienſem, Roſtochienſem & Gryphisvvaldenſem, luſtravit. Anteqvam domum reverteretur, in Poloniâ Coronationi Regiæ & Comitiis Cracoviæ habitis adfuit. Profectus ſtudiorum ſeqventibus probavit ſpeciminibus:

Gedani 1686. 19. Decembr. moderante & Programma præmittente *Johanne Stephani*, Lingvæ Polonicæ Lectore, dixit Polonicè *de Victoriâ Johannis III. Poloniæ Regis, contra Turcas,*

1688. 29. Januar. dirigente, & per Programma Auditores invitante, *Joh. Petro Titio*, Eloqvent. & Poet. Prof. P. auditus eſt, *de reperto, qvem vocant, novo orbe.*

1692. 18. Auguſti ſub *Parente ſuo*, reſpondendo defendit Segmentum III. in Parte I. Qvakeriſmi confutati, *de Principio cognoſcendi*, (pl. 3½.)

Eodem an. 2. Octobr. in Cathedra viſus eſt ſub Præſidio *M. Joh. Chriſtoph. Roſteuſcheri*, Jun. Philoſoph. Prim. & Pract. Prof. Publ. & Bibliothecario, ut Auctor & Reſpondens, *de Immoderata Philoſophi curioſitate.* (pl. 4½.)

Lipſiæ 1694. d. 10. Decembr. diſputavit *Præſes*, *de Fonte moralitatis*, Reſp. *Andreâ Friderico Crellio*, Neoſtad-Franco. (pl. 2.)

Eodem anno cum Academia, Nativitatis Chriſti ſacra, ſolenni ritu, ut fieri qvotannis ſolet, celebraret, ex ambone templi Paulini Latinè verba fecit, Programmate à Rectore & Senatu Academiæ præmiſſo. (pl. 1.)

Wi-

Witebergæ 1695. 13. Novemb. pro Habilitatione qvam vocant, ſub Præſidio *Chriſtiani Rœhrenſee* Philoſ. Pract. Prof. Publ. & Elect. Alumn. Ephori defendit Theſium moral. denarium. (pl. ½.)

Eodem anno 18. Decembr. *Præſes* egit *de Obligatione Sepulturæ*, Reſp. *Samuele Müllero*, Freiburg. Miſnico. (pl. 2.)

1697. pro Loco in Facultate Philoſophica ſibi conceſſo diſputavit *de Verbis Hebræorum*, Reſpond. *Joh. Adamo Hellero*, Dittenheimenſi Franco. (pl. 3½.

Præterea nuper ex Typographiâ Stollianâ prodiit *Joh. Bœhmii*, Scholæ Paſſenheimenſis in Boruſſiâ Rectoris, *Sermo Pentecoſtalis, excitans ad Sedulitatem Auditorem in audiendo Verbo Dei* conſcriptus carmine elegiaco. (pl. 2½.)

Item *D. Johannis Maukiſchii* Hertzens-Andacht über die Evangelia/welche des Sonntags und an den Haupt-Feſten in der Gemeine Gottes erkläret werden. Da aus jeglichem Evangelio die Haupt-Lehren kürtzlich heraus gezogen. Nebenſt den bekanten und in den Evangeliſchen Kirchen gewöhnlichen Melodeyen. in 12.

REGIOMONTI

*M. Michael Schreiber*, Eloqventiæ P. P. anno ſuperiori 1700. d. 7. Septemb. in funere *Henrici Julii Hagemann*, Archi-Presbyteri Ragnitenſis, Programma Germanicum edidit, cujus titulus: Die glücklich verrichtete Walfarth. (1. plag.)

Eodem anno d. 7. Novemb. aliud ejusdem Auctoris in funere *Balthaſaris Fiſcheri*, Scabinatus Cneiphof. Præſidis, ſub hoc titulo comparuit: Die wahre Unſterblichkeit. (2. plag.)

In exeqviis *M. Jacobi Tydæi*, Archi-Presbyteri Fiſchhuſini, die 16. Novemb. celebratis, aliud hâc inſcriptione publicavit: Schwere Bürde in der Prieſter-Würde. (2. plag.)

Cum *M. Danieli Hoynovio*, die 14. Nov. juſta perſolverentur, publico Academiæ nomine, ſupra laudatus Auctor Programma Latinum, qvod oſtendebat, *Viris eruditis, qvi famam ſuam ſcriptus extenderunt, nunqvam brevem contingere poſſe mortem*, evulgavit. (1. plag.)

Die 13. Januarii 1701. Præſide *Gothofredo* Sand/Phil. & Med. D. &

P.

P. P. Reſpondens *Georgius Albertus* Stolß / Inſterb. Pruſſus, Med. Studioſus, Diſſertationem Medicam, *qvâ fungus Cerebri in Generoſo Eqvitum Pruſſorum Viro, anno* 1696. *inventus & extirpatus, nec non qvæſtionum circa Tractationem hanc mobilium, ſuccinctè enodatarum Qvindena* publico Eruditorum examini exponuntur, ventilavit. (4½. plag. in 4.)

Præter modo dictam Diſſertationem eodem Præſide Diſputationes ſeqventes hactenus prodierunt:

Anno 1674. d. 27. Aprilis, abſolutis peregrinationibus in patriam redux, pro Receptione in Facultatem, Reſpondente *Georgio* Raſt/ Pruſſo, Diſputationem *de Menocryphiâ* habuit, cui Coronidis loco annexa eſt tractatio: *An fœmina concipere poſſit, cui nunqvam menſes fluxêre, aut an propterea ſterilis declaranda ſit?* (3. plag. in 4.)

Anno 1682. d. 4. Junii Diſſertationem de *Incertitudine Signorum conceptionis*, Reſpondente *VVilhelmo* von Lenten/ Regiom. Pruſſo, ad diſputandum publicè propoſuit. (5½. plag. in 4.)

Anno 1682. d. 24. Septembris, horis ante- & pomeridianis pro Loco Extraordinario in Profesſione Medicâ obtinendo, Diſputationem *de Diabete*, ſeu tractationem Caſus LIII. Cent. II. Obſervat. Medic. *Philippi Salmuth*, Reſpondente *Johanne Georgio* Seltz/ Regiomontano, publico examini ſubjecit, (3. pl. in 4.)

Anno 1683. d. 28. Junii, ſub Ejusdem Præſidio *Daniel* Boß/ Regiomont. Pruſſus, Auctor & Reſpondens *de area generibus, Alopeciâ & Ophiaſi*, publice diſputavit. (2. plag. in 4.)

Anno 1685. d. 20. Septembris, Eodem Præſidis munus ſuſtinente, *Chriſtophorus à* Lohen/ Pruſſus, Diſſertationem *de Sapore* ventilandam exhibuit. (2. plag. in 4.)

Anno 1693. d. 19. Novembris eodem hoc Doctore Præſide Auctor & Reſpondens *Johannes Mahraum*, Caſum Medicum *de Petechiis*, publicè diſputando tractavit. (1½. plag. in 4.)

Sed miſſis hisce Novis Academicis, majoris paullò ponderis res referenda eſt, nuperrima ſcilicet *Ducatus Pruſſiæ in Regnum erectio*,

*erectio*, primiqve *Regis* FRIDERICI, Potentisſimi hactenus *Brandenburgenſis Electoris* (iſtius nominis III.) *Inauguratio*, qvæ die 18. Januarii præſentis anni 1701. ſolenni pompâ Regiomonti fuit peracta. Cui tamen prolixius recenſendæ haud immorabimur cum brevi eadem peculiari tractatu deſcribenda ſit. Hoc ſaltem addimus, die 23. Ianuarii Cives Academicos S. R. Majeſtati *Concentu Muſico* ſuam teſtatos eſſe obſervantiam, Oratore FRIDERICO WILHELMO, Sleſvic. & Holſatiæ Duce; Ductore verò *Carolo Ludovico*, S. R. I. Truchſesſio Hereditario, Comite de VValdburg. Succesſit die 25. Ianuar. Actus Panegyricus devotisſimo novi Regis honori ab Academiâ dicatus, qvô Orationem dixit M. *Michael Schreiber*, Eloqv. P. P. Ordinarius, ipſo Rege, cum 6. Principibus, & omni Aulæ Magnificentiâ, præſente. Oratio illa jam ſudat ſub prêlo. Programmate, qvod præcesſit, *variæ periodi Boruſſiæ* recenſentur.

## RIGAE.

Operâ & ſtudio *Erneſti* Glück / Præpoſiti Diſtrictus Kockenhuſici & Mariæburgi Paſtoris, ſuperiori an. 1700. ſecundâ vice prodiit *Catechiſmus minor Lutheri*, Linguâ Letticâ, apud Typographum Regium Joh. Georg. VVilcken. (5. plag. in 8.)

Typis qvoqve exſcriptus *Catechiſmus Lutheri*, Qvæſtionibus & Reſponſionibus paullùm prolixioribus adornatus, & Dictis Scripturæ probantibus confirmatus, Linguâ eadem Letticâ, apud eundem. (10. plag. in 8.)

*Adriano Virginio*, Oderypæ haud procul Dorpato Paſtore, obſtetricante, *Catechiſmus Lutheri* dialecto Dorpatenſi-Eſthonicâ denuò recuſus eſt. (7. plag. in 8.)

His ex libris eò uberior cognitionis Divinæ & pietatis fructus inter Ruſticos Livonos ſperatur, cùm qvam plurimi illorum, præſertim Diſtrictus Kockenhuſici incolæ, à nuperâ Ruſſorum irruptione, non ſine Numine, immunes ſe videntes, Liberos ſuos catervatim ad ſcholas vernaculas amandare incipiant, adeò ut Præce-

ptores numero & oneri impares, lectitantes liberos ad reddendas rationes evocare qvotidie vix posſint.

## HOLMIAE

Superiori anno 1700. menſe Decembri p. 368. Clarisſimæ Septentrionis Muſæ, *Sophiæ Eliſabethæ Brenner*, mentionem fecimus. Hæc inter varia elegantisſimi ingenij monumenta, Latinô hactenus, Germanicô, Svecicôqve ſermone edita, (qvæ ſtudiosè colligi, unôqve volumine comprehendi merentur) inſigne nuper Carmen Germanicum in *Laudem Picturæ* compoſuit, novæ editioni Libri, ab ipsâ an. 1694. primâ vice editi, qvô celeberrimi Pictoris Regii, ſed jam vivis erepti, B. *Davidis* Klöcker Ehrenſtrahl/ Picturas, in Palatiis Regni Sveciæ obvias, deſcripſit, præfigendum, qvod ita habet:

Uber Hr. Ehrenſtrahls künſtlich verfertigte Schildereyen.

Es rühret / wie bekant/ von unſers Geiſtes Trieb/
Es iſt und bleibt die Art und Eigenſchafft der Seelen/
Ein Funcken / der uns noch aus Eden übrig blieb/
Ein Strahl des erſten Lichts / unſchätzbar hoch zu zehlen/
Wann ein erleucht Gemüth/ das Glut und Himmel fühlt/
Auff irgend etwas ſinnt/ wodurch ſein Angedencken
Sich nicht ſo leicht / wie er / läſt in die Grufft verſencken/
Und auff die Ewigkeit mit ſeinen Nahmen ziehlt;
Der / weil er nicht vermag den Todt zu hintertreiben/
In ſeinen Wercken doch unſterblich ſucht zu bleiben.

Wenn Archimed in Ertzt der Sternen Lauff läſt ſeh'n;
Ein Dædalus die Lufft durch ſchnelle Flügel trennet;
Bachan, ſo offt er wil / den Regen heiſt entſteh'n/
Und Proclus gantze Schiff durch Spiegel-Glaß verbrennet;
Des Berthold's Büchſe Blitz und Feuer-Flammen ſpeit;
Columb und Magellan nicht eher ruhen können
Biß daß man eine Welt nach iedem weiß zu nennen:
Wo ziehlt diß anders hin/ als auff die Ewigkeit?

Glaub=

Glaubt / daß ſie nicht ſo ſehr Geheimnüß zu ergründen/
Als die Unſterbligkeit hiedurch geſucht zu finden.

Die / ſo ſich mit der Fauſt bekant und groß gemacht/
Und denen eine Welt nur viel zu eng geſchienen/
Hat zwar die Herſchens-Sucht in Stahl und Harniſch bracht/
Die doch der Ehrſucht nur zum Vorwand müſſen dienen.
Welch Plato hätte wohl/ welch kluger Cicero,
Sich mühſam Tag und Nacht zu Tode faſt geſchrieben/
Im Fall ſie nicht der Ruhm zu Dingen angetrieben/
So noch die kluge Welt begierig macht und froh?
Wo wäre Kunſt und Witz und Weißheit hin verſchwunden/
Im Fall ſich dieſer Trieb beym Menſchen nicht gefunden?

Itzt/ da die Tugend nicht ſo/wie vor Zeiten / gilt/
Da man ihr nicht einmahl den Nahmen denckt zu gönnen/
Viel weniger noch die mit Ehr und Schätzen füllt/
Wie vormahls doch geſchah/ die ſich zu ihr bekennen:
Noch dennoch bleibet diß der Seelen eingeprägt:
Je edler unſer Geiſt / je mehr iſt ſein Bemühen
Sich der Vergeſſenheit / wo möglich/ zu entziehen.
Diß iſts / was einzig noch zur Tugend Luſt erregt;
Sonſt würden alle die/ ſo freye Künſte treiben
Den Muſen dancken ab / und bey der Schmiede bleiben.

Wenn aber/ wie man weiß / es heute noch geſchicht/
Daß itzt mehr/ als vorhin/ die Künſte bey uns blühen;
Da ein verſchmitzter Kopff ſich Jahr und Tag bemüht/
Biß er/was keiner je erſan/ kan vollenziehen;
Biß er/was Frembden auch höchſt frembde kömmet vor/
Durch ſchwaches Holtzwerck kan die gröſte Laſte heben/
Daß Waſſer über ſich/ der Berge Marck daneben/
Ans tieffer Erden Schlund biß in die Lufft empor:
Ein ſolcher/ ob er gleich nicht groſſen Lohn zu hoffen/
Behält er nur den Ruhm/ ſo hat ers Ziel getroffen.

So gleichfals iſt es auch mit derer Thun bewandt
Die ſich das Alterthum gewehnen durchzugrübeln/
Man macht auff ſolche Art ſich zwar der Welt bekant/
Wenn nur nicht Freund und Feind es ſuchten zu verübeln:
Doch weil ein ſolcher theils auff ſein Vergnügen ſchaut;
Mehr aber/ daß er diß mit Gründen kan erweiſen/
Daß unſre Vorfahrn Oſt-und Weſter-Gothen heiſen/
Vor denen ehmahls offt den Römern ſelbſt gegraut/
Läſt er um eine Schrifft von etwa tauſend Jahren/
Und einen Pfenning offt ſein halb Vermögen fahren.

Wie mancher / der der Kunſt von Jugend ſich geweiht/
Dem ihre Liebligkeit die Sinnen eingenommen/
Schätzt/wie geſchickt er iſt/nichts für Geſchicklligkeit/
So lang er in der Kunſt noch höher weiß zu kommen?
Kein Reiſen/keine Müh/kein langſam Ungemach/
So ſonſt Verdruß erweckt/ kan ſeinen Vorſatz ſtöhren/
Durch unermüdeten Fleiß ſein Wiſſen zu vermehren/
Drauff ſinnt er Lebenslang / und meinet daß der Tag
Verworffen heiſſen muß/ an dem er nichts verrichtet/
Wofür die Nachwelt ihm noch künfftig ſey verpflichtet.

Jedennoch aber kan nicht jeder Künſtler gleich
Sich auff die Ewigkeit mit ſeinen Nahmen ſpitzen/
Auch eben jede Kunſt nicht für das bleiche Reich/
Die ſie erzogen hat/ mit ihrem Anſehn ſchützen;
Wer aber Zeit und Todt / wer Untergang und Neid/
Sich ſelbſten / und ſein Glück gedenckt zu überſteigen
Der ſchenck und gebe ſich der Wiſſenſchafft zu eigen/
Die andere übertrifft an Glantz und Würdigkeit/
Der edlen Mahlerey / der Mutter ſchönſter Gaben/
Die von den Sternen ſelbſt den Urſprung ſcheint zu haben.

Und warlich iſt es ſo; denn/ hat des Himmels Gunſt
Dem menſchlichen Verſtand was höhers können reichen/

Als

Als da der Menſche ſich GOtt nähert durch die Kunſt/
Und ſeinem Schöpffer ſelbſt bemühet iſt zu gleichen ?
Er bildet im Gemüth/ was nie ſein Auge ſah/
Und ſein Gehirne weiß / wie Götter zu empfangen/
Indeſſen weiß die Kunſt ihm ſo die Hand zu langen/
Biß was ſein Witz erſan/ im Wercke ſtehet da.
Doch keinem/ keinem iſt der Himmel ſo geneiget/
Der von der Mutter ward mit grober Milch geſeuget.

Denn dieſes muß ſo fort ſeyn auff die Welt gebracht/
Wodurch ein Mahler groß und Welt-berühmt ſoll werden;
Des Himmels Einflüß/ der die Geiſter rege macht/
Eilt zur Vollkommenheit/ auch ſonder viel Beſchwerden.
Und ob die Ubung zwar der Kunſt die Hände reicht:
So bleibt es doch dabey : daß Mahler und Poeten
Die haben die Natur als Meiſterin von nöthen/
Weil keiner ohne ſie biß auff den Gipfel ſteigt;
Was Fleiß und Arbeit ſchafft / iſt halb und halb verlohren/
Im Fall die Fähigkeit uns nicht iſt angebohren.

Aus dieſer Urſach hat das weiſe Griechenland
Die Künſtler ihrer Zeit ſo hoch ans Bret gehoben.
Wie weit Philippens Sohn der Erden iſt bekandt/
Da hört man neben ihm Apellens Pinſel loben;
Es darff Parrhaſius den Purpur und die Krohn
Bloß wegen ſeiner Kunſt frey ungehindert tragen;
Die Siege Griechenlands/ wo Perſien geſchlagen/
Mahlt Polignotes ab/ und kriegt vom Staat zu Lohn/
Daß man durchs gantze Land/wohin er wollen reiſen/
In jeder Stadt ihn ſolt auff freye Koſten ſpeiſen.

Und rühmt nicht Fabius ſich dieſer Würden bloß/
Wenn er als Mahler nur zu Rom wil ſeyn geprieſen?
Da doch ſein Edles Hauß durch Helden worden groß/
Die ihrem Vaterland die größten Dienſt erwieſen,

Vom fünfften Käyſer Carl erlanget / wie bekant/
Der Mahler Titian Begnadungen und Titel/
Wird Ritter/Graff und Rath/ läſt ſeinen Erben Mittel;
Ja diß/ was höher noch; des Reiches Adel-Stand.
Pabſt Leo aber weiß nichts höhers zu erdencken/
Drum wil er Raphaeln den Cardinals-Hut ſchencken.

Jedoch/ was Müh ich mich umb die/ ſo hundertmahl
Bald Rom/bald Griechenland/auffs beſt heraus geſtrichen?
Gantz Schweden weiß ſich groß mit einem Ehrenſtrahl/
Den keiner übertrifft/ dem tauſend ſind gewichen.
Hat nicht ſein hoher Geiſt durch die geſchickte Hand
Auch über die Natur ſich öfftes hoch geſchwungen?
Was keinem Meiſter noch vollkommen iſt gelungen
Dadurch wird er ſo ſehr bewundert / als bekant/
Denn da die Mahler ſonſt meiſt eine Art erwehlen/
Hats unſerm Künſtler nie in keiner müſſen fehlen.

Man wirfft nicht ohne Fug den kühnen Gothen für:
Sie hätten alle Kunſt aus Welſchland weggetrieben.
Itzt wirckt die Wunderkrafft von dieſem Strahl alhier/
Daß auch im kalten Nord die ſchönſte Kunſt beklieben /
Indem ſein theurer Fleiß nur Wunderwercke zeugt/
An welchen Könige vergnügt die Augen weiden.
Man darff nicht/ wie vorhin Italien beneiden/
Dieweil Herr Ehrenſtrahl im höchſten Grad erreicht
Was nach der Welſchen Art den Farben Geiſt und Leben;
Der Stellung aber Krafft und Anmuth weiß zu geben.

Zudem iſts offenbahr/ daß eine Schilderey
Und eines Künſtlers Hand die Thaten groſſer Helden
Nicht weniger der Welt durch Bilder bringet bey /
Als dieſes was man hört in den Geſchichten melden:
Diß machts/ daß unſer Hoff mit ſeiner Arbeit prangt/
Und unſers Königs Hauß nur Kunſtſtück weiß zu rühmen/

Am

An die man gar nichts darff beſchönen noch verblümen/
Ja kaum zu ſchätzen ſind; Er hat den Preiß erlangt/
Daß ſeinen Wercken diß zum Vorzug wil gebühren:
Daß ſie nur Gottes Hauß und Königs Zimmer zieren.

Und wie erkühn ich mich mit Worten zu erhöhn
Diß/ was ihn würcklich ſchon den Sternen gleich erhoben?
Wems einmahl nur gelückt/ ein Kunſtſtück anzuſehn
Wird mercken/ daß es ſchwer nach Würden es zu loben;
Wenn aber ſein Gemüth/ daß aller Mißgunſt frey
Noch ſchrifftlich diß der Welt zum Nutzen wil gewehren:
Wie ein Gemählde recht verſtändlich zu erklähren/
Wie diß und jenes Stück recht zu verſtehen ſey/
So muß es zwiefach auch zu ſeinem Ruhm gedeyen/
Und er verewigt ſeyn durch ſeine Schildereyen.

Sophia Eliſabet Brenner.

Titulus Libri ſupra memorati hic eſt: Die vornehmſte Schildereyen/welche in denen Palläſten des Königreichs Schweden zu ſehen ſind/inventiret/verfertiget und beſchrieben von David Klöcker Ehrenſtrahl/ Königlichen Hoff-Intendanten. Stockholm/ 1694. (8½. pl. in fol.) Eodem auctore antehac prodiit: *Certamen Eqveſtre, cæteraqve Solemnia, Holmiæ Svecorum an. 1672. Menſe Decemb. celebrata, cum CAROLVS XI. omnium cum applauſu aviti Regni Regimen capeſſeret*; Qvi liber etiam Germanico idiomate editus, hôc titulô: Das groſſe Carroſel und prächtige Ring-Rennen/ nebſt dem/ was ſonſten prächtiges zu ſehen war/ als der Durchl. Groſzm. König und Herr/ CARL der Eilffte/ die Regierung ſeines väterl. Erb-Königreichs an. 1672. den 18. Dec. in ſeiner Königl. Reſidentz zu Stockholm antratt. (9. plag. & 62. Figur. æri. in fol.)

GOTHOBVRGI

*M. Eliæ Parnovio*, in Gymnaſio hactenus Moral. & Hiſtor. Lectori; nunc vero ad Eccleſiam Vdevvallenſem evocato, *M. Jacobus*

*cobus* von *Ackern*, Gothoburgo-Weſtrogothus, *cœcus*, ſucceſſit, atqve demandatam provinciam Oratione inaugurali & introductoriâ de *Philoſophiæ Moralis Studio*, d. 31. Auguſti an. 1700. fuit orſus, invitante ad eum Actum *Olao Oterdal*, S. Theol. Lectore & p. t. Gymnaſii Rectore. Hac occaſione *Laurentius Forſſelius* Præpoſitus & Paſtor in Allingsǒhs/ Carmen Elegiacum in honorem ejus ſcripſit, qvod hic ſubnectere placet:

Huc citò ferte pedem, docti concurrite Cives,
  Maxima nam Superum res memoranda venit.
Illuxit jam rara dies, qvâ rarior ævo
  Non ullo Gothicos hactenus ornat agros,
Cœcus adeſt Ductor, ducturus ritè videntes
  Ingenuâ, ſed qvam non videt ipſe, viâ.
Cœcus adeſt Doctor, docturus Palladis artes,
  Ac lucem in tenebris, qvâ caret, ipſe dabit.
Qvis non hæc Sveticæ ſtupeat miracula terræ?
  Qvis non hîc videat facta ſtupenda Dei?
Concelebrant veteres, ſed paucos, artis alumnos
  Pieriæ, qvorum lumina noctis erant.
Adſpiceret mundi nè res conſtanter inanes
  Democritus, viſum deſtruit ipſe ſibi.
Didymus à puero viduatus lumine, libros
  Scripſit in Ægypti commodâ ſacræ ſuæ.
Stoicus amiſſis oculis Diodorus, in artes
  Expedit ingenii ſemina, mentis opes.
Nicaſio Belgæ cœco ſunt juris honores
  Collati, noſtro nobile Londa dedit.
Ecce! Magiſterii nomen, qvi cœcus ab ulnis
  Extitit, & Gothica natus in urbe fuit,
Atqve bonis ibidem multos excultus in annos
  Artibus, & Scanicum mox Helicona petit.
Venit & auſcultat Patribus: ſtupet omne Lycéum,
  Aonium pergit, currit, anhelat iter,

Mi-

Mirantur Patres cœcum ſuperare videntes,
Dignaqve res ſerâ poſteritate cani.
Ad Laurum properat Sophiæ: jam diſputat, urget,
Abſolvitqve brevi Dexteritatis opus.
Proclamat cœcum celeberrima Londa Magiſtrum,
Ac ſibi præ multis illud honoris habet.
Audiat hoc Batavus, miretur, Teuto, Britannus,
Qvicqvid & externus dotis Apollo tenet.
Contigit in Sveticis res hæc memorabilis arvis
Contigit hæc nobis Dextera mira Dei!
Auditu meruit, non viſu præmia: fidis
Diſcite jam Juvenes auribus iſta capi.
Claudite corporeos, expandite mentis ocellos:
Muſæ, non Mundus, juſta brabéa ferent.
Qvæ Deus eximii largitus ſigna favoris
Congrator ſtudiis, docte Jacobe, Tuis!
Ingenii Lux illa Tui Tibi qvanta tot annos
Luxit, ad extremos luceat usqve dies!
Donec in ætherea Tibi lux æterna qviete
Detur, & Elyſiis vita beata locis.

## Ex NORDLANDIA.

*Petrus Daſſius* Paſtor Alſtahaugenſis, (de qvo in N. L. an. 1700. p. 45.) Hymnos ſacros ex pericopis totius Anni Evangelicis & Epiſtolicis, Capitibus item Catecheticis, compoſuit vernaculos, typis jamdiu maturos, modo Editorem invenirent.

*Andreas Buſſæus*, Phil. Bacc. hos inter alios qvoqve ingenii fœtus parturit:

1. De luctu Romanorum tract. (ad eum ferè modum, qvo de luctu Ebræorum, *Geierus*, de Græcorum *Johanne Nicolai* ſcripſerunt)
2. Poëmatum Juvenilium lib. 2.
3. de Arithmeticâ Veterum, ſive variâ computandi & numerandi ratione apud Veteres Exercit.

4. De variis Ritibus ac Formulis precandi, ſalutandi & jurandi apud veteres.

5. Breves notæ ad Saluſtium Philoſophum, de Diis & mundo.

6. Additamenta ad Popmam de Differentiis Verborum.

BERGIS

*M. Severinus Lintrupius*, Def. Prof. Hafn. & Scholæ Bergenſis Rector, d. 7. Januarii ſolennem in Scholâ Bergenſi Orationem ſæcularem qvaſi Jubilæam habuit, qvâ de Memorabilibus Anni Sæcularis M DCC univerſis ſtrictim, hujus verò rem propius literariam ſpectantibus, 1. nempe Sæculi complemento, ſeu Anno ejus Colophonio. 2. Faſtorum Emendatione. 3. Jubilæo Eccleſiæ Romanæ ordinario &c. plenius diſſeruit; ad ductum *numi Sæcularis Romani*, cujus unâ parte Cardinalis exhibetur, habitu galeroqve inſignis, poſt aram ſtans in medio numo fumantem, dextrâ malleolum tenens Jubilæum, & duobus ſiniſtræ manus digitis compreſſis, thura in ignem ſuper aram injiciens, duobus Tibicinibus utrumqve ejus latus cingentibus, tribusqve labaris terræ infixis, uno qvidem à tergo Cardinalis literas IOBEL oſtendente, altero ad lævam Tibicinis dextri, literas, SAEC. M DCC. FINIT. repræſentante, & tertio ad dextram Tibicinis ſiniſtri, voces abbrev. FAST. CORR. exhibente, circulo numi impoſito: SAECVLARIA SACRA. Alterâ verò numi facie qvatuor exhibentur pueruli, qvatuor anni tempora deſignantes, &c. &c. addito circulatim legendo: FELICIA TEMPORA: Extimam deniqve numi oram illo ambiente Virgiliano: NVNC FORMOSISSIMVS ANNVS. Huic autem Rectoris Orationi coronidem geminâ Oratione metricâ bini addiderunt Hebeterii ejusdem Tyrones, Academiæ Candidati, *Erasmus Brunius*, Hafnienſis, *& Johannes Daniel Ramus*, Nidroſienſis, qvorum ille elegiaco carmine *ſtupenda Servatoris Natalitia*; hic autem heroico, *beneficia ſuperiori anno divinitûs collata deprædicavit, & pro felicibus ineuntis anni auſpiciis vota ſuſcepit.*

Ceterum dictus *M. Severinus Lintrupius* præter opuſcula jam an. 1699. in N. L. p. 14. 15. memorata, partim maturitatem, partim obſte-

ſtetricantes Bibliopolarum manus etiamdum exſpectantia, ſub manibus qvoqve habet, horis elaboranda ſubſecivis, publico olim, Deo volente, deſtinata:

1. *Controverſiarum Anti-Papiſticarum Syntagma vernaculum*, ea methodo adornandum, ut in ſingulis Controverſiis (α) *Status* & *Cardo qvæſtionis* accurate, planeqve ſimul ac plene formetur. (β) Verus *Orthodoxiæ ſcopus*, πρῶτον ἀληθὲς, ſeu *intereſſe* palam demonſtretur. (γ) *Sententia Orthodoxa*, dictis Scripturæ perſpicue reſolutis, rationibus item ac teſtimoniis Patrum atqve Adverſariorum ſelectioribus, ſolide ſed ad captum vulgi evidenter aſſeratur. (δ) *Erroris Papæ*, ipſis Adverſariorum verbis demonſtrati, *Origo* ex hiſtoria, & (ε) *Intereſſe*, ſeu πρῶτον ψεῦδος ex Articulorum Papæorum nexu detegatur, ac deniqve (ζ) præcipuæ *Adverſariorum Objectiones* reſponſione non una refutentur. Cum præfat. de *Politica Pontificiorum Theologia*, ſeu *ratione Status in Religione Papæa*. (in 4.)
2. *Compendium Theologiæ Theoretico-Practicæ*, in gratiam ſtudioſæ juventutis, ita, exemplo P. *Maſtrichtii*, *Joh. Melchioris*, *J. H. Maji*, &c. concinnandum, ut ſingulis theſibus, uſus moralis & praxis pietatis ſubjiciatur. (in 8.)
3. *Dubia Vexata*, *ex Hiſtoria primorum trium ſæculorum Eccleſiaſtica*, methodo illi haud abſimili, qva Biblica edidit B. *Auguſtus Pfeifferus*, tractanda, in qvibus Neoterici præcipue Scriptores, *Nat. Alexander*, *Pagius*, *Tillemontius*, *Du Pinius*, *van Dahlen*, *Goth. Arnoldus*, aliiqve ad partes aut placidum examen vocantur. (in 4.)
4. *De Onongchite Tertulliani, ſeu Calumnia* Ονολατρείας *Chriſtianis olim objectæ*, ſchediaſma.

Superiori an. 1700. *Deſcriptionem compendioſam de Vertigine ac Melancholia*, *earundemqve cauſis & ſignis tam Dogmaticorum, qvam Hermeticorum*, *cum Appendice brev. de Methodo curandi Melancholiam Hypochondriacam alias per conſenſum*, *Galenico-Hermetica*, edidit D. *Nicolaus Grimbergius*, Practicus Aalburgenſis, ſed p. t. Bergis degens,

gens, Londini Scanorum in 8. pl. 9½. excuſam, & Civitati Bergenſi inſcriptam, in cujus præfatione, de medullâ balſamicâ Spirituoſa volatili Pini ac Abietis, velut præſentisſimo adverſus putrefactiones ſcorbuticas fixas Climaticas antidoto, haud obiter diſſerit, & alibi arcanum hoc Medicum fuſius ſe pollicetur deſcripturum.

## è DIOECESI BERGENSI.

*Diſtrictus Sundfiordenſis Præpoſitus*, loco defuncti nuper *Henrici Finde*, Parochi Fordenſis, die 18. Novemb. an. ſuperiori 1700. conſtitutus ab Epiſcopo fuit *Petrus Diurrhuus*, Paſtor in eadem Nomarchia, *Hindenſis*.

*Olaus Giendrum*, Parochus Strandebarmenſis, *precationes* ſcripſit *vernaculas qvadripartitas*, *Natalitias* ic. *Qvadrageſimales*, ſeu *Pasſionales*, *Paſchales*, ac *Pentecoſtales*, *matutinas* ac *veſpertinas* ſingulis ſeptimanæ diebus numero pares, pio ſimpliciorum uſui, ac typis deſtinatas.

## HAFNIAE.

Die 17. Januarii, ſupremus qvondam Regni Thalasſiarchus & S. R. M. Conſiliarius, dum viveret, intimus, L. B. *Janus Juel*, Ordinis Elephantis Eqves &c. (cujus mortem anno ſuperiori 1700. Menſe Jun. p. *176.* memoravimus) amplisſimâ funeris pompâ, ut Conditorio ſuo gentilitio inferretur, in prædium Jüllingen / in Seelandiâ ſitum, deductus eſt.

Die 23. Jan. *Reinboldus Meyerus*, Auguſtisſimi Daniæ Norvegiæqve Monarchæ Conſiliarius Status, vitâ excesſit, & die 28. ejusdem menſis ſatis amplâ funeris pompâ, qvicqvid mortale illius fuit, in ſepulcro conditum eſt. Is an. 1634. d. 28. Februarii, Patre *Hermanno Meyero*, primùm Mecklenb. poſtea verò Gottorp. Conſiliario, fuit natus, ac an. 1670. Vidua Regina Danica SOPHIA AMALIA illo Secretario Cameræ atq; Conſiliario utebatur. Dehinc Sereniſſimorum & Auguſtisſimorum Daniæ ac Norvegiæ Regum, CHRISTIANI V. glorioſisſ. mem. & FRIDERICI IV. Cancellariæ, Cameræ, Juſtitiæ & Status Conſiliarius, nec non ad Commiſſaria-

tum

tum ſupremum bellicum terrâ mariqve Deputatus extitit. Sed ampliſsimis hiſce honorum titulis mors illum privavit, qvam, ſeptuageſimum ſeptimum ætatis annum agens, obiit, ex viduâ qvatuor liberis, unico nempè filio & tribus filiabus relictis.

Die 27. Januarii ſepulturæ traditus eſt *M. Chriſtianus Bremer*, Eccleſiæ Teutonicæ S. Petri Paſtor primarius. Is anno 1635. d. 7. Novembris Lubecæ fuit natus, & jacta humanioris literaturæ fundamenta Witebergæ excoluit. Inviſis poſtea aliis Germaniæ pariter ac Belgii Academiis, an. 1662. d. 14. Febr. Diaconus Ædis Teutonico-Petrinæ, qvæ Hafniæ eſt, vocabatur, ubi & ſeqventibus annis, nimirum 1663. ſupremos honores Philoſophicos, 1676. autem Paſtoratum dictæ Eccleſiæ primarium obtinuit. Hoc munere mors illum nuper d. 5. Ianuarii a. c. ſexageſimo ſexto ætatis anno exuit, binis tori conjugalis ſociis, ex qvibus ſex liberos ſuſcepit, jam pridem mortuis. Aliqvot etiam ingenii monumenta publicæ luci expoſuit, qvalia ſunt:

*Catechiſmus minor*, ſæpisſime recuſus, linguâ Germanicâ.
*Laborans Chriſtianus.*
*Cogitationes cœleſtes de Monte Thabor.*

Die 7. Februarii vitam cum morte commutavit & die 23. ejusd. ſepulcro illatus eſt *M. Johannes Hilarius Schmidt*, ad D. Petri Templum Germanicum Eccleſiaſtes. Natus fuit is Helſingöræ ad Oreſundam an. 1662. d. 3. Decemb. Studiis Academicis abſolutis, Collega qvintæ & ſextæ Clasſis in Scholâ Marianâ per 6. annos fiebat. Poſtea an. 1692. officio Eccleſiaſtico admovebatur, vocatione ad Diaconatum dicti Templi Petrini præeunte. Sed præmatura mors hoc munere illum trigeſimo nono ætatis anno exuit, ex viduâ relictâ unico filio ſuperſtite.

Die 17. Febr. *M. Michael Henrici Filius*, à plurimis annis ad D. Nicolai Paſtor, ſeptuageſimo tertio ætatis anno è vitâ diſceſsit.

## OTHONIAE

*Thomas Broderus Bircherodius*, Prof. Othonienſis, Tra-

ctatum edidit, cui titulus: *Specimen Antiqvæ Rei Monetariæ Danorum, ab antiqviſſimis temporibus inveſtigatæ, cum figuris æneis, præſertim à tempore Chriſtianiſmi in Daniâ, ad initium auſpicatiſſimum Imperii Stirpis Oldenburgicæ*, typis Joach. Schmetgens, 1701. (17. plag. & 6. figuræ æn. in 4.)

## AARHUSII *Cimbrorum*

Die 3. Januarii, anno ætatis qvadrageſimo (natus qvippe an. 1657. d. 4. Aprilis) è vivis exceſsit *M. Janus Mundelſtrup*, Rector Scholæ Aarhuſienſis per octo annos & qvatuor menſes, cùm Anteceſſori 7. annis ſociam in ſupremi Ordinis alumnis inſtituendis operam Con-Rector præſtitiſſet, poſt diſtincta laudabiliter Academica tempora, tàm ventilatis publicè 19. *Diſputationibus*, inter qvas eminent, *Tres Exercitationes in Virgilium*; duæ *in Perſium*; de *Pomis Sodomiticis*; de *Theologiâ Gentilium puriori abſtractè conſideratâ*; *ſpecimen Gentiliſmi etiamnum ſuperſtitis*: qvam inſtitutis cum conſenſu Profeſſorum in gratiam aliorum Studioſorum Collegiis, ex qvibus in lucem prodiit *Collegium Logicum*. Hannoviæ 1686. (in 8.)

## KILONII

Academiæ Kilonienſ. Prorector *Guntherus Chriſtophorus Schelhammerus*, Ser. Ducis Cimbrici Archiater, Med. D. & Prof. Publ. Primar. Societatis naturæ curioſorum Leopoldinæ Adjunctus, itemqve recuperatorum in Italia Collega, Facultatis ſuæ hodie Decanus, ad *Orationem Inauguralem* qva poſt clementisſime ſibi a Sereniſſ. Principe ſuo collatam Poëſeos Docturam Publicam *M. Sebaſtianus Kortholt* Ejusdem tam veteris qvam recentis præſtantiam a Novitiorum qvorundam Obtrectationibus die 24. Februar. vindicavit, omnes literarum elegantiorum Patronos &c. invitavit. (1. plag. 1701. fol.)

Hanc Orationem inauguralem Jo. Clerici Parrhaſianis potisſimum oppoſitam eſſe & qvamprimum publicatum iri accepimus.

*D. Joh.*

## *D. Joh. Ludovici Hannemanni de cauſa aſcenſus & deſcenſus Mercurii in Barometro problema.*

Problema hoc, qvi fiat, qvod Mercurius in Barometro nebuloſâ, pluvioſâ ac nivoſâ tempeſtate depresſior; ſublimior contra ſereno cœlo appareat? aliqvot eruditisſimorum Virorum animos occupat ac defatigat, cum tamen ejus Problematis ſolutio admodum facilis ſit. 1. Etenim inveſtiganda eſt formalis ratio Mercurii. *Qvi*, ut eum nos definimus, *eſt ſal metallicum nitro-ſulphureo-aqveum nunqvam non fluidum, proximaqve omnium metallorum materia*. 2. Videndum eſt qvibus cum ſubſtantiis juxta intrinſecam ſuam Eſſentiam & Exiſtentiam conveniat. In hiſce duobus punctis diligenter exploratis & intellectis conſiſtit ſolutio hujus vexatisſimi problematis. De poſteriori puncto primò loqvemur. Totum Syſtema univerſi, utut in immenſum ſeſe diffundat, duobus ſubſtantiarum generibus gaudet; impetum vel motum ciente; vel impetum aut motum patiente. Prius genus in ſe complectitur fluidisſima, fluidiora, fluida. 1. Fluidisſima ſunt *Lux, ignis*; qvæ CarteſiiElemento lucem emittenti æqvipollent. 2. Fluidiora ſunt *Cœlum, æther, & aer*, qvæ tria ſola nomenclaturâ differunt, reapſe unum idemqve Ens ſunt, & Carteſii Elementi lucem transmittentis vicem ſuſtinent. 3. Fluidum eſt *aqva*. Ex hiſce fluidis cuncta, qvæ univerſum in ſe complectitur, corpora coaluere. Qvæ autem magis de fluidisſimis, qvædam de fluidioribus, qvædam de fluidis magis vel minus participant. Et ut qvædam ex fluidatum ſubſtantiarum magis vel minus activa motumq; cientia ſunt; qvædam autem pasſivè & receptivè ac generativè ſe habent. Ita etiam eorum indoles fluidorum actioni intrinſeco cum iis nexu reſpondet. Omnium fluidisſimorum, fluidiorum ac fluidorum entium centrale qvaſi Ens eſt Mercurius, hinc & promtisſimè omnium fluidorum actiones, motiones in ſe percipit, ac ad iſtius fluidorum Reginimis ſeſe componit, modificat Mercurius: Cum autem fluidiora entia ſint cœlum, æther & aer, qvæ Scripturæ nomine expanſum veniunt, ſunt unicum Ens nitri, ſulphuris & Mercurii, adeo ut nullum nitrum, nullum ſulphur, nullus Mercurius in toto univerſo terraqveo globo

globo exiſtat, qvæ non originem, formam & materiam ſuam debeant his fluidioribus. Hinc etiam Mercurio, qvi horum omnium centralis exiſtit, alteratio, modificatio accidit. Qvando ergò particulæ aqveæ aerem obſident, tunc & aqvæ particulæ, qvæ conſtituunt Mercurii eſſentiam, iſtum impetum patiuntur, tunc & deprimuntur. Qvando autem aer iſtis particulis non adeo turget, ſed ſerenius eſt, tunc aſcendit. Hoc aſſertum paradoxis phœnomenis crebrò in naturâ evenientibus probari poteſt. Sicqve qvædam ligneæ machinæ juxta cujusdam aeris conſtitutionis factum ſtrident. Sicqve qvorundam vulneratorum corpora omnem aeris mutationem in ſuis vulnerum veſtigiis prædicunt ac ſentiunt. Poteſt & liqvor ex Marcaſitâ elici, qvi tempore pluvioſo turbidus, aere ſereno clarus & limpidus apparet. Sed tempore pluvioſo humeſcit, ſereno & ſicco ſiccesſit; Sic & Salinæ particulæ in Mercurio tempore pluvioſo humeſcunt, & ſal ſubſidet. Fruſtra itaqve ſollicitant preſſuram aeris, ut qvam natura ignorat, & inſida ſunt argumenta, qvibus eam eunt aſſertum. Omnium proximè (ſi noſtram ſententiam excipias) ad metam collimant, qvi Calori & frigori aſcenſus & deſcenſus Mercurii in Barometro cauſam acceptam referunt. Ut qvi ſunt duo architectonici ſpiritus rerum omnium geneſin & analyſin indicentes. Seqventia poſtulata notanda ſunt theſin noſtram probantia.

1. Preſſuram aëris, qvam finguntMechaniſmi patroni, natura ignorat.
2. Aer, qvà ſpiritus, corporeas ſubſtantias non premit, ſed earum poros penetrat.
3. Aer, æther & Cœlum, unum Ens expanſum conſtituunt & nominaliter & localiter differunt.
4. Aer nunqvam non unam & eandem ponderoſitatem habet.
5. Aer, qva aër, trutinari non poteſt, ſed ſi qvæ trutinatio fit, ea fit ratione particularum in eo contentarum heterogenearum.
6. Omnis ſubſtantia, qvæ gaudet contextu ſoliditatis in ſtatu violentis eſt.
7. Omnis ſubſtantiæ ſtatus naturalis eſt, gaudens fluiditate.
8. Nihil magis naturæ amicum & analogum, qvam fluor.

9. Nul-

9. Nullus motus in tota rerum univerſitate, qvi non à fluore dependet

10. Sublato ex toto univerſo fluore, cuncta in chaos, qvod תהו בוהו corruerent.

11. Omnia fluida intrinſecarum actionum nexum in ſe habent inſeparabilem.

12. Mercurius eſt centrum omnium fluidorum.

13. Omnia fluida ſuam vim exſerunt in Mercurium.

14. Mercurius vi qvadam magnetica gaudet, qvia recipit ac ſibi unit omnium fluidorum influxum.

15. Mercurius, qvia ſalarium ac nitroſum principium eſt, tempore pluvioſo deſcendit; qvia ſulphureum, ac de Entis natura participat, aëre ſereno in ſublime tendit.

Primum punctum, qvod dat definitionem Mercurii, nunc non tangam, ne nimis prolixus ſim. Rem autem ita ſe habere, anatome vel analyſis ſpagyricæ evincit. Illa vulgaris ciniflonum chemia hæc non capit aut intelligit.

Supra nominatus *Joh. Ludovicus Hannemann*, Med. D. & Philoſophiæ Naturalis Prof. Ord. Leopold*inæ* Societatis Neſtor II, Tractatum qvendam, XIV. *Capitibus* conſtantem evulgavit; ubi in *primo* capite ſententiam ſuam iterum & qvidem novis argumentis ſtabilit, in *reliqvis* verò ad Objectiones *D. Leonhardi Chriſtoph. Sturmii* reſpondet, titulus ita legitur: Andere Continuation oder Fortſetzung der Verthädigung der Aſtrologie, Metopoſcopie und Chiromantie &c. gegen die letzte und völlige Abfertigung Bileams/ des HochEdlen und Hochgelahrten Herrn Leonhard Chriſtoph Sturm/ hochverdienten und weitberühmten Profeſſoris Mathematum auff der Hoch-Fürſtl. Wolffenbüttelſchen Academie. Leipzig und Kiel/ bey Johann Sebaſtian Richeln/ 1701. (21. plag. in 4.)

Præſide *Carolo Friderico* Luther/ Vratiſl-Sileſ. Medic. Doct. Diſputationem Philoſophicam, *de Actione Aeris in Machinulam Barometricam, ſeu Tubum Torricellianum*, Reſpondens *Petrus* Peterſen/ Lubecenſis, publico examini ſubjecit. (3½. plag. in 4.)

WILSTRIAE in HOLSATIA

*Gregorius Culemannus*, præter ea, qvæ in N.L. a. 1698. ſunt promiſſa, *manuductionem qvandam in ſacras literas N. & V. fœderis*, ut & *Opera B. Lutheri* comparavit, titulôqve *Doctoris Evangelici, ac ejusdem præcipuorum operum ac proprietatum, temporum data inclinatione*, in lucem proferre conſtituit. Conſtabit tractatus hic germano idiomate conſcriptus 4. Alphab., & commodam in Cathedrâ publicâ docendi rationem Biblicam monſtrabit, apparatuqve Biblico ad ſingula doctrinæ Chriſtianæ capita, ubiqve Lutheri, ejusdemqve verbis expreſſis doctrinis adjectis, novitios verbi miniſtros levabit.

HAMBVRGI.

Die 9. Januarii *Julius Enoch Rolffſen*, Roſtochienſis, hactenus Paſtor Leproſorii (des Peſthofes) in locum *Caſparis Büsſingii*, ad D. Michaelis; & *M. Juſtus* Steeman/ Paſtor Sülfeldenſis, in locum B. *M. Johannis* Lange / Eccleſiæ S. Petri Presbyter fuit vocatus.

Die 11. Jan. *Franciscus VVolfius*, Roſtochienſis, *Orationem Sæcularem*, celebrandis Divinis beneficiis elapſo ſæculo in Urbem Hamburgum effuſis, & implorandæ in novum, qvod incepimus, Summi Numinis Benignitati deſtinatam, in Acroaterio Gymnaſii è memoriâ publicè dixit.

*Joh. Fridericus* Mayer/ S. Theol. D. P. P. &c. Paſtorqve Jacobæus, denuo *Calendarium Biblicum* edidit, cui titulus: Bibliſcher Calender/ auff das 1701. Jahr nach Chriſti Geburt. Benebenſt einem Anhang der Gedächtniß-Bibel / als auch der Morgen-Abend- und Nacht-Andachten. Hamburg/ bey Benjamin Schiller/ 1701. (3½. plag. in 12. oblong.)

*M. Paulus Georgius* Krüſike / Poeta Nobilitatus, Scholæ Hamburgenſis Conrector, & in Illuſtri Societate Teutonica *Portans*, *Carmen Sæculare* 142. verſuum, ſingulis vocibus, præter unicam, à litera S. incipientibus, evulgavit. (2. plag. in fol.)

LV-

## LVBECAE

### *D. Jo. Jacobi Stolterfothi Obſervatio de Diarrhœa XXXIII, annorum in ſene.*

Vir LXV. annorum pallidæ faciei ac macilentæ conſtitutionis à conditione agreſti Linteaminum lotioni ſe applicans, alvo ſolvitur qvotidie qvinqvies, ſexies vel ſæpius ab anno ætatis trigeſimo usqve ad ſexageſimum tertium, maxima ſemper, ut profitebatur, εὐφορία, ut muniis obeundis ſufficiens ſemper fuerit, cum appetitu ſatis robuſto, usqve dum ante aliqvot annos detrimentum virium ex nimia dejectione, ingruente ſimul ſenecta, ſentiret. Huic medelam qvæſiturus adſtringentia adhibet varia, eaq; partim domeſtica, partim ex thecis pharmacevticis depromta, usqve dum fluxus ſiſteretur. At oritur exinde Lumborum dolor cum Reſpiratione difficili, Aſſumtorum in ſubſtantia excretione, extremorum frigore, ſiti intolerabili, Appetituqve ſolito plane proſtrato, ut viribus qvaſi exutus Vere anni præteriti noſtram implorare cogeretur operam. Accerſitus virum invenio vix oſſibus hærentem, anhelantem, Nephriticum, & Tibiis Oedematoſum. Urina, qvam vix emittebat aqvoſa plane ſulphuris defectum arguebat. Cumqve ſalia acria antea in corpore ægri ſoluta, ac aſſumta p. n. liqvantia, ex præpoſtero adſtringentium uſu mucilaginem tartaream, vaſa Meſeraica ductusqve urinarios obviſcantem, contraxiſſe, tonumqve ventriculi à nimio potu debilitatum judicarem, ex virium debilitate ac ſymptomatum circumſtantia Fatalem ominabar eventum. Interim confortantibus blande aromaticis & incidentibus l. a. adhibitis, intermixtisqve Anti-Scorbuticis cum moderate diluentibus, liberius reſpirare coloratiusqve mingere cœpit. Calor nativus pedetentim redibat cum chylificatione magis laudabili; detumebant à ſacculis applicatis crura: verbo, Libitinæ faucibus, Deo ita volente, eripiebatur, ut lecto ſurgere, ambulare ſacrasqve iterum viſitare ædes potuerit. Utitur propria deinceps autoritate vino ſtomachali abſynthite, nec non aduſto, pro confortando, ut credebat, ſtomacho, at fermenti ejus deſtructionem lucri loco deportabat: hinc læſa iterum chylificatio, pertinacior,

nacior, ut ante, vaſorum obſtructio, Abdominis, manuum, pedumqve tumor, dolor nephriticus, Appetitus plane proſtratus, Urinæ vix ſtillicidium &c. Hac correptus miſeria, in extremo, ut dicitur, puncto conſtitutus, noſtram iterum anhelabat operam, qvæ, claſſica canente Mortona, Divino ſuccumbebat placito, ita ut fruſtra adhibitis vel generoſisſimis, Maraſmo tandem & ſenio confectus, Nephriticus moreretur atqve Aſciticus.

*Cornu Septentrionale antiqvum, affabre cœlatum, ex Muſeo Jacobi à Mellen, Eccleſ. Lub. Presbyteri.*

Cornua olim apud antiqvos, inprimis Septentrionales, freqventer fuiſſe adhibita, & non bellicis tantum ac venatoriis expeditionibus, ſed domeſticis qvoqve uſibus inſerviiſſe, notum eſt. Poculorum enim vicem ſuſtinuiſſe, paſſim legimus, & abunde etiam Faſti Runici Borealium teſtantur, ubi nihil freqventius videas, qvam Cornuum figuras, qvoties dies feſtus, lætitiæ publicæ dicatus, occurrit, dubio procul illud *Flacci:*

*Nunc eſt bibendum, nunc pede libero*
*Pulſanda tellus!*

ſignificantes. Egregium tale Cornu pocillatorium, *Septentrione advectum*, in Muſeo noſtro ſervamus, cujus iconem (at tertiam ſaltim veræ magnitudinis partem exæqvantem) adjecta Tabula oſtendit. Bubulum illud cornu eſt, pedem unum & 10. Tab. II. pollices longum, cujus orificii diameter tres pollices cum dimidio, ambitus vero undecim, complectitur. Vbiqve affabre cælatum eſt, & variis animantium hominumqve ſimulacris, qvin & literis vocibusqve exornatum. Orificium ſcilicet limbus ambit, hæc verba referens: ion. magnus. ſon. i. e. *Johannes*, ſive *Jonas*, *Magni filius*. Dubium vero an id poſſeſſoris, an ſaltim artificis cælatoris nomen ſit. Tres inde circulares ſive orbiculares areæ ſeqvuntur, diverſis Leonum Draconumqve alatorum figuris diſtinctæ, qvarum prima Imperatorem coronatum, ſolio inſidentem, dextrâ gladium, ſiniſtrâ ſceptrum tenentem, Draconemqve alatum & coronatum pedibus calcantem, exhibet, cum perigraphe: CONSTANTINVS. MAGNVS. CESAR. Area ſecunda ſimilem

TAB. II.



1701. Febr.

lem Imperatorem continet, dextrâ ſceptrum, ſiniſtrâ globum ϛαυϱοφόϱον præferentem, cum circumſcripto lemmate: KEISER. KAROLVS. MAGNVS. R. Tertia deniqve area Regem coronatum oſtendit, dextrâ bipennem, ſiniſtrâ globum tenentem; draconemqve calcantem, cum perigraphe: SANCTE. OLAVS. REX. NORVEGIE. Porro inter varia Cornu noſtri ornamenta, obliqvo aliqvantisper ductu, ſecundum longitudinem decurrunt qvinqve tæniæ, priſcis admodum literis inſcriptæ; qvales literæ etiam circulum inferiorem ambeunt, nec non in ſupremâ, eâqve maximè tenui cornu parte, inter barbatos hominum vultus extant. Ignotos mihi characteres iſtos bini ex Daniâ Oedipi explicarunt, Viri ſcilicet Clarisſimi, & ejusmodi antiqvitatum promi condi, Dn. *Ottho Sperlingius*, IC. & Conſiliarius Regius, ac Dn. *Arnas Magnæus*, Islandus, Archivarius Regius & deſignatus Profeſſor; in eo ambo conſentientes, Islandicas eſſe voces, indicantes, Cornu hoc anniverſariæ S. Olai Regis memoriæ, feſtivis ſympoſiis celebrandæ, eſſe dicatum. Ita enim Dn. *Sperlingius* notas hasce legit & interpretatur:

KONG OLAFVR KRISNE
ORD KENDI LIDVM THVI
VI HAVLDVM HANS AR
EIDRE OG SNILD. i. e.
*Rex Olaus Chriſtianam*
*Religionem docuit homines, ideo*
*Nos celebramus ejus anniverſarium*
*Honorem & Sapientiam.*

Linea, qvæ interſeritur literis interſeptis, eodem interprete hæc habet: LICAR HORRNT NV MELLT, i. e. *Sicut Cornu nunc dixit.* Ambitûs ſeqventis literas colligit: HVEIR HIEIRO; ſed nullam iſtarum vocum mentem ſe poſſe elicere fatetur. Deniqve literæ, inter rudes hominum vultus apparentes, ipſi videntur eſſe nomina tunc viventium, cum cornu cælaretur, initialibus elementis expreſſa: R. I: E. D: N. F: V. R: E. K: & I. E: Hæc eſt Cl. *Sperlingii* ſententia.

Dn. *Magnæus* paullò aliter, at ſenſu haud disſimili, legit. Scilicet:

KONG OLAFVR KRIS*na*
TRV KENDI LIDVM P......
VI HAVLLDVM HANS A
LLER HORNIL NV MEL H
EIDRE OG SNILD*a*......

Hæc, ait, ita lego & explico: *Kong*, Rex, *Olafur*, Olaus (Sanctus, qvi obiit an. 1030.) *Kruna*, lege *Kriſtna*, Chriſtianam, *Tru*, fidem, religionem, *kendi*, docuit, *lidum*, populis, (NB. verbum *kenna*, docere, apud Islandos Dativo jungitur; itaqve hîc *populis*, non *populos*, ſcripſi) *p....vi*, qvænam hîc vocula ſubſtituenda ſit, parum conſtat; ſenſus tamen convenit *parvi*, utilis, fructuoſus. Non enim commodum ſubditis ſuis adferre potuit Rex *Olaus*, qvam eos ad veri Dei notitiam perducere. *Haulldum*, teneamus, vel celebremus, *hans*, illius, *aller*, omnes, *hornil*, lege omninò *hornit*, Cornu vel poculum, *nu*, nunc, *mel*, lege omninò *med*, cum, *heidre*, honore, *og*, &, *ſnilda*, elegantiarum, ...... Hîc qvoqve ad complendum rhythmum vocula deeſt, qvæ, ſi de priori rectè conjectura facta ſit, melior inveniri non poteſt, qvam *ſtarſi*, opere, ut *ſnilda ſtarſi* hîc ponatur pro decenti corporis geſtu, vel qvâvis aliâ reverentiâ, tam ſacro poculo debitâ. Rhythmus ita ordinari debet:

*Kong Olafur Kriſtna tru*
*Kendi lidum parvi,*
*Haulldum hans aller hornit nu*
*Med heidre og ſnilda ſtarſi.*

Literæ, qvæ caudam in circulum ambeunt, hæ ſunt: HVERHIEKO. Nullum illæ ſenſum admittunt, deficientibus, qvæ ſenſum complere debebant, verbis. Aliàs *Hver* qvisqvis eſt, & *hier* hîc. Sex illæ areolæ, qvæ ſecundum longitudinem caudæ tenduntur, has literas ſuſtinent: DR EK IE RI ED AF; Has ita explico: *Drekie*, pro *Drekid*, bibite; *Ried*, pro *riett*, ritè; *af*, ex; i. e. *Ebibite penitus*.

Jo-

*Johannes Polzius*, Lubecenſis, Scholæ Johanneæ Luneburgenſis Rector, Schediaſma vernaculum evulgavit, cui titulus: Johannis Polzii, der Schulen zu S. Joh. in Lüneburg Rectoris, Treuer Rath/ zu allem/ was ſeine Diſcipuli ſich in der Oratorie anſchaffen/ und worin ſie ſich üben ſollen/ zu klugen Gedancken/ und geſchickten Reden/ auch völligem Oratoriſchen Begriff dergleichen Scribenten zu gelangen. (1. plag. in 4.) *Varium* Schediaſmatis hujus Auctor *Eloqventiæ apparatum* Auditores ſuos acqvirere ſibiqve comparare jubet, videlicet:

I. *Armarium* vocum, phraſium, formularum, expreſſionum, connexionum, periodorum & thematum domi militiæqve neceſſariorum, *compendiarium*, ad omnia luculentâ, gravi, ſuavi ratione, varie, copioſe, ornate, aureæ ætatis conſvetudine dicenda, in qvo 1. *Periodorum* breves & Logicæ *ſententiæ*. 2. *Expreſſionum* & variationum ſimplicia & minus elegantia *lineamenta*. 3. Concinnæ *membrorum concatenationes*, novis exemplis illuſtratæ. 4. *Thematum* variorum *tractandorum ratio*, in alio argumento, expoſitis nervis, artubus, formâ & pulchritudine horum, *in conſpectu* diſcentium ponuntur. 5. Qvicqvid eſt in vocum ſelectu, poſitu, particulis & pronominibus, formulis, phraſibus, expreſſionibus, ſtructuris, *elegans*, & â Germanicô idiomate diverſum, ſermone noſtro aliis in argumentis, in Latinum *convertendum* proponitur. 6. *Impolito* & *rudi* orationis Latinæ genere Themata varia, vel epiſtolica, vel explicatoria, probatoria, refutatoria, rerum venuſtis deſcriptionibus *exornanda*, elegantiæ Studioſis commendantur.

II. Armarium Particularum veri, varii & elegantis uſus, in qvo Turſellini obſervata omnia diſſertatio qvædam de virtute complectitur, & legentium ſæpiusqve repetentium memoriæ infigit.

III. Armarium variationum (1) *Propoſitionis unius* per 1. genera periodorum, &c. 2. troporum & figurarum communem. 3. formularum & figurarum Morhofianarum. (1) *Propoſitionum connectendarum*, qvæ vel 1. rationes proximæ & remotæ. 2. diſparatæ. 3. contrariæ. 4. expolientes ſimilium atqve exemplorum.

IV.

IV. Ideam Orationis partium omnium, Exordii, Narrationis, Confirmationis, Confutationis, Perorationis, claram & diſtinctam, illuſtrem & efficacem, exemplo Ciceroniano, artis ratione & imitatione, in argumento, qvod noſtra tempora obtulerunt, junctis.

V. Semitam ad eloqventiam (1) per duodecim formas omnium Epicherematum & Epiſtolarum. (2) artem dilatandi inventas propoſitiones & periodos cujuscunqve formæ, & dilatatas in plurimas periodos dividendi. (3) praxin artis rudimentorum in exemplis qvamplurimis Germanicis. (4) diſtinctisſimam obſervationem diverſitatis Germanici & Latini idiomatis. (5) viginti exempla artis inveniendi propoſitiones thematis probatorii, primo ſex, deinde qvindecim. (6) exempla utendi omnibus enthymematibus Ariſtotelicis. (7) rationem excitandi & ſedandi affectus omnes, in Comœdiâ qvadam in conſpectu poſitam. (8) characterum & idearum Hermogeniarum exempla brevia, clara & diſtincta.

VI. Theſaurum exemplorum accommodatisſimorum felicium diſcentium progresſibus, ad exprimendam aureæ ætatis conſvetudinem, in (1) periodis (2) ope locorum Topicorum amplificandi ratione (3) thematibus explicantibus, probantibus, refutantibus, mixtis brevioribus, nec non epiſtolis. (4) Narrationibus, argumentationibus, confutationibus longioribus. (5) integris orationibus omnium generum cauſarum. (6) theſibus & locis communibus, prototypis optimis, artis obſervatione & ratione, ectypis, uno in conſpectu poſitis, illuſtrium & efficacisſimorum.

Omnia hæc & ſingula Auctor latius explanat, ſeqve iſtos *ſex Tractatus*, in diſcentium gratiam elaboratos, ſi Editorem ſumtus ſuppeditantem inveniat, cum erudito orbe lubentisſimè communicaturum promittit.

# NOVA LITERARIA
## MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS,
*Edita Menſe Martio MDCCI.*

### ROSTOCHII

Die 6. Febr. ſive Dominicâ Eſto mihi, Academiæ Rector, *Joh. Nicolaus Qviſtorpius*, S. Theol. D. & Prof. Publ. nec non ad D. Nicolai Paſtor, ſimulqve Rev. Miniſterii Director, programma publicavit, qvô Cives Academici *ad militiam & paſſionem ſalvificam Induperatoris noſtri cœleſtis, Jeſu Chriſti, ſanctè & ſobriè recolendam, celebrandam ſibiq; applicandam* admonentur. (1. plag. in 4.)

Die 9. Febr. Præſide *Joh. Nicolao Qviſtorpio*, S. Theol. Doct. ejusdemqve Prof. P. & Paſtore Nicolaitano, uti & totius Miniſterii Directore, nec non Academiæ h. t. Rectore Magnifico, *Diſputationem* XIII. *Collegii Diſputatorii*, anno ſuperiori ſæpius memorati, & *Theſes ex universâ Theologiâ ſelectas exhibentis*, publico examini ſubmiſit Auctor *M. Joh.* Ehrenfried Pfeiffer/ Miſenenſis Miſnicus, præterlapſo an. 1700. in N. L. p. 258. laudatus. ($1\frac{1}{2}$. pl. in 4.)

Die 15. Febr. Idem *D. Joh. Nicol. Qviſtorpius*, Univerſitatis Rector, *Programma funebre* publicavit, qvo ad ſolemnes exeqvias, qvas filio ſuo primogenito deſideratisſimoqve *Johanni Friderico de* Lehſten/ Hereditario in Wardow/ Weſſelſtorff & Ridſenow/ ac Hypothecario Ducal. Præfecturarum Lübtz & Critzitz/ elegantiorum literarum Cultori, *mœſtisſima Mater* ſplendidisſimè parabat, freqventer cunctas Omnes Omnium Ordinum Cives Academicos invitavit. (3. plag. in fol.)

Modò dictus *Joh. Fridericus de* Lehſten natus eſt an. 1683. d. 8. Octobr. in nobili domo Wüſtenfelde/ Patre Viro qvondam Generoſisſimo *Georgio Henrico de* Lehſten / Celsisſimi & Glorioſiſſ. me-

memoriæ Principis GVSTAVI ADOLPHI Ducis Mecklenburgici Conſiliario intimo, ac poſtmodum à Sacratiſſ. CAESAREA MAJESTATE in Proviſionali per Ducatum Guſtrovienſem vacantem conſtituto Conſiliario regente, Hereditario in Wardow/ Weſſelſtorff/ & Rühſenow/ ac Hypothecario Præfecturarum Ducal. Sülts & Cribitz/ jam inter Cœlites vivente. Prima illius ætas ſuccrevit ſub curâ & inſtitutione diverſorum Præceptorum, atqve tantam intra annos non ita multos humanioris literaturæ cognitionem aſſecutus eſt, ut exploratis ad inſtantiam Generoſisſimæ Matris à viris eruditisſimis Academiæ Roſtochienſis Profeſſoribus in ſtudiis literarum profectibus, dignus judicaretur, qvi publicas ſuperiorum artium & diſciplinarum lectiones cum fructu audire poſſet. Hinc Menſe Novembri anno Chriſti 1697. ætatis verò 14. in numerum eorum relatus eſt, qvi Academiæ nomen dederunt. Inceptum ſtudiorum curſum impigrè continuavit, atqve ſub Præſidio *Joachimi Henrici Sibrands*, J. V. Ddi Diſputationem, qvæſtionem hanc, *An ſtupratorem violentum illæsâ conſcientiâ occidere liceat*, exhibentem, Eruditorum examini ſubmiſit. *Nonnulla* inſuper *Carmina ſacra* conſcripſit, qvæ mater typis exprimi curabit. Aſt inopinatâ morte, qvam febris ardens ipſi accelerabat, d. 10. Januarii extinctus eſt, cum per XVII. annos, III. menſes & unum diem vixiſſet. Corporis illius exuviæ die 15. Februarii Conditorio traditæ, habitâ ſimul ex Sereniſſimi Principis FRIDERICI WILHELMI, Ducis Mecklenburgici peculiari mandato Concione funebri, qvæ ex Utriusqve Senatus Conventione publicâ per 30. fermè annos hactenus ceſſarunt.

Die 26. Febr. ſub Ejusdem *D. Joh. Nicolai Qviſtorpii* præſidio *Diſputationem* XIV. dicti jam *Collegii Diſputatorii, de modo, qvo lex converſionem ingreditur; de circumgeſtatione & adoratione panis benedicti*, &c. Auctor & Reſpondens *M. Chriſtophorus Conradus Goerizius*, Regiomontanus Pruſſus, propoſuit. (1. plag. in 4.)

STRA-

STRALESUNDAE

Die 1. Februarii è vivis excesſit, & d. 4. ejusdem menſis ſepulcro illatus eſt *Henricus Bolte*, Judiciorum S. Regiæ Majeſtatis & Vrbis Straleſundæ ſuperiorum Advocatus & Juris Practicus. Is in Vrbe modo dictâ an. 1641. die 9. Octobris parentibus generis antiqvitate conſpicuis natus, ac *Conradum Schlüſſelburgum*, S. S. Theol. Doctorem, & Eccleſiarum Straleſundenſium qvondam præſulem, inter Majores numerat. Poſtqvam in humanioribus probè fundamenta jeciſſet, Roſtochienſem primùm adiit Academiam ut celeberrimis JCtis, *Cothmanno*, *Ambſelio*, & *Redekero* in ſtudio Juris uteretur Doctoribus. Deindè Gryphisvvaldiam contendit, ubi ſtudia Generoſæ prolis *Bernhardi à Teſſin*, Regii Dicaſterii t. t. Directoris, per ſex integros annos moderatus eſt, ſimulqve eo loco Collegiis, qvæ vocant, privato-publicis, per qvadriennium ſedulò interfuit. Tandem cauſis operam dare cœpit, & apud Straleſundenſes non modò, ſed & in ſuperioribus Regis Judiciis Advocati munus ſuſcepit, qvâ functione mors illum nuper anno ætatis ſexageſimo ſimul cum vitâ privavit, unico filio relicto.

Die 15. Februarii, *Feſtum triumphale & euchariſticum*, ob ſuperatum fugatumqve ad *Narvam Eſthonicam*, die 20. Novemb. 1700. Ruſſorum exercitum, fuit celebratum. Chorus ſymphoniacus hac occaſione in ædibus ſacris concentu muſico Vrbis Sundanæ interpretatus gaudium eſt. *Cantio ipſa* typis Mederianis exſcripta hoc titulo: Das nach der Vorſchrifft Moſe und Mirjams Exod. 15. über dem am 20. Novemb. des 1700ſten Jahrs von Ihrer Königl. Maytt. zu Schweden / CAROLO XII. in Ehſtland wieder die Moſcowiter durch die mächtige Hand des HErrn Zebaoth glücklich befochtenen unvergleichlichem Wunder-Siege / an dem ſolennen Danck-Feſte / den 15. Febr. an. 1701. bey einer vollſtändigen Muſic &c. im Hauſe des HErrn hertzlich lobſingende Stralſund. (1. plag. in fol.)

Die 16. Febr. altero nimirum, poſtqvam in templis feſti ante dicti ſolennia ritè conſummata erant, die, *M. Jacobus Wolffius*, Gymnaſii Rector inter communes ovantis Pomeraniæ exclamatio-

nes, plauſus & Jubila, *epinicia* etiam publicè decantavit, programmate ad audiendi officium invitante. (1. plag. in fol.)

## GRYPHISWALDIAE

Feriæ, per totam Citeriorem Pomeraniam, ob Victoriam à Ruſſis ad Narvam reportatam, ſtativæ, (qvarum paullò antè mentio eſt facta) & heîc loci ritè ſunt actæ. Finitis ſacris pomeridianis *Muſæ Gryphicæ* gaudii & lætitiæ ſuæ ex Victoriâ hâc perceptæ interpretem ſiſtebant *M. Chriſtianum* Saalbach/ Poëtic. ac Oratoriæ Prof. Ord. nec non Facultatis Philoſophicæ h. t. Decanum, publico nomine, Regi Victori Oratione ſolenni gratulantem. Rector & Senatus Vniverſitatis verò ad pompam *Triumphi*, qvem Auguſtisſimo Orbis Arctoi Monarchæ ob victoriam parabant, programmate prævio omnes Muſarum cultores invitarunt. (1. plag. in fol.)

Almæ hujus Profeſſores Seriem Lectionum, hoc anno 1701, tam matutinis, qvam pomeridianis horis habendarum, typis exprimi curarunt, cui ſimul nomina eorum, qvi & Diſputationes Ordinarias habebunt, & Collegia privata aperient, ſunt addita.

## GEDANI

Die 2. Januarii *M. Gabriel Groddeck*, Philoſ. Prof. P. Programmate (1. pl.) ſtudioſam Juventutem ad nuptias, qvas 11. Januarii, cum lectisſimâ Virgine, *Euphroſina Eliſabetha Gottvvaldiâ* celebraturus erat, invitavit.

Die 27. Januarii *Samuel Fridericus Willenbergius*, Bregâ Sileſ. J. V. D. atqve hactenus in *Academiâ Francofurtanâ* Prof. Publ. Extraord. introducebatur, ut impoſterum apud Gedanenſes Juris & Hiſtoriarum Prof. Publ. Ordinarius atq; Athenæi Inſpector eſſet. Programma invitatorium *D. Samuelis Schelgvigii*, ut Rectoris, Domin. Septuageſ. publicatum, egit *de Corporibus Juris variarum gentium*, nempe *brevioribus* apud *Danos* & *Moſchos* & *Gallos*, ex qvibus ultimo loco poſitos Poloni aliqvando imitaturi eſſe, conjiciebatur. Idem in oratione inaugurali diſſeruit *de Jure Prutenico*, illo potisſimum, qvod præ aliis omnibus hoc nomine venit, qvo

praci-

præcipitur, *ut qviſqvis ad fundum usqve poculum exhauſerit, recens impletum denuò prælibet.* Oſtendit, Legem hanc à *Sigfrido de Feuchtvvaigen*, generali Ordinis Magiſtro, *Prutenis*, cum Germanos victores ſuos veneno peterent, pœnâ extremi ſupplicii violatoribus conſtitutâ, latum eſſe; ceſſante autem periculô, ſublatâqve pœnarum neceſſitate, non in Borusſiâ ſolum, ſed etiam in Germaniâ pasſim jocandi & freqventius bibendi occaſionem præbuiſſe. Poſtea novus Profeſſor de *Neceſſitate JCtorum* acturus, poſtqvam exordii loco dixerat, barbaros mores in primis temporibus per carmina & cantus expugnatos fuiſſe, laudaveratqve præſtantiam Legum, præcipuè Romanarum, abhinc neceſſitatem JCtorum demonſtravit, ex variis illorum functionibus, imprimis verò ex functione illis propriâ, interpretandi Leges; à qva pendet, ut ſubditis rectè ſecundum voluntatem Legum reſpondeatur, &c.

Idem D. *Willenbergius*, programmate Dom. Sexageſ. publicis tabulis affixo, ſtudioſam Juventutem ad Lectiones ſuas invitabat; cujus argumentum fuit evincere, *Jurium ſcientiam non eſſe prorſus facilem, at eam tamen Leges ab omnibus reqvirere.*

Anteqvam idem ille *Willenbergius* Gedanum veniret, ſub ejus nomine edita ſunt ſeqventia.

Anno 1691. Diſputatio Inauguralis *de beneficio Invito dato*, ſub præſidio *D. Petri Schultzii*, Prof. Publ. Ord. Francof. pl. 9.

1694. *de Novatione Legali*, Reſp. *Joh. Fried. Neumanno*, plag. 5.

*de Prætextu Incredibilitatis*, Reſp. *Gottlob* Ehrenreich Schram, Sileſ. plag. 11.

*de Stigmate in facie non ſcribendo*, Reſp. *Martino Andrea Steltero*, Pomer. pl. 4.

*de Jure Credulitatis*, Reſp. *Joh. Victore Kothe*, Bernburg. Anhalt. pl. 8.

1695. *de Privilegio Cedentis & Ceſſionarii*, Reſp. *Martino Chriſt. Tielkau*, Crosnâ-Sileſ. pl. 7.

*de Oblatione Debiti à Poſſeſſore Pignor. facta*, Reſp. *Chriſtoph. Henrico Kauderbach*, Croſ. Sileſ. pl. 6.

*de Abuſu Inſignium Principis*, Reſp. *Joach. Frieder. Helchero*, Olsn. Sileſ. pl. 6.

1696. *de Modeſtiâ Advocati*, Reſp. *Samuele Lukio.* Francof. Marchico. pl. 7.

*de Paſſionibus animi in Judice*, Reſp. *Joh.* Roth / Sorâ-Luſat. pl. 9.

1697. *de Concurſu Cedentis & Ceſſionariorum*, Reſp. *Samuele VVillichio*, Wratislav. pl. 7.

*de Scientiâ Delicti punitâ*, Reſp. *Georgio VVilhelmo Sachs*, Wratislav. pl. 4.

1698. *de Jure Veſpillonum*, Reſp. *Georg. Frieder. Henſchio*, Sonnevvald. Luſato. pl. 5.

1699. *de Supplemento Judicis in cauſis partium*, Reſp. *Joh. Balth. Adami*, Leſn. Polon. pl. 6.

1700. *de Vaſallo Epicharecaco*, Reſp. *Theodoro de Scmmerfeld*, Eqvit. Sileſio. pl. 10.

*de Jure Perſonarum Ducatus Oppolienſis & Rattiborienſis*, Reſp. *Georgio Matthiaſch*, Hungaro. pl. 6.

*de Jure Nobilium Ducatus Oppolienſis & Rattiborienſis*, Reſp. *Carolo Samuele de Jordan*, Eqv. Sileſ. pl. 5.

*de Teſtamentis Conjugum Reciprocis*, Reſp. *Joh. Georg. Schmesky*, Croſn. Sileſ. pl. 5.

*Januario decedente.*

Edebatur Catalogus Lectionum (plag. 1.) ex qvo facies Athenæi moderna elucet, in qvo videlicet docent

*Samuel Schelgvigius*, S. Theol. D. ac Prof. Publ. Athenæi Rector & ad S. S. Trinit. Paſtor.

*Sa-*

*Samuel Friedericus Willenbergius*, J.V.D. Ejusdem ac Hiſtor. Prof. P. itemqve Athenæi Inſpector.

*Johannes Gloſemayer*, Medic. D. ejusdemqve ac Phyſicæ Prof. P.

*M. Friedericus Büthnerus*, Mathemat. Prof. Publ. atqve ad S. Johannem Rector; Collegii ſui Senior.

*Chriſtoph. Behrius*, Eloqvent. & Poeſ. Prof. P.

*M. Gabriel Groddeck*, Logicæ, Metaph. & Philoſ. Pract. Prof. P. Reipubl. Bibliothecar. Collegii B. Mariæ Virginis, in Academia Lipſienſi, Collegiatus.

*M. Daniel Gradius*, Lingvæ Græcæ & Hebrææ Prof. P.

Collegium Profeſſorum vix per ſeptimanas tres faciem, qvam paulò ante delineavimus, integram ſervavit. Nam *M. Friedericus Büthnerus*, Mathematum Prof. Publ. 13. Febr. anno ætatis LXXIX. à Deo placidâ morte evocabatur. Natus eſt 11. Julii ſt. n. 1622. Oputſchii, qvod Circuli Grezenſis in Bohemiâ fortalitium eſt, Patre *M. Adamo Büthnero*, Frauſtad Sileſio, qvi poſt varia exilia, tandem ad oſtium maris Balthici Gedanenſe, Eccleſiaſtes obiit. Studia *Vratislaviæ, Thorunii, Gedaniqve*, ac poſtea in Academiis *Regiomontanâ, VVittebergenſi*, & *Francofurtanâ* excoluit. Ab anno 1648. qvo *VVitteberga* cum Philoſophiæ Magiſtrum renuntiaverat, in prædictis Academiis ſingulis Juventutem cum laude docuit. *Gedani* verò, ex Belgio redux, ab anno 1653. Scholæ Johannitanæ Rector, & à 1663. Mathematicæ in Æthenæo Profesſioni præfectus eſt. Conjux, qvam an. 1656. ſibi jungebat, etiamnum eſt ſuperſtes. Pluribus vitam illius exponit *Programma Funebre*, qvod nomine Rectoris & Profeſſorum, ſtudioſam juventutem ad exeqvias 25. Febr. celebratas, invitabat, ſtylo *M. Danielis Gradii*, Græcæ & Hebraicæ Lingvæ Prof. Publ. confectum. De ſcriptis Viri, non in Theologiâ minùs & Hiſtoriâ, qvàm in Matheſi perqvàm eruditis, hactenus editis, itemqve longè pluribus, qvæ Bibliopolæ alicujus manum obſtetricantem exſpectant, actum eſt ſupra in Menſe Julii 1698. p. 106.

RE-

## REGIOMONTI

*M. Michael Schreiber*, præter programmata ſuprà pag. 39. memorata, ſeqventia etiam publicavit, nimirum

In funere *Catharinæ*, natæ *Irvvingiæ*, *Georgii Franciſci Caſſeburgii*, Mercatoris Cneiphof. Conjugis die 16. Novemb. 1700. propoſuit: Die auch im Scheiden ſelbſt ungeſchiedene Liebe. (1. plag.)

In nuptiis *Chriſtiani Vrprecht*, Paſtoris in *Hermsdorff* & *Pellen*, cum Virgine *Anna Barbara*, M. *Rückeri*, Rectoris Lœbnicenſis filiâ, die 24. Novemb. 1700. celebratis, programma qvodдam ſub hoc titulo evulgavit: Die heilige und wohlgetroffene Prieſter-Ehe. (1. plag.)

In feſtivitate nuptiali *Zachariæ Heſſen*, J. V. D. & P. P. cum virgine *Annâ Dorotheâ*, M. *Georgii Thegen*, Philoſoph. Pract. P. P. filiâ, die 25. Novemb. anni præteriti aliud ejusdem Auctoris hac inſcriptione comparuit: Der ſüſſe Traum. (1. plag.)

Cum exuviæ *Georgii à Benckendorff*, Mercatoris Cneiphof. die 12. Decembris ſuperiori anno terræ mandarentur, programma publicum, qvod oſtendebat den löblichen Kauffmann/ poſuit. (2. pl.)

Die 1. Februarii *Carolus Ludovicus*, Comes de Waldburg, S. R. J. Truchſesſius Hered. per publicationem gratiæ, facinoroſis die 18. Jan. Coronatione felicisſimâ Regis Prusſiæ inſigni, exhibitæ, motus, ſub Præſidio *David Stavinski*, J. V. L. & P. P. Extra Ord. Diſputationem habuit *de Criminis abolitione ob diem inſignem*, occaſione L. 8. ff. ad SCt. Turpil. ubi potisſimum oſtendit: *qvâ ratione facinoroſis ob diem Coronatione inſignem, gaudiumqve publicum venia delictorum indulgeri posſit.* De qva materia Reſpondens Illuſtr. vix annum qvintum & decimum egreſſus, præſentibus, Sereniſſimo Principe FRIDERICO WILHELMO, Regni Prusſiæ Herede, omnibus Regiis virtutibus ſupra ætatem exornato, Ejusqve Ephoro Illuſtrisſimo, *Comite à Donau,* &

& aliis Conſiliariis Regiis per-Illuſtr. ut & Profeſſoribus aliisqve Auditoribus innumeris, adeò eruditè & facundè diſſeruit, ut omnium admirationem & applauſum meruerit. Diſputatio ipſa abſolvitur 3. pl. in 4.

## HOLMIAE

Feſti, ob reportatam à *Moſcu* Victoriam, inſtituti ſolennia, die 5. Februarii pompâ haud vulgari ſunt celebrata. Inſcriptiones & Emblemata conſpiciebantur numerò ſat multa, qvorum haud exigua pars *Nicolao Keder* inventionem debet ſuam. Illis recenſendis nos hac vice ſuperſedebimus, cum forſan eadem peculiari tractatu propediem typis ſint exſcribenda, cujus verò operâ & ſtudiô nondum liqvet. Hoc interim pro certo affirmare poſſumus, modò dictum *Nicolaum Keder* varia hactenus diverſis linguis ſcripſiſſe Poëmata elegantiora qvoad maximam partem adhuc inedita, ſpecimen eorum erit *Carmen* qvoddam *Gallicum*, qvô admirandas Clarisſimæ Septentrionis Muſæ, plus vice ſimplici in N. L. memoratæ, *Sophiæ Eliſabethæ Brenner* ſcil. ingenii dotes nuper veneratus eſt, qvod bona Lectoris gratiâ hîc afferre juvat, & ita habet:

*Eſprit noble & poly, dont la feconde Muſe*
*A faire de bons Vers heureuſement ſ' amuſe,*
*Dame, dont le ſçavoir & la pudicité*
*Te ſont briller par-tout d' une rare beauté.*

*Depuis que tout ſurpris j'ay vû tes doctes veilles,*
*Et ce charmant éclat de tes autres merveilles,*
*Vn curieux deſſein m' eſt venu dans l' eſprit,*
*D' encenſer ton Renom par un devot écrit,*
*Et de faire aux Beautez des Vertus le modelle,*
*En traçant ton portrait d' un pinceau tres fidelle.*
*Même durant les nuits ce ſoin ambitieux*
*A banny bien-ſouvent le ſommeil de mes yeux.*

*Vingt fois je me ſuis vû par une folle audace*
*Prêt à vouloir monter au ſommet du Parnaſſe,*
*Vingt fois à te louer j'ay voulu commencer;*
*Mais j'ay ſenty vingt fois ma veine ſe glacer,*
*Et vingt fois Apollon fâché de mon courage*
*En ces mots à peu prés m'a refusé paſſage:*

*Arrête temeraire. A quelle extremité*
*Te pouſſe aveuglément ta ſotte vanité?*
*Hardy, ne tente pas cette vaſte carriere,*
*A ta capacité meſure la matiere.*
*Quoy? Sans connoître bien les charmes de mes Sœurs,*
*Et ſans l'heureux appuy de mes douces faveurs,*
*Tu t'enhardis, content de ta Muſe debile,*
*A chanter cette Dame en Vertus ſi fertile?*
*Vn tel ſujet requiert ces fortunés efforts,*
*Qui d'une noble Voix font jouer les reſſorts.*
*Pour chanter les talens de cette Poëteſſe,*
*Il faut avoir, comme elle, & la force & l'adreſſe.*

*Enfin ces vains efforts m'ont decillé les yeux.*
*Quittant donc deſormais ce deſſein glorieux,*
*Je cache de mes Vers la penible indigence*
*Sous le voile ſecret d'un tres-humble Silence.*
*Mais mon cœur maintenant eſt en confuſion,*
*D'avoir lâché la bride à ſon ambition.*
*Madame, excuſe moy, qu'en tâchant de te plaire,*
*J'ay voulu me ſervir d'un moyen temeraire,*
*Et que mon pauvre Eſprit n'a point eu de rougeur,*
*De croire, que ſes Vers te pûſſent faire honneur.*

HAF-

## HAFNIAE

### *Excerpta ex Georgii Franci de Frankenau Conſiliarii & Archiatri Regii literis.*

Nuper celebris qvidam Germaniæ Medicus ex me qvæſivit, *an elegans Virgo nubilis, mutila manus, poſſet contrahere matrimonium ſine metu mutilos olim pariendi?* Cui reſpondi: Sicut ab integris per errorem naturæ naſcuntur mutili; ita & à mutilis naſci integros; ceu multiplici conſtat experientia. Præterea ſententiam meam confirmavi auctoritate *Hippocrat.* l. *π. γονῆς* IX. 7. *M. VVeinrichii* de Monſtris cap. XXIV. p. m. 227. & *Ambr. Paraci*, qvi in præfat. Operis Chirurgici l. XXIII. f. m. 661. ait: Pleriqve mutilis parentibus integri & omnium partium numeris abſoluti eduntur fœtus.

Ceterum lubet heic addere *curioſum Epigramma*, qvod laudato modò *Georgio Franco de Frankenau* Berolino transmiſit Auctor *Ferdinandus Poſthius*, Verbi Divini Miniſter. & Conrector Gymnaſii Joachimici, & hoc eſt:

In
*Matthiam*
*Buchingerum*
*manibus truncatum, pedibusqve deſtitutum*
*feliciter mira peragentem.*

Cui natura pedum manuumqve fulcra negavit,
Eximiæ hunc artes ingeniumqve juvant.
Mira fides! Orbus pedibus ſaltare videtur,
Cuiqve manus deſunt, hunc manus ipſa levat.
Credere rem miram ſi, Thomas mire, recuſas,
Accede, ac oculis ſingula qvæqve lege.
Truncatum manibus cubito ſic pingere cernes
Grammata, perfecti qvæ valet arte manus.
Credere nec ſi vis, adeo te pinget inertem
Ut poſsis vultum noſcere, Mome, tuum.

Exemplum calami ſi diſces ritè parandi,
Buchingerus erit doctor in arte levi.
Perqve foramen acus mittit tenuisſima fila
Ocyus, ac netrix mittere docta poteſt.
Attrahit & numum cubito, qvem deinde ſeqvuntur
Bini, qvos primus tangere forte ſolet.
Ludere ſeu chartis, ſeu talis, ludicra res eſt
Artifici; majus perficit artis opus.
Sparſos nam conos tantâ ſolet arte ferire,
Qvanta vix poterit tangere docta manus.
Cymbala, qvæ fecit perdulce ſonantia, plectro
Tangit, ut artificem dixeris eſſe bonum.
En majus mirum! Cubitis nunc admovet ori
Crembala, qvæ reddunt affabre tacta ſonum.
Nunc ſerrâ ſcindit, nunc dedolat ipſe dolabrâ
Lignum, ex qvo ſcite tunc ſimulacra parat.
Deniqve compoſitos novit diſplodere ſclopos,
Et barbam eximiam radere ſæpe ſolet.
Omnia ſic docilis conando induſtria vincit;
Qvod natura negat, penſat id ingenium.

fecit

F. P.

AARHUSII Cimbrorum

*M. Jano Mundelſtrup*, Scholæ Aarhuſienſis Rectori (cujus obitum ſupra pag. 54. recenſuimus) ſuccesſit, qvi à primis Rectoratus auſpiciis labores Scholaſticos, Con-Rectoris titulô, cum ipſo partitus fuerat, *M. Georgius Rhodius* (*Johannis*, olim Con-Rectoris Aarhuſienſis Filius) moderatus antehac Juventutis ſtudia in qvinta Claſſe, qvam capesſivit an. 168 . habitâ ſub abitum ab Academiâ diſputatione *de Vocabulis Traductis*, qvamqve ante abitum elaborandam ſuſceperat, exeunte eodem anno ſub præſidio Doctoris *Hect. Gothofr. Maſii* de *Communione Domeſticâ* c. Boſſvetum (plag. 7.)
Die 5. Feb. Rectoris autem muneri una cum Con-Rectore *Baggone*

*gene Junghans*, qvi hucusqve in ſupremæ proximis Claſsibus Juventutis ſtudiis per octennium præfuit, inauguratus eſt per *D. Johannem Braëm*, Epiſcopum Diœceſeos Aarhuſienſis, Oratione inaugurali *de tribus Præceptorum reqviſitis, Doctrinâ, Docendi Dexteritate, in Docendo Sedulitate*; cui aliâ à creato jam Rectore reſponſum eſt de 4. *Docentium Virtutibus, Pietate, Morum Integritate, Docendi Dexteritate & Comitate*, totidemqve Diſcentium, ſubſtitutâ *pro Docendi Dexteritate, Docilitate*, & tandem finitus per Con-Rectorem actus gratiarum actione Metricâ.

Die 9. Febr. reliqvarum Claſsium Præceptores aſcendêre: *Petrus Fogh*, è qvartâ, cui, relicto Decurionatu octavæ menſæ in Communitate Regiâ Hafnienſi, an. 1696. præfectus fuit, in qvintam: *Andreas VVendelböe*, è tertiâ, ad qvam itidem an. 1696. vocatus eſt, in qvartam: *Chriſtiernus Martini Herlov*, è ſecundâ in tertiam: In ſecundam introductus *Johannes Claudii*, primam dirigente *Petro Nicolai*, cui Cantoris ſimul incumbunt munia: Reſponſoriæ partes hoc in actu fuêre primi & ultimi ex promotis, & ab illo qvidem poſt collata Paganæ & Paganizantis etiamnum Romæ Februa pro mortuis, parentatum ex ratione temporis, Feralibus apud antiqvos dicati, defuncto nuper Rectori; ab hoc vincto ſermonis genere gratiæ actæ.

## SLESVICI.

*Daniel Hartnaccius*, aliqvot ingenii fœtus parturit, qvi propediem lucem videbunt, & ſunt:

1. *De Periodo ejusdemqve affectionibus, Varietate ſcil. Amplificatione, Contractione &c. Tractatus*, ſumptibus *Eckſtorffii* imprimendus. (1. Alphab. 6. plag. in 8.)
2. *Hiſtoriæ Politicæ Micrælii Continuatio, cum appendice præcipuorum cujusvis Regni Hiſtoricorum*. (in 4.) novâ appendice auctior qvotannis comparebit. Sumptibus Gothofr. Liebezeith.
3. *Juſtinus* cum notis Minellianis. Impenſis Joh. Wiedemeyeri.
4. *Salluſtius* eodem plane modo, qvo *Cornelius Nepos* & *Terentius*, adornatus, (α) cum *Interpretatione* (β) *optimus Phraſibus ex-*

*inde collectis* & (γ) *Imitationibus ſingulis capitibus adjectis.* (2. Alphab. in 8.) ſumptibus Gothofr. Liebezeith.

5. *Curtius* eodem modo. (4. Alphab.) impenſis Liebernickels.

6. *Epiſtolæ Ciceronis minores* ſupra dictâ methodo. (1½. Alphab.) ejusdem ſumptibus.

*Relationes qvædam*, bellicos Livoniæ motus dilucidantes, ſub hoc titulo prodierunt: *Livonica*, Oder / einiger zu mehrer Erläuterung der mit Anfang des 1700. Jahrs in Liefland entſtandenen Unruhe dienlicher Stücke und Actorum publicorum *faſciculus primus.* (11. plag. in 4.)

## KILONII

Præſide *Günthero Chriſtoph. Schelhammero*, Medicinæ D. & in Academiâ Kilonienſi Profeſſore Primario, Ser. Ducis Cimbr. Gottorpienſ. Archiatro, Societat. N. C. Leopoldinæ Adjuncto, & in Italia Recuperatorum Socio, *Chriſtianus Vlricus Schreiber*, *Theſes Medicas ſelectas*, numero LXXVIII. ſive *Exercitationum Medicarum ſextam*, qvæ eſt *de Animali Motu, ejusqve Organis prima*, die 12. Martii publicè defendit. (1½. plag. in 4.)

*Georgius Paſch*, Artis rationis, Philoſ. Primæ ac Moral. Prof. Ordin. publicavit nuper *Programma*, *qvo dignitatem & decus, qvod ſuſtinet Philoſophia*, *contra obtrectatores defendit*, ac ad freqventandas Scholas Logicas & Metaphyſicas, auctoritate Sereniſſimi Principis propediem publice aperiendas, Acroaſibusqve Moralibus adjungendas, Cives Academicos officioſe & peramenter invitat. (1. plag. in 4.) In eo ſe conjectura vix aſſeqvi poſſe ait, qvid cauſæ ſit, qvamobrem decus atqve ornamentum hominis, illa recte vivendi magiſtra, parens virtutum, ac expultrix vitiorum, illud clarisſimum mentis noſtræ lumen, manus Theologiæ, fons Jurisprudentiæ, ac caput Medicinæ *Philoſophia*, de priſtino faſtigio dejecta, a plurimis non modo temere negligatur hodie; ſed & inſuper pro nihilo ducatur, prorſus omninò deſpiciatur & contemnatur? Cujus tamen dogmata ita comparata eſſe docet, ut omnium

omnium ordinum cultoribus lumen accendant, qvod undiqve ſparſum caliginem diſcutit, erroresqve & dubitationem adimit, id qvod per ſingulos Facultates declarat. Deinde reſpondet ad voces ſuſurrantium, contemplationes Philoſophicas non eſſe *de pane*, ut loqvuntur, *lucrando*, concluditqve nihil prodeſſe ædificiorum faſtigia, ſi deeſt fundamentum; ac qvemadmodum ſine Grammatica nemo recte, ſine Rhetorica nemo eleganter, ita ſine Philoſophia de rebus perplexis neminem accurate & exqviſite loqvi ac judicare poſſe. Cumqve partes tradendi Philoſophiam in Academia Chriſtian-Albertina ipſi creditæ ſint, ad priſtinumqve munus, qvod per XI, & qvod excurrit, annos ſuſtinuit, accinctus ſtudio ſapientiæ, qvo *Mores* conformantur, Sereniſſimus Princeps *Logicam & Metaphyſicam Profesſionem* clementisſime adjunxerit, eo jam incumbendum eſſe monet, ut & voluntati honoriqve Imperantis ſerviat, & ſuſceptam provinciam, amplam ſane ac multa ſvavitate refertam, rite adminiſtret.

Serenisſimi Cimbrorum Ducis FRIDERICI Clementisſimum Reſcriptum, die 17. Februarii 1701. ad Univerſitatem Kilonienſem datum, typis Gotfr. Liebezeith impreſſum extat. (1½. plag. in 4.) Cum illud nil niſi benevolum Illuſtrisſimi Principis erga Academiam hanc ſuam affectum, & plane ſingularem curam, qvo liberalia ſtudia excitentur promoveanturqve, ſpiret, in gratiam qvorumvis artium liberalium fautorum atqve æſtimatorum non tantum, ſed & illorum, qvi muſis in Academia Chriſtian-Albertina, Deo ita volente, operam olim ſunt daturi, hic ſubnectere placet, & ita habet.

Von Gottes Gnaden FRIEDERICH, Erbe zu Norwegen/ Hertzog zu Schleßwig/ Holſtein/ Stormarn und der Dittmarſchen/ Graff zu Oldenburg und Delmenhorſt.

Unſern gnädigſten Gruß zuvor! Ehrwürdige/ Ehrenveſte und Hochgelährte/ Andächtige liebe Getreue.

Euch iſt zur Gnüge bekandt/ wie Unſers in Gott ruhenden Hochſeel. Herrn Groß-Vaters und Herrn Vaters Gnaden Gnaden/ zum

Lobe und Preiß GOttes zu Unterhaltung und Ausbreitung der wahren/ſeeligmachenden Evangeliſchen Religion/zu Beförderung des gemeinen Weſens/ guter Wiſſenſchafft und Künſte/ Unſere Univerſitæt zum Ziel geſtifftet und auffgerichtet; Wir auch Zeit Unſerer Regierung alles/ was ſolche heilſame Intention zu erreichen dienlich geweſen/ unermüdet angewendet/und durch die Hülffe Gottes ferner anwenden wollen.

Nun gereichet Uns euer unterthänigſter dahin zielender Gehorſam/ als auch angewendete treue Dienſte und Fleiß zu ſonderen Gnaden/finden Uns aber genöthiget durch dieſe Special-Verordnung euch die Hand zu bieten/umb deſto nachdrücklicher den fürgeſtellten Zweck zu erlangen/und den Flor Unſerer Univerſitæt zu befodern.

Und nachdem bey dieſen letzten Zeiten unſere wahre Evangeliſche Kirche von allen Orten angefochten wird/ auch der Eiffer zu der Göttlichen Warheit faſt gantz erlöſchen wil/ als wollen Wir Unſere verordnete Profeſſores Theologos in ihren heiligen Eiffer/ welchen ſie durch ihre öffentliche Schrifften bezeuget/ hiemit ſtärcken/ darinnen fortzufahren/ gnädigſt anmahnen / auch allen ihren Succeſſoribus ernſtlich anbefehlen/ nicht das geringſte/ ſo unſer wahren Religion könne ſchädlich ſeyn/ auff Unſerer Univerſitæt zu dulden/ und weder in der Sache/noch auch in denen Redens-Arten von Heiliger Schrifft und unſeren Libris Symbolicis ein Haarbreit zu weichen.

Dahero Wir denn der Theologiſchen Facultæt Decanis ernſtlich anbefehlen die Theologiſchen Schrifften/welche zum öffentlichen Druck ſollen befodert werden/genau zu cenſiren, darinnen nichts verfängliches ſtehen zu laſſen/ in Entſtehung deſſen aber ſie dafür gehalten ſeyn ſollen. Solte auch Unſere Theologiſche Facultæt etwas der Evangeliſchen Kirchen præjudicirliches an denen Membris Univerſitatis, oder an wem es auch in unſerm Lande wäre/ vermercken/ wollen Wir/daß ſie Uns zeitlich davon gründliche/ beſcheidene/ unterthänigſte Nachricht geben/ damit ſolchem Ubel zeitig geſteuret werde/ weil Wir der Göttlichen Warheit nicht den geringſten Abbruch thun zu laſſen/ durch GOtt ernſtlich gemeinet ſind.

Damit aber auch die ſtudirende Jugend gleichermaſſen dahin ohne

ohne Weitläufftigkeit erzogen werde / iſt Unſer ernſter Wille / daß hinfüro in Facultate Theologica man die Arbeit alſo eintheile/daß alle halbe Jahr die Repetitio Chemnitiana Mentzeri (weil allerdings noth/daß auff dieſes theuren Theologi Chemnitii gründliche Schrifften die Jugend/nach den Schrifften Lutheri, angeführet werde) welche unſere Facultæt mit etlichen nöthigen Theſibus, was in dem Syſtemate mangelhafft/vermehren ſoll/ ein Bibliſches Buch/ eine Ketzerey/ die nöthigſten Stücke der Theologiæ Practicæ, wie ſich ein Prediger in ſeinem Ampt gewiſſenhafft ſolle verhalten/ zu Ende gebracht werde.

So ſol auch der Profeſſor Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ mit der Theologiſchen Facultæt Rath pflegen/ was ſie Zeit und Gelegenheit nach nöthig befinden/ daß er der ſtudirenden Jugend in jedem Jahre fürleſe.

Alle halbe Jahr begehren Wir auch von unſerer Theologiſchen Facultæt, daß bey Antritt eines neuen Decani ſie alle Studioſos Theologiæ durch ein Programma ad locum Conſiſtorii laſſe zuſammen ruffen/ und öffentlich examinire,wie weit ſie in ihren Studiis zugenommen/ darauff Uns ein Verzeichnis einſende derer ausgebliebenen/derer unwiſſenden/und derer rechtfleißigen und geſchickten. Worauff wir bey Erſetzung der vacirenden Stellen hinfüro eine gnädigſte Reflexion allerdings machen werden/und gelehrten/ fleißigen/ geſchickten Leuten/ſie ſeynd frembd oder einheimiſch / gnädigſte Beføderung für allen andern werden wiederfahren laſſen.

Von der Juriſten Facultæt wollen und befehlen Wir/ daß die Inſtitutiones Juris alle halbe Jahr/ die Pandecten aber alle Jahre publicè ſo wohl im Leſen als diſputiren zu Ende gebracht werden. Der Codicis Profeſſor ſol gleichfals alle Jahr ad ductum oder methodum Cujacii paratitlorum oder ſonſten eines andern berühmten Scribenten/ die darin enthaltene 9. Bücher abſolviren.

Bey der Mediciniſchen Facultæt befehlen wir gleicher Geſtalt/ daß ohne groſſe Weitläufftigkeit und mit hindanſetzung derer unnöthigen Subtilitæten ein jeder Profeſſor ſein Penſum in einem halben Jahre zu Ende bringe.

In Facultate Philoſophica wollen Wir/daß die alte Scholaſtiſche Art nicht überhand nehme/ doch aber auch dabey/ damit die Terminos die Jugend verſtehe/ behalten werde. Daher Wir unſerm Phyſico die Phyſicam Experimentalem, dem Profeſſori Philoſ. Pract. des Baconis de Verulamio Sitten-Lehre gnädigſt anbefehlen. Dem Profeſſori Logices & Metaphyſ. nebenſt denen kurtzen Præceptis die Application und uſum in ſuperioribus facultatibus, und ſo ferner/ und ſollen alle Profeſſores Philoſ. Facultatis gleicher geſtalt gehalten ſeyn/ ſammt den Prof. Lingvarum Orientalium, alle halbe Jahr ihren Curſum zu abſolviren. Solte aber derjenige/ ſo zwey Profesſiones auff ſich genommen/ in einer ſaumſelig ſeyn/und Unſern Befehl nicht nachleben/ſol ihm die eine Profesſion, ſammt der Abkürtzung des Salarii, alſobald entzogen werden.

Wobey denn zugleich in denen Privat Collegiis die Collegia examinatoria aller Facultatum Profeſſoribus ernſtes recommendiret werden.

Damit aber dieſer Fleiß durch öffentliche Specimina jederman kund werde/ befehlen Wir/ daß man den Sonnabend denen exercitiis publicis widme/ an welchen aus allen Facultæten öffentliche actus ſollen fürgenommen werden.

Dahero dann Facultas Theologica ſol allemal in der Cloſter-Kirche Vormittags durch einen geſchickten Studioſum predigen laſſen / deſſen Predigt zuvor ein Profeſſor Theologiæ überſehen und cenſiret.

Facultas Juridica ſol nach der Ordnung der Profeſſorum jederzeit einen Gerichts-Terminum anſetzen/und junge Leute/wie im Gerichte zu verfahren gründlich anweiſen.

Facultas Medica ſol entweder einen Chimiſchen Proceſs öffentlich zeigen/ oder eine Section, oder demonſtrationem plantarum &c. nach Gelegenheit der Zeit darlegen.

Facultas Philoſophica ſol Nachmittage ein experimentum Phyſicum oder demonſtrationem mathematicam anſtellen / oder eine ſchöne Oration, oder ein gut Carmen öffentlich recitiren laſſen.

So begehren Wir auch/damit an der Information nichts gehin-

hindert werde/ daß allen Doctoribus, Licentiatis und Magiſtris extra facultatem, ob ſie gleich nicht auff unſerer Univerſitæt promoviret haben / wenn ſie ſich habilitiret (ſo ihnen nicht mehr als ihre gedruckte Diſputation und 6. Rthl. ſo ſie dem Fiſco Academiæ erlegen / koſten ſol) das Jus docendi & publicè præſidendi gegeben werde / doch daß ſie von der materia mit dem Decano Facultatis zuvor ſprechen/ und gewöhnlichen Cenſur ihre Diſputationes wie alle andere Membra Univerſitatis allemahl unterwerffen.

Und weil Wir die Zahl der publicarum Diſputationum wollen vermehret wiſſen/ haben Wir verordnet und begehren gnädigſt / daß alle Wochen auff unſern Koſten eine Diſputatio publica von 2. Bogen ſol gedrucket und ohne einiges Entgelt weder dem Præſidi noch Drucker noch ſonſt jemand / von denen Studioſis Mittwochs von 9. biß 11. nach Ordnung der Facultæten / daß eine jede Facultæt in einem Monat einmahl diſputire, gehalten werde: So ſollen auch in der Zahl der Præſidum die Profeſſores Extraordinarii mit gerechnet werden/ und den Mangel in Facultate Medica die Philoſophica erſetzen/ würden ſich keine Reſpondenten dazu finden/ ſol der Rector unſere Alumnos in convictorio bey Verluſt ihres beneficii dahin anhalten.

Dabey verordnen Wir auch gnädigſt/ daß alle unnöthige Unkoſten auch bey denen andern diſputationibus (als mit Läuten / ausſchmückung des auditorii) hiemit gäntzlich ſollen auffgehoben ſeyn/ damit durch nichts die ſtudirende Jugend an ihren exercitiis publicis werde auffgehalten.

Weil auch an Wiſſenſchafft und Käntniß guter Bücher viel gelegen/ ſoll Unſere Academiſche Bibliothec (deren Vermehrung/ reparatur ſamt denen andern nöthigen Academiſchen Gebäuden auffs erſte man fürnehmen ſol) wochentlich Mittwochs von 2. biß 5. geöffnet ſeyn.

Und befehlen Wir/ wie Mittwochs des Morgens früh eine diſputatio publica zu halten/ Nachmittage man eine Bücher-conference anſtellen ſol/ da denn der Theologus anfänget / und entweder von neuen herausgegebenen Schriften oder von dem Leben und guten Schrifften eines alten wohlverdienten Theologi die anweſenden un-

erweiſet / die andere Woche der Juriſt, und ſo ferner die andern fort-fahren.

Nachdem auch die unnöthigen Koſten von denen Promotionibus viel abgeſchrecket / als befehlen Wir hiemit gnädigſt / daß eine Licentiatur und Doctorat beydes zuſammen gerechnet nicht höher als 160. Rthl. ſich belauffen ſolle / und ein Magiſterium 50. Rthl. doch werden dabey alle die öffentlichen Solennitæten in der Kirchen und auch ſonſt fürgenommen / und ſollen ſich alle Unſere Univerſitæts-Verwandte dabey / bey vermeidung Unſer Ungnade allerdings einfinden. Nur das weitläufftige prandium wollen Wir gäntzlich abgeſchaffet wiſſen / und ſol / wen̄ einer promoviret, niemand mehr als ſeine Facultæt ſampt dem Rectore, wo aber ihrer mehr / niemand als das Corpus der Profeſſorum, Miniſterium und Academiæ Secretarius dazu invitiret werden. Hiebey aber legen wir hiemit Unſern Profeſſoribus in allen Facultæten auff ihr Gewiſſen / werden es auch wiedrigenfals hart an ihnen zu ahnden wiſſen / daß ſie keinen unwürdigen ſolche Ehren conferiren, und die Welt mit ſolcher Ignoranten erhebung ſchändlich betriegen. Hergegen haben Wir aus Gnaden zu denen rühmlichen ſtudiis derer / ſo bey Unſere Kiehliſche Univerſitæt die gradus annehmen / entſchloſſen / daß ein jeder Doctor Theologiæ alſobald in Unſere Theologiſche Facultæt recipiret werde / und Collega Facultatis auch abweſend ſey / deſſen Rath in geiſtlichen Fällen / wenn es noth / Wir als auch die Facultæt gebrauchen werden. Und ſo wollen Wir es auch mit denen Doctoribus in Facultate Juridica & Medica allerdings gehalten haben. Ein Magiſter aber / wenn er durch rühmlich abgelegte Specimina ein Jahr nach Verflieſſung der promotion ſich berühmt gemacht / ſol eben dieſes Beneficii in der Philoſophiſchen Facultæt unweigerlich genieſſen.

Welcher Unſerer Fürſtl. Gnade Wir auch alle diejenigen / ſo in allen Facultæten auff Unſerer Univerſitæt albereit promoviret / und ſich durch keine Unrichtigkeit unwüchtig gemacht / hiemit theilhafftig machen.

Schließlich / nachdem durch das rohe üppige Leben der jungen Leute / durch ihr Freſſen und Sauffen / Schlagen / Spielen auff den Univerſitæten

tæten Gott zum Zorn gereitzet/ Fluch auf die hohen Schulen/ ſo dawieder nicht ernſtlich geeifert/ gebracht wird/ und unſere teutſche Univerſitæten bey den auswärtigen in der Schmach/ ob wären es nur Bier-oder Wein-Krüge und Fecht-Schulen/ geſetzet werden/ ſo befehlen Wir euch ernſtlich/ ihr wollet nicht das geringſte Uppige überſehen/ ſondern zur Gottesfurcht/ einem frommen/ ſtillen/ Chriſtlichen Leben die Studioſos anhalten/ im übrigen aber/ ſo ihr einen ſo wilden wüſten Menſchen unter der Zahl ſollet antreffen/ denſelbigen als einen Auſſätzigen/ nach einmahliger Väterlicher Verwarnung/ die ihr/ nach Befindung/ auch wohl öffentlich in præſentia anderer Studioſorum und collegialiter thun könnet/ mit Schimpff und Schande ausſtoſſen/ oder auch Uns/ da wir denn ſchon ſchärffere Verordnung werden ergehen laſſen/ nach Befindung des Verbrechens unterthänigſt berichten/ wie denn ein von Unſerer Univerſitæt relegirter keine Beforderung in Unſeren Landen/ zu keiner Charge, genieſſen ſoll.

Denn ob Wir zwar die Zahl der Studioſorum auff Unſerer Univerſitæt gerne vermehret ſehen (dahero Wir auch hiemit nochmals wiederholen Unſers höchſtſeel. Herrn Vaters gnädigſte Verordnung/ ſelbiger feſtiglich inhæriren, daß alle Unſere ſtudirende Landes-Kinder/ bey Verluſt aller Beforderung in Unſern Landen/ 2. Jahr zum Kiel denen ſtudiis fleißig ſollen obliegen) ſo iſt doch Unſer ernſter Wille/ Meinung und Befehl keine Boßheit einigem zu überſehen/ und lieber 50. fromme tugendhaffte Studioſos, derer ſich die Kirche und das gantze Land freuen und tröſten kan/ als 1000. Schandflecken dieſes Ordens auff Unſere hohe Schule zu haben.

Dieſes haben Wir euch/ zur Ehre Gottes/ Auffnahme der Kirchen und Unſerer Univerſitæt, in Gnaden befehlen wollen.

Gleich wie Wir uns nun zu euch alles unterthänigſten / bereitwilligſten / eiffrigſten Gehorſams verſehen / alſo bleiben Wir auch euch mit beſonderer Fürſtl. Gnade beſonders wol zugethan. Solte aber wieder alles Verhoffen (worauff ihr der Pro-Cancellarius Krafft euers von Uns auffgetragenen Ampts genau acht habeu werdet/ und euren gewiſſenhafften unterthänigſten Bericht deſſentwegen allemahl erſtatten werdet) dieſem Unſern gnädigſten Befehl in einem oder dem

andern Stück nicht nachgelebet werden/ ſo verſichern Wir euch hie-mit/daß unſere Landes-Väterliche Verordnung und Willen zu hand-haben/Wir zulängliche Mittel ergreiffen werden / die Widerſpenſtige zum Gehorſam zu bringen / womit Wir doch einem jeden gerne ver-ſchonet ſehen.

FRIEDERICH.

(L. S.)

## *D. Jo. Ludovici Hannemanni Methodus conficiendi Spiritum Roris Majalis.*

Incidi hiſce diebus in *Obſervationem CCXVI. p.* 498. *An. V. & VI. Ephemeridum Curioſ. Dec. III.* qvam Excellentiſſ. Dn. D. *Joh. Ægid.* Euth, Medicus Hagenſis conſultisſimus, de conficiendo Spiritu ex Rore Majali, cum erudito orbe communicavit, pro qva communicatione Reſpublica Medica ipſi ingentes gratias debet. Verùm multò efficacior ſublimiorisqve operationis reddi poteſt, ſi hôc ritu, qvo nos componimus, componatur. ℞. Roris Majalis, mundis linteis, nunqvam ad uſum corporis humani adhibitis, ita ut expertia ſint ſudoris, aliarumqve ſordium humani corporis, L. XIIII. per lintea rarisſima colati. Exponatur Soli per tantum temporis ſpatium vitris accuratè clauſis, ne qvid evaporare posſit. Tunc levisſimo igne deſtilletur, ac corpori mortuo, nam ſemper aliqvid terræ remanet in cucurbitâ, rurſum affundatur. Illa affuſio tam diu continuanda, donec illa terra, qvæ rubicunda eſt, prorſus ſe cum Spiritu uniat, ac in liqvorem tranſmutetur, qvod ſeptimâ, vel octavâ, vel nonâ conturbatione fit. Tunc obtines Spiritum rubicundisſimum fragrantisſimum. Sed hæc in præparatione hujus divini Spiritûs obſervanda ſunt: (1) Illa terra, qvæ ut caput mortuum in deſtillatione remanet, leni igne exſiccanda. (2) Qvando jam ter ſic calore exſiccata eſt, qvartâ vice vehementiori igne urenda, & hoc 5.6. vel 7ties faciendum, donec fiat inſtar Rubini rubri, qvod ſeptimâ uſtione fit, & tunc prorſus fit volatilis illa terra, & ſic ſe unit.

unit. Qvo plus terræ iſtius habes, tanto præſtantior fit Spiritus. Eo fine talis terra ex aqvâ pluviali colata & evaporata in magnâ qvantitate colligitur, (ſed aqva illa etiam fermentanda) ſupra qvam colabatur Spiritus roris Majalis. Melius autem, ſi tantum Roris colligas, ut & ſufficientem terræ copiam ex rore Majali habeas. Qvidnam ex illâ terrâ præterea parari posſit, nunc ſileo, alibi forſan propalandum. Vſum hujus Spiritûs Medicum multiplicem experieris, qvibusnam autem morbis medeatur, non dicam, ſcrutetur hoc Medicus. Hic Spiritus modo in qvantitate trium guttarum datur in Vino generoſo, qvod reddit fragrantiſſimum. Si ℈j inſtilletur in 4. libras Vini, fit illud fragrantisſimum, in ultimâ conturbatione. Si in tenebris affundas fornaci, qvælibet gutta in vitrum recipiens cadens inſtar fulminis fulgurat. Habet uſum myſticum, de qvo nil fari volo. Si cum Spiritu ſangvinis humani deſtilletur, habes lampadem vitæ, nullo pretio æſtimabilem. Nullum uſum habet ad Elixir Arabum conficiendum, ſed ad ejus Magiſterium reqviritur Ros, qvem gignit cœlum Hermeticum, & qvem defluere facit Sol Hermeticus. Sed hæ Margaritæ pertinent ad filios doctrinæ, non ſpurios artis.

## *Joh. Jac. Stolterfothi Scholion.*

Congruam ſatis methodum colligendi *Rorem Majalem* tradit oculatisſimus Naturæ Curioſorum *Neſtor IIdus*: at nec ſpernendus eſt modus excipiendi illum vitreis patinis plana capacitate præditis, cœlo præſertim ſereno tempeſtatumqve injuriis libero, & qvidem ante ſolis exortum, ne radiorum vis attractiva invidioſum Filii ſui exerceat ſpolium, ſumma cura deplendis. Hinc tædioſæ reqviruntur Curioſorum excubiæ, qvo guttulæ in vitro plano deciduæ ſæpius decantari & mox in vaſe optime clauſo ſervari qveant. Commodius is forſan ſcopum ſuum asſeqveretur, qvi in Muſeo ſuo, recipiente commodo præclaras hasceCœli lachrymas colligere poſſet. Cum legerem hanc Viri Excellensisſimi Obſervationem, de tali qvadam methodo cogitare cœpi, unde Idea inſtrumenti vitrei Tab. III. depicti, orta: (a) notat infundibulum inverſum excipiens Tab. III.

extra

extra feneſtras locatum, cui continuus ſit canalis (b) feneſtras perreptans, (c) ſit adaptatus recipienti, (d) qvod optime clauſum fulcro, pro conditione loci firmando, innitatur; ita ſtillicidium obſervare, & pro lubitu liqvorem, remoto receptaculo, aſſervare poteris. Sit vero Muſei locus exceptioni commodus, & qvo eventus operæ pretio reſpondeat, plura hujus farinæ inſtrumenta ſibi comparet per ignem Philoſophus. Rorem Majalem pro uſu medico colligendum in montibus optime qværendum eſſe cenſet *Fr. Baco de Verulam. Hiſt. Natural. Cent. VIII. f. m.* 917. cum multum disſipari contingat, anteqvam ad valles perveniat. Menſe imprimis Majo vel Junii principio collectus aſſeritur fertilisſimus. vid. *B. Dn. D. Mich. Ettmüller. Colleg. Pharmaceutic. in Schröder. f. m.* 782. ante ſolis ortum. qvando pluvia per aliqvot dies non decidit, non linteis, ſed inſtrumentis vitreis. *Joh. Schröder. Pharm. Med. Chym. L. III. c. III. p. m.* 314. conf. *Hoffmann. Clav. p.* 142. *ſqq.* ubi in Feſto Aſcenſionis Chriſti collectus multis mederi morbis dicitur, Anatomiam ejus Spagyricam ſuggerunt *Dan. Ludovici Pharmac. Diſſert. I. p. m.* 53. *idem in Ephem. Nat. Curi ſ. Dec. I. A.* III. *Obſ.* CCXLIX. *p.* 452. *Rhumel. in Antidotar. Chimic. p.* 145. *Frider. Hoffmann. Clav. p.* 142. *ſqq. Ettmüll. l. c. f.* 782. 439. 985. 1125. *Excell. Dn. D. Fr. Hoffmann. Annot. in Petri Poterii Pharmacop. Spagyric. p. m.* 433. *Act. Philoſophic. Anglic. Menſ. Maj. A.* 1665. *p. m.* 25. *ſq. Beccher. Phyſic. ſubterran. L. I. p.* 182. *ſq.* & alii pasſim Chimici. De Rore Indico omnia metalla ſolvente vid. *D. Hermann. Nicol. Grimm. M. N. C. Dec. II. A. IV. Obſ. LVI. p.* 130. Qvomodo Aurum ſolvat, docet *Ettmüller. Oper. T. I. f. m.* 439. 782. conf. *Morhof. Tr. de Metallor. Transmutat. p.* 31. *ſqq.* De Rore Inſulæ Corſicæ vid. *Sylv. Bocconis* in Curiöſe Anmerckungen *p. m.* 26. Qvod, & qvomodo Ros ſplendorem carnibus mactatorum animalium conciliet. vid. *Thom. Bartholin. Cent. I. Ep. XII. p.* 42. *& Ep. XIII. p.* 47. qvod radicem Chinenſium *Genſing* luce aſtrali ſplendentem faciat, ex *Literis Dn. D. Rumphii* tradit *D. Chriſtian. Menzelius M. N. C. Dec. II. A. V. Obſ. XXXIX. p.* 75. Mirum dictu in Belgio Roris beneficio Angvillas arte produci poſſe; methodum tradit ex *Abrahami Mylii Tr. de Origine Animalium & mi-*

*migratione populorum p.* 10. *Morhof. de Metallor. Transmut. p.* 39. qvinimo, qvod & Rori ſoli in acceptis ferenda ſit illa Plantarum è cineribus reſuſcitatio, cenſet idem *l.c.p.* 40. qvamvis ex incineratis plantis talem perfectam ideam impetrari poſſe dubitet *David* van der Beck *Experim. circa rer. natural. princip. L. II. p. m.* 321. Qvomodo vero ex ſemine conqvaſſato ope Roris poſſit produci & Curioſorum oculis ſiſti integra planta, docet *idem l. c. p.* 319. *ſqq.* An detur vera talis palingeneſia aut ſeminis vegetatio pro convincendo Atheorum Grege ex Reſurrectionis mortuorum articulo, apodictice demonſtrandi occaſionem Bono cum Deo arripiemus proxime in peculiari ſchediaſmate de *Vita in Morte*, ad nutum ſumptus facturi parato.

*Chriſtiani Kortholti*, S. Theol. D. Pro-Cancellarii & Profesſoris Acad. Kilon. dum viveret, Primarii, De *Tribus Impoſtoribus Magnis Liber* denuo editus cura *Sebaſtiani Kortholti.* Hamburgi, 1701. (1. Alphab. in 4.)

Hunc librum modo dictus *Sebaſtianus Kortholt*, P. P. Perilluſtribus Dominis *Magno a Wedderkop* ac *Joh. Ludov. de Pincier*, Baroni a Königſtein, conſecravit. Idem in præfatione qvam novam ad Lectorem præfixit, in hoc libro Herberti, Hobbii & Spinoſæ tectas inſidias inimicitiasqve clare ob oculos poni affirmat. Itaqve neminem eum improbaſſe publice præter *Clariſſ. Adrianum Baillet*, qvi nolit tam deteſtabilem titulum in memoriam revocari. Eundem tamen etiam adhibuiſſe ait *Jo. Evelynum*, Eqvitem, qvi de Tribus Impoſtor. *P. Ottomanno, Mahomed Bei*, ſ. *Jo. Michaele Cigala & Sabatui Sevi* an. 1666. librum publicavit, & *Morinum* qvi de Tribus Impoſt. *Gaſſendo, Nevreo & Berniero* librum edidit 1654. *Morinum* hujus libri auctorem eſſe e Menagio probat *Kortholtus filius*, ex eodemqve obſervat *Bailletum* falli cum Patris ſui librum an. 1680. publicatum ante Morini fœtum prodiiſſe primum aſſeveret. Porro disqvirit editor utrum Liber famoſisſimus de Tribus Impoſt. unqvam extiterit, ex *Clariſſ. Polyhiſtoris Petri Bayle* Literis Roterodami 7. Id. Apr. A. 1699. ad ſe datis hæc verba profert: *Falſisſimum eſt extare in Bibliotheca Baldeana hic Roterodami librum de Tribus impoſtoribus, videnturqve mihi omnes ſuſpecti eſſe debere vel nomine fidei vel nomine di-*

*ligentiæ,qvicunqve jactant ſe tale opus manibus triviſſe.* Si vero etiam extaret deteſtabilis liber nec titulus in memoriam eſſet revocandus, neqve *Bailletus* Polyhiſtori illum ſuo inſerere debuerat,ut *Kortholto filio* videtur, neqve nominare ipſum oportebat infamem librum cui *de laudibus Sodomiæ* titulum indidit ejusdemqve auctorem falſo fecit *Caſam* Archiepiſcopum, nec ſolum nomen tartarei fœtus indicavit & ejus parentis,ſed etiam obſtetricis,nec patriæ atqve ætatis oblitus eſt,cum memoriæ prodidit, *J. Caſæ* librum *de laudibus Sodomiæ* ſeu *Pæderaſtiæ* typis Trajani Navi Venetiis 1550. in lucem eſſe editum. Sed & *Bailletus B. Chriſt. Kortholti Disqviſitionum Anti-Baronianarum* Titulum vellicavit, eumqve *Anti-Baronium de Pane Euchariſtico* ſcripſiſſe aſſeruit, de qva materia plane non agit in *disqviſ. Anti Baron.* Scripſit autem *Exercitationem Anti-Salmaſianam* de *pane ἐπιυσίῳ*, non *Anti-Salmaſium*, ut putat *Bailletus*. Plures *Bailleti* errores ſe perſtrinxiſſe editor affirmat in diſſertat. *de poetris puellis* ab *Adr. Bailleto* in libro de pueris doctis omisſis, cujus excerpta dedimus An. 1700. menſ. Febr. p. 53. ſeq. His qvamprimum adjunget *centuriam Puerorum doctorum* qvorum nullam mentionem fecit *Bailletus* in dicto libro, & qvomodo *Bailletus* hallucinatus ſit exponet. Præterea poëtas non parum multos eosqve præſtantisſimos qvorum non meminit *Polyhiſtor Gallus* in qvinqve iis ſacratis voluminibus ab oblivione ſe vindicaturum pollicetur. Ceterum Editor nomina eorum indicat qvi de Trium Impoſtorum *Herberti, Hobbii* & *Spinoſæ* vita egerunt. Et qvoniam operum Athei poſthumorum editor & celeberr. *Petrus Bayle* in opere Hiſtorico-Critico parcius illam attingunt, qvædam literis nondum prodita ſubjungit, qvæ cum ipſe Hagæ Comitum egit a viris doctis & fide dignisſimo hoſpite *Spinoſæ* accepit. His teſtibus *Spinoſa* patre mercatore Judæo natus Amſtelodami, & *Baruch* appellatus,ductu virginis latinum ſermonem arripuit. Mortuo patre omnem cognatis hereditatem reliqvit & Rhenoburgum Voburgum & demum Hagam ſe recepit,ibiqve ſolitariam vitam egit, & integros menſes domi ſedit literisqve vacavit. Interdum tamen vel *Reformator.* & *Lutheranorum* templa freqventavit & Chriſtianum ore profeſſus eſt. Nec unqvam

de

de Deo petulans dictum pronunciavit, nec largo uſus eſt vino, ſed duriter vixit. Tandem nocturnis laboribus enervatus d. 21. Februarii 1677. præſente ſolo *Doctore Med.* Amſtelodamenſi impuram animam placide efflavit. Qvalis mors an Atheo posſit competere a doctis haud ita pridem in controverſiam vocatum eſt. Qvo defuncto librorum ejus hereditatem docti adire maxime expetiverunt, ſed vix 40. reliqverat. Inter hos non offendebatur de *Iride Tractatus* qvem forte alicubi deliteſcere putat editor operum *Spinoſæ* poſthumorum. Sed *Kortholtus filius* pro certo habet, auctorem anno ſibi emortuali flammis librum conſecraſſe eodem die qvo Hagenſes viæ feſtivis ignibus lucebant. Qvæ jocularia fulgura ſe imitari jocatus eſt. Inchoaverat etiam latine vertere codicem ſacrum ſed huic labori ultimam manum non impoſuit.

In fine præfationis editor novam hanc editionem patrii libri Clarisſimis viris *Petro Bayle* & *Thomæ Burnetio* nos debere affirmat, Nam literis ſuis illam popoſcerunt. Alios B. *Kortholti* libros alii deſideraverunt, proinde editor curavit ut Lipſiæ ſub prelo ſudent omnes qvorum in tabernis librariis copia amplius non eſt. Appendicis loco libro huic de Tribus Impoſtor. addita eſt diſſertatio qvondam Jenæ habita, qva *Hieronymi Cardani* & *Edoardi Herberti de Animalitate hominis opiniones* examinantur.

Typis Reuterianis deſcripta extat Oratio, qvam CAROLO XII. Regi Svecorum invictisſimo, ob liberatam ab Obſidione *Narvam* & reportatam à *Moſcis* Victoriam dixit *Joſias Henricus Opitius*, Henrici Filius, die 28. Januarii ipſo CAROLI Nomine in faſtis ſacro, & Dei *Victoris, Chriſti liberatoris auxilium celebravit atqve Regem tantæ rei Auctorem Actoremqve oratione hâc prædicavit, Joh. Burchardo Majo,* Eloqv. & Hiſt. Prof. P. ad hunc actum oratorium publico Programmate invitante. (9. plag. in fol.)

HAMBVRGI

*Godoſchalcus à Buchwald*, Auguſtisſimis olim Regibus, FRIDERICO III. & CHRISTIANO V. à Conſiliis intimis, & Ducatus Holſatiæ Conſiliarius provincialis, Ordinis Elephantis E-

qves, &c. elapſo anno 1700, die 27. Novembris, ſeniò confectus obiit: Varia Ejusdem ſcripta, Germanico, Gallico Hollandicoqve idiomate concepta, publicè extant, qvæ antehac fœderati Belgii Statibus, anno 1660. Legatione extraordinariâ fungens, exhibuit.

Porrò etiam *M. Petrus Scheele*, ad D. Mar. Magd. Presbyter die 4. Decembris, anno Chriſti 1700. ætatis verò ſupra ſeptuageſimum octavo è vitâ diſceſſit. *Rendsburgi* ille primùm Diaconatum atqve Archi-Diaconatum obtinuit: deindè Eccleſiæ *Gykovienſi* Paſtor præficiebatur, ac tandem an. 1681. Eccleſiaſtes ad D. Mar. Magd. fuit vocatus. Scriptorum ejus hæc ſunt potisſima:

*Pſychoſcopia ſ. Tractatus de Animæ immortalitate & Statu à ſeparatione.* 1679.

Der Bußleuchter in II. Theil. 1677. und 1679.

Adams Fallſtrick und Heyl. II. Theil 1700.

Typis excuſa *Pasſionis Dominicæ Hiſtoria* ex 4. Evangeliſtis operâ *D. Joh. Bugenhagen* olim collecta, & in Evangelicis hactenus Eccleſiis pasſionali tempore explicari ſolita, qvæ & præſenti anno in Templis Hamburgi primariis à Paſtoribus, Deo ita volente, publicè explicanda, titulus ita habet: Die Heilige Pasſions-Hiſtorie, wie dieſelbe aus allen vier Evangeliſten von dem ſeel. Hn. D. Joh. Bugenhagen zuerſt zuſammen getragen/ und hernach in der Evangeliſchen Kirchen zur Paßions-Zeit vorgeleſen und geprediget wird/ welche auch durch Gottes Gnade in dieſem 1701. Jahr allhie in Hamburg in den Haupt-Kirchen von den Paſtoribus nach der gemachten und mit Zahlen bezeichneten Abtheilung/ ſoll erkläret werden. Hamburg gedruckt und zu bekommen bey Conrad Neuman.

Præſide *Joh. Frid. Mayero*, S. Theol. D. & Prof. Ord. *Jacobus Hinzelmann*, Hamburgenſis, qvæſtionem hanc, *Utrum Chriſtus legerit Platonem vel Terentium?* in Collegio Diſputatorio ventilavit. (2. plag. in 4.)

Tractatus qvidam modò dicti *D. Joh. Frid. Mayeri* Germanico idiomate prodiit, cui titulus: Heilige Marter-Woche/ wie ſelbige dem gecreuzigten JESU zu widmen; nach allen Tagen der Wochen beſchrie-

ſchrieben von Joh. Fried. Mayern / D. P. P. und Paſtore an S. Jacobi Kirche. Hamburg bey Conrad Neuman. (4. plag. in 12.)

*Chriſtianus* Krumbholtz / S. Theol. Licentiandus, ad D. Petri & Pauli Paſtor, *binas* edidit *Homilias*, *alteram Valedictoriam*, Dreſdæ ſuperiori anno 1700. die 26. Septemb. Dominicâ XVI. p. Trin. ex Luc. VII, 11.17. in Templo S. Sophiæ; *alteram* verò *acceſſoriam*, Hamburgi in Æde Paulo & Petro ſacrâ eod. an. die 16. Novemb. qvi erat Dies Martis Dominicam XXIII. p. Trin. excipiens, ex 2. Timoth. IV. 1. 2. habitam. Hamburgi, apud Joh. Jacob. Winckler / Bibliopolam, 1700. (9. plag. in 4.)

Sumptibus *Benjaminis Schilleri*, Bibliopolæ, prodiit nova, eaqve tertia, editio libri, qvi vocatur die Durchläuchtige Welt / & qvi primâ vice lucem adſpexit anno 1697. Integer titulus ita habet: Die Durchläuchtige Welt / oder kurtzgefaßte Genealogiſche / Hiſtoriſche und Politiſche Beſchreibung / meiſt aller ietztlebenden Durchläuchtigen hohen Perſonen / ſonderlich in Europa, als Käyſer / Könige / Chur- und Fürſten / Ertz-Biſchöfe / Biſchöfe / Aebte und Aebtißinnen / wie auch Grafen des H. Röm. Reichs / nebſt den vornehmſten und bekandteſten Regenten in den übrigen Theilen der Welt: In Vorſtellung Dero Nahmen / Geburts-Zeit / Regierung / Bedienung / nechſten Vorfahren / Vermählung / Kinder / Geſchwiſter und Anverwandten / Länder und Herrſchafften / Prætenſionen / Wapen und deren Urſprung / Titul / Religion, Reſidencen, Academien und deren Fundation, Müntzen / &c. mit beyfügung der berühmteſten und bewehrteſten alten und neuen Scribenten eines jeden Staats / und denn im Anhange einer kurtzen Beſchreibung der fürnehmſten Ritter-Orden in Europa, ſamt den Collegiis Curioſis von jeder Nation. Der Politiſchen Jugend zu Nutzen / und denen Reiſenden zur Beqvemligkeit abgefaſſet von einem / der ſolche Wiſſenſchafften Sehr Hoch Schätzet. (3. Alph. 5. pl. in 12.) *Tribus* hactenus partibus conſtat nova hæc editio, qvarum I. coronata Chriſtiani Orbis capita, Imperatores & Reges, Electores etiam & Principes Imperii, tam Sæculares qvam Eccleſiaſticos, recenſet. Pars II. Comites Imperii; & III. Principes exteros, Reſpublicas illuſtres,

cæteroſqve Orbis moderatores enumerat. Accedet verò brevi *IV. pars*, Introductionem *Artis Heraldicæ*, & *Chronologiam* vernaculam exhibitura.

*Hamburgum Literatum*, cui Cellenſes, Crempenſes, Itzehoenſes, Plœnenſes, Sverinenſes, Verdenſes Literati inſerti, ante triennium in lucem primùm emiſſum, jam Diſputationibus inauguralibus eorum, qvi ſummos in Theologiâ, utroqve Jure & Medicinâ honores, vel eos impetrandi licentiam obtinuerunt, auctius, denuò typis deſcriptum. (4. plag. in 8.)

LVBECAE

Die 9. Februarii *Henricus Lipſtorff*, Med. D. viventium numero ereptus eſt. Natus eſt is Roſtochii an. 1666. die 24. Maji, Patre *Daniele Lipſtorffio*, JCto ac P. P. in Academiâ Regiâ Vpſalienſi, Legationum deindè Referendario Amſtelodamenſi. Humaniori Lubecæ imbutus literaturâ an. 1688. die 11. Januarii patriam ſuam repetiit, atqve Medicinæ operam dedit. Hinc an. 1689. Jenam profectus adultiorem ex inſtitutione D. *VVedelii* ſibi comparaturus cognitionem Medicam; hæc etiam fuit cauſa profectionis ad D. *Dietericum Hoffſtadium*, Practicum Hanovienſem an. 1691. ſuſceptæ. Inde Lugdunum Batavorum perrexit, ac Ultrajecti an. 1693. die 24. Julii, Doctoris titulò, habitâ prius Inaugurali *de Venæ Jectionis uſu & abuſu* Diſputatione, condecoratus. Belgio relicto per potiores Germaniæ ſuperioris regiones Italos adiit, ac Patavio, Româ, Neapoli, Venetiis aliisqve locis luſtratis Viennam ſe contulit, unde per Bojohemiam an. 1694. Lubecam redux, praxin hîc Medicam exercuit. Sed æſtuoſæ febris violentiâ oppreſſus, trigeſimo qvinto ætatis anno obiit. Hunc præmaturum è vitâ diſceſſum, omnes boni rerum æſtimatores non tantùm, ſed Vidua præſertim & tres liberi, duo nimirum filii & unica filia ſeriò lugent.

Die 22. Febr. *Adolphus Matthæus Rodde*, J. V. L. & Protonotarius, nec non *Henricus Dieter. Kirchring*, *Otto* Brocks & *Gerhardus* Ritter / ſolenniter in Ordinem Senatorium cooptati ſunt.

*D. Jo.*

## D. *Jo. Jac. Stolterfothi Obſervatio de Muliere alvum per pudenda exonerante.*

MUlier LI. annorum ex caſu ab alto, qvi ante ſeptimeſtre ſpatium de ſcala contigit, dolorem ſtatim ſentit in regione pubis, qvem negligenter tractavit, usqve dum excrementa alvi cum materia purulenta per pudenda egredi expertur. Varia poſtqvam empyrico ſed irrito adhibuerat conſilio, ad nos tandem qverulas mittit voces, qvibus non ſine prognoſtico obſeqventes, ordinavimus clyſma abſtergens domeſticum, qvod per vulvam itidem effectum ſuum monſtraſſe narrat. Hinc præſcripſimus decoctum lignorum cum aliis vulnerariis balſamicis, unde detumuiſſe muliebria & melius ſibi conſtare affirmat. Svaſi ut perſeveraret in uſu decocti, & alternatim ſumeret Mixturam qvandam balſamicam ſimulqve Diaphoreticam, ex noſtra præſcriptione, cui adjungebam injectionem conſolidantem, unde haud mediocre levamen hactenus ſentit, niſi qvod Urinam parcius reddat, indeqve Abdomen pedesqve intumeſcant: cui malo Diuretica & Aperientia oppono, qvo vero ſucceſſu, tempus docebit.

Credimus ex rupto vaſe qvodam ſangvinem ſtagnantem tantam contraxiſſe acredinem, ut parietes inteſtini Recti, ac (qvæ tam arcte eidem nectitur, ut ſine cultro ſeparari neqveat,) vaginæ uteri, mora ſua diuturniore perforaverit, & cauſa diluvii ſtercorei per Muliebria extiterit. Ex unitatis qvippe læſione corrugatio fibrarum orta, ut reliqva inteſtini Recti portio motum ſuum periſtalticum ad ſphincterem usqve continuare minus potuerit, unde fœces qva data porta egredi coactæ. Qvemadmodum vero nulla calamitas ſola & juxta illud tritum, ſemper aliqvid mali propter vicinum malum, ita collum veſicæ intermedium ſuos patitur maries cum muſculo ſuo ſphinctere, ad reddendam urinam inerte, aut qvaſi corrugato; unde habet cur metuat ægra, ſi non ipſius Veſicæ rupturam, tamen Hydropem cum ſuffocatione, qvæ ipſi qvoqve ex regurgitatione materiæ putridæ ad vaſa, hinc penitus obſtruenda, imminet, anſamqve aliqvando præbebit dicendi ſuis ultimum illud Vale!

Scho-

*Scholion.*

Conferre huc poterit B. L. Excell. Dn. D. *Georg. VVolffg. VVedelii Diſſ. de Caſu ab alto cap. VII. p.* 19. & qvæ notavimus *A. M. DC. XCIX.* Menſ. *Januar. p.* 17. *ſq. & Menſ. Decembr. p.* 382. Fœces alvi per vulvam excretas obſervarunt qvoqve *D. Zachar. Fürſt. M. N. C. Dec. II. A. III. obſ. CXII. p.* 225. *D. Mart. Joh. Haerbart. D. II. A. X. Obſ. LXXV. p.* 132. *D. Phil. Jac. Hartmann. l. c. Obſ. CLIX. p.* 249. *D. Joh. Schmid. D. II. A. IV. & V. Obſ. CLVII. p.* 189. *ſq. Thom. Bartholin. Cent. II. Hiſt. Anat. LXIII. p.* 285. qvi & alvi excrementa per ſcrotum rejecta vidit. *Cent. I. Ep. Med. V. p.* 18. *ſq.* De excrementis alvi per penem ejectis vid. *D. Henr. Vollgrad.* M. N. C. *Dec. I. A. I. obſ. XI. p.* 29. *D. Joh. Jac. VVagner. l. c. D. II. A. IV. obſ. LXXV. p.* 159. conf. qvæ in *Scholio ad h. l.* habet *D. Eman. König.* de excrementis per abſceſſum abdominis *p.* 160. Alvi fœces per ingvina excretas notat *Cornel. Stalp. van der VViel Cent. I. Obſ LX. p.* 260. conf. Excell. Dn. *D. Joh. Ludov. Hannemann.* M. N. C. *Dec. II. A. III. Obſ. LV. p.* 142. *D. Chriſtian. Ludov. Göckel. l. c. A. IV. obſ. CXII. p.* 219. *D. Joſeph. Lanzoni l. c. A. III. Obſ. CXXIV. p.* 218. qvi qvoqve excrementa alvi per umbilicum emiſſa obſervavit *l. c. D. III. A. I. Obſ. XLVI. p.* 63. conf. *Cornel. Stalp. van der VViel. Cent. I. Obſ. LVIII.* qvi & purgamenta alvi ex inteſtino Colo per lumbos ejecta refert *l. c. Obſ. LIX.* Ne dicam de Urina circa os ſacrum effluente, de qva *Olaus Borrichius Act. Med. Hafnienſ. Vol. II. Obſ. LI. p.* 154 aut de eadem ex ingvine deſtillante, juxta *Thom. Bartholin. Cent. I. Hiſt. Anat. XLIX. p.* 74. aut aliis excretis præternaturalibus, de qvibus forſan alia occaſione.

*Henrici Lubberti*, Eccleſiæ Bählendorffenſis in ditione Lubecenſi Paſtoris, Scriptum vernaculum ſub prelo ſudat, cujus titulus: Der von den ehrbaren Heyden verdammte Lutheriſche Schein-Chriſt/ in denen Tugenden/die die ander Taffel des Geſetzes im gemeinen Leben erfordert/&c. Ratzeburg/ bey Sigismund Hoffmann/1701. (in 8.)

# NOVA LITERARIA
## MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS;
*Edita Menſe Aprili MDCCI.*

### ROSTOCHII

Die 1. Martii Rector Academiæ, *Johannes Nicolaus Qviſtorpius*, S. S. Theol. D. ejusdemqve Prof. P. nec non Paſtor ad D. Nicol. & Rev. Miniſterii Director, Programma publicavit, qvo Cives Acad. ad exeqvias, qvas *Johanni Buckio*, J. V. D. Conſiſt. Ducal. Procuratori ordinario Fiſciqve ejus Advocato, Senatori item & Camerario patriæ Civitatis, ac illuſtris Cœnobii *Ribnizenſis* Inſpectori (qvi die 2. Febr. è vivis exceſſit) parabat optima liberorum qvadriga, freqventer eundas invitavit. (1. plag. in 4.) Lucem aſpexit piè defunctus *Johannes Buckius* Roſtochii an. 1633. ipſo Johannis Baptiſtæ feſto, ac in *Scholâ patriâ* ut & in *Gymnaſio Sedinenſi* eruditionis fundamentis poſitis, ad Academica abiit ſubſellia; primùm qvidem *Helmſtadii* per biennium ſtudium Juris ductu & auctoritate *D. Henrici Hahnii* & *D. Hermanni Conringii* excoluit; deindè verò & in *Roſtochienſi* Academiâ per duos itidem annos ſtudio huic operam dedit. Præterea variis Germaniæ Almis, nimirum *Gryphiswaldenſi*, *Lipſienſi*, *Colonienſi*, *Marpurgenſi*, *Gieſſenſi*, *Tübingenſi* & *Baſileenſi*, luſtratis, in *Argentoratenſi* per longum ſatis tempus ſubſtitit, ibidemqve dignitate Doctorali an. 1659. die 1. Decemb. ornabatur, habitâ prius Diſputatione de *Reconventione*. Hinc per Galliam, Britanniam & Hollandiam iter faciens, domum rediit, & Advocati ſimulqve Procuratoris ordinarii in ConſiſtorioDucali officium an. 1669. d. 9. Febr. ſuſcepit. Ternis vicibus in conjugio vixit, utrumq; poſterius qvidem ſterile, prius verò maximè fœcundum, & ex illo duo filii totidemqve filiæ ſuperſtites.

Die 8. Martii *Johannes Backmeiſterus*, S. Theol. Studioſus,

*Sebaſtiani Backmeiſteri*, Paſtoris Eccleſiæ ad Travæ Oſtium filius, Orationem in Auditor. maj. habuit, qvâ *memoriam* Avunculi ſui magni, B. Mag. *Bernhardi Krechtingii*, ædis Marianæ apud Lubecenſes nuper Paſtoris totiusqve Rev. Miniſt. ibid. Senioris & Conſiſt. Aſſeſſ. anno ſuperiori 1700. ætatis octuageſimo placidè extincti (cujus in N. L. dicto jam anno p. 346. mentionem fecimus) piè recoluit, prævio programmate *D. Henr. Chriſt. Tielkii*, Orat. Profeſſoris.

Die 12. Martii *Johannes Fechtius*, S. Th. D. ejusdemqve P. P. Conſiſtorii Ducal. Aſſeſſor, & Diſtr. Roſtoch. Superint. Diſputationem *de Sacrificio Miſſæ propitiatorio pro vivis mortuisqve*, Jeſuitæ *Dezio* oppoſitam, propoſuit, Reſpondente *Joachimo Prüſſingio*, Warena-Meckelb. (pl. 5. in 4.)

Die 15. Martii *Cunradus Steinius*, Roſtoch. J. V. Candidat. Diſputationem Juridicam inauguralem, qvæ exhibet *Diſſenſum JCtorum circa forum patriæ*, ſub præſidio Fratris ſui *D. Matthiæ Steinii*, Codic. Juſtin. P. P. horis antè & pomeridianis defendit, qvi Candidatus Roſtochii natus eſt, Patre B. *Walthero* Stein/ Mercatore ibi & Xenodochii Præfecto: anno 1694. loco dicto Studioſis adſcriptus ad Juris ſtudium applicuit animum, in qvo & ſpecimen ſub præſidio laudati jam fratris edidit; poſtea *Regiomonti* non tantùm præſide altero Fratre ſuo *D. Joh. Steinio*, Juris ibid. Prof. Ord. *unam*, ſed & ſub Præſidio Lic. *Joach. Heſſen*, jam D. & Prof. Extraord. *duas* propugnavit Diſputationes. (plag. 4. cum programmate, in 4.)

Die 16. Martii ſub præſidio *M. Franc. Alb. Æpini*, S. Th. Baccalaureandi, cujus ſupra in N. L. an. 1698. p. 176. 223. & alibi meminimus, Diſputationem Philol. moralem *de Societatis nuptialis in ſtatu integritatis necesſitate*, ventilationi publicæ ſubjecit, Auctor & Reſpondens *Georg. Henricus* Haberforn/ Erfordiâ-Thuring. *D. Joh. Balthaſ. Habercornii*, Superint. Guſtrovienſis & Concion. aulici primarii, filius. (5. pl. in 4.)

Die

Die 17. Martii *Erneſtus Henricus Fechtius*, Durlaco-Badenſis, Medicinæ Cand. ſub præſidio *D. Joh. Erneſti Schaperi*, Med. Prof. Ducalis & Fctis ſuæ h. t. Decani, Diſputationem inaug. *de Obeſitate nimiâ*, horis ante & pom. ventilandam propoſuit. (6½. plag. in 4.) Cui Diſputationi Præſes jam dictus Epiſtolam loco programmatis præmiſit, qvâ non tantùm Candidati hujus Parentis, *D. Joh. Fechtii*, S. Theol. P. P. paulo antè laudati, laudes fuſiſſimè decantat, ipſiqve de felici filiorum qvadrigâ, inprimis de filio hoc natu tertio, impenſiſſimè gratulatur, ſimulqve Candidati hujus, Durlaci an. 1678. d. 28. Febr. Matre *Mariâ Magdalenâ Obrechtia* nati, curriculum vitæ ſtudiorumqve *Roſtochii* præeunte laudato jam D. *Schapero* inceptorum, & partim eo loco per qvinqvennium, partim *Lugduni Batavorum* per annum & qvod excurrit, partim *Altorfii Noricorum* itidem per annum, tandemqve *Lipſiæ* aliqvanti ſper continuatorum, enarrat, ſed & Academiam ad Diſputationem invitavit. (3. plag. in 4.)

Die 19. Martii *Iſaacus Laurbecchius*, Holmiâ Svecus, S. Th. Lic. qvem ſuperiori anno p. 353. laudavimus, *D. Petri Laurbecchii*, antehac Theol. Prof. Prim. Aboënſis, jam Epiſcopi Wiburgenſis in *Careliâ*, filius, Theſes qvasdam ſelectas, *de tempore qvo Chriſtus Paſcha comedit, de benedictione ſacerdotali, de ſtylo N. T.* &c. propoſuit, Reſpondente *Helmuht Leopoldi*, Roterndorp. Meckelb. (1½. plag. in 4.)

Die 27. Martii, ipſoqve adeò Paſchatis feſto, laudatus paulò ante Acad. Rector *D. Joh. Nicol. Qviſtorpius* programmate publico *Verum Agnum Paſchalem* Civibus Academicis piè meditandum & celebrandum ſtitit. (1. plag. in 4.)

GRYPHISWALDIAE

Die 8. Martii *Daniel Erneſtus Kraſſow*, Nobilis Rugianus, in laudem & memoriam *Eccardi ab Vſedom*, Præfecti qvondam Principatus Rugiæ & Conſiliarii Provincialis, Hereditarii in Car-

titz & Liddovv &c. publicè *Orationem latinam* habuit. Ad illam audiendam programma invitatorium Facultatis Philoſophicæ Decanus, *M. Chriſtianus* Saalbach/ Poëtic. ac Orator. Prof. Ord. præmiſit. (1. plag. in fol.)

Supra laudatus *Eccardus ab Vſedom*, primum ſupremi Imperii Tribunalis, qvod *Spiræ* qvondam erat, & nunc *VVetzlariæ* eſt, Asſeſſor; dein Sereniſſimi Pomeranorum Principis BOGISLAI XIV. Conſiliarius intimus, in *Dicaſterio VVolgaſtano* Præſes, & Arcis ibidem Ducalis *Capitaneus* extitit. Demum poſt beatum Hujus Pomeranorum Ducis obitum Præfectus & Conſiliarius Provincialis *Rugiæ* conſtituebatur. Anno 1646. d. 8. Martii vitam finiens, *Academiæ Gryphisvvaldenſi* tria florenorum millia, trium Studioſorum pecuniam vectigalem annuam, & inſuper Bibliothecam ſuam inſtructisſimam teſtamento legavit: qvæ tamen, paucisſimis libris exceptis, ante mortem Teſtatoris in exorto d. 21. Auguſti 1628. *VVolgaſtanorum incendio bellico*, combuſta eſt.

Die 10. Martii Præſide *Henn. Chriſtoph. Gerdeſio*, Juris Prof. Publ. Ord. *aſſertiones Juris publici*, Auctor *Georg. Adolph. Caroc* Juriſpr. Studioſus ventilandas propoſuit. (1. pl. in 4.)

## GEDANI

*Johannes Falckius*, ad Div. Cath. Verbi Divini Miniſter, edidit ſcriptum Antipontificium, Anonymo oppoſitum ſubtitulo: Auffrichtig-Lutheriſche Antwort/ auff eine für Lutheriſch mit Unwarheit ausgegebene Schrifft/ betitelt: Inhalt des Brieffes eines Lutheraners an ſeinen *Paſtor*: womit der Brieff-Steller kürtzlich doch gründlich abgefertiget werden ſollen/von einem Bekenner der Evangeliſchen Warheit/ deſſen Wahl-Spruch aus 1. Joh. V. 4. 5. dieſer iſt: *In Fide ac Doctrina Chriſti Victoria Deniqve Mea!* 4to pl. 6. Servatur in Scriniis Auctoris libellus alius ejusdem commatis, ſub titulo: Schlecht-gegründete/ ſo genandte Grundfeſte der Catholiſchen Warheit/ &c. Tenebrioni inter Pontificios larvam detrahens, Cauſasqve examinans à Plagiariorum impudentisſimo A. C. 1697. denuò in lucem protractas, *Cur Sereniſſimus*

*Prin-*

*Princeps - - Romano-Catholicam religionem acceptaſſe perhibetur.* Suppresſit verò Auctor laborem ſuum hactenus, tum propter cauſas maximè prægnantes alias, tum qvod abſoluto jam opere præter exſpectationem inciderat *in Demolitionem Murorum Babylonis à D. Balthaſare Meisnero* Wittebergæ 1615. inſtitutam, qvâ confictâ *Religionis Pontificiæ Fundamenta XII.* evertuntur, qvibus inſiſtens *Sereniſſ. Princeps Wolffg. Wilhelmus, Comes Palatinus* Rheni, &c. in Eccleſiam Catholicam pedem intuliſſe fertur, à *Jacobo Reihingio*, tum Jeſuitâ A. C. 1615. Colon. Agripp. ſub tit. *Murorum Civitatis Sanctæ* edita; & deinceps ab ipſomet *Reihingio*, ad fidem Evangelicam Dei gratiâ converſo, Profeſſore Theologo apud Tubingenſes celeberrimo, *everſa.* Ut adeò, qvi toties confutata, de Verbo ad verbum exſcripta, typis denuò vulgare, & pro novis venditare, famamqve hoc ipſo atqve gloriam *Potentisſimi Herois* turpisſimo conatu proſtituere publicè non eſt veritus, perfrictæ frontis Homo, Exploſionem potius, qvàm Reſponſionem aut Refutationem uberiorem mereatur. &c. &c.

Idem *Falckius* antehac publicavit: Diſſertationem Theologicam *de Spirituali Fidelium unctione ſuper* 1. *Joh.* II, 20. Programmatibus inprimis Pentecoſtalibus *Syncretiſtarum* tum temporis *Regiomontanorum* oppoſitam, qvæ typis poſthac aliqvoties exſcripta eſt. Prima editio prodiit Gedan. 1672. 4to, pl. *6.*

Diſſertationem Philologico-Theologicam *de Vrim & Thumim*, Wittebergæ, 1675. 4to. pl. *6.*

Concionem *die exeqvali* deſideratisſimi Fratris ſui, *D. Nath. Falckii, ſuper Hiobi II.* 21. habitam, Gedani. fol. pl. *6.*

Ejusdem curâ lucem viderunt Parentis, *M. Michael Falckii*, Paſtoris ad D. Catharinæ, ſcripta poſthuma ut:

*Conciones Pœnitentiales LIII.* qvibus annexa eſt *concio funebris, Auctori habita*, cum Perſonalibus. Francof. ad Mœnum, 4to, Alphab. *6.* 1681.

*Conciones XX. de Victoria Mundi ſuper Joh. XVI*, 33. 8vo, Ib. 1686. Qvæ in vivis exiſtente *M. Falckio* lucem qvondam viderunt, exhiben-

habentur apud Henningium Witten in Diario Biographico, 1676. 19. Septembr.

Similiter operam impendit utFratris ſui *D. Nathanaelis Falckii*, poſt præmaturum ejus obitum, lucubrationes qvædam vulgarentur, nempe:

*Septenarius Sacer Concionum ſingularium*. 4to, Alphab. 1. Lipſ. 1694.

*Conciones Miscellaneæ*, ſub tit. Gottgeheiligte Früh-und Veſper-Stunden. Siſtuntur autem Conciones Matutinæ XVI. Funebres. XVII. Pœnitentiales. III. Qvibus Editor præmiſit præfationem, maximâ ex parte contra famoſorum Libellorum Auctores neqvisſimos directam: additurqve in fine Libri, *Concio Funebris* in Auctorem, Sedini, itemq; alia die exſeqviali ab Editore Gedani habita, cum *Perſonalibus, Programmatibus, Epicediis*, &c. 4to, Alphab. 5. Sedini, A. C. 1697.

Si Bibliopola aliqvis ſumtus impenderit, ſuo tempore communicabit, qvæ laudatus *D. Nath. Falckius*, in ipſo ætatis & meritorum flore denatus, olim edidit *Scripta*, qvorum conſignatio in Perſonalibus defuncti p. 759. 762. & 771. reperitur, qvæqve collecta in faſciculos & conjunctim edita, volumen conſtituerent oculis eruditis haud ingratum, inprimis ſi accederent *Varia* hactenus *Inedita* atqve à manu Auctoris indefesſi relicta, qvæ inter *Oratio* ejusdem *Inauguralis* eſt, qvam Sedini A. C. 1694. d. 24. April. cùm munia Theolog. Prof P. Primarii ſuſciperet, declamavit *de Hæreticismo Novantiqvo, ſive de Licentiâ noſtri temporis in abſurdisſimas veterum Hæreſes proclivi*. &c. &c.

Menſe Februario recuſus eſt curioſus libellus 2½. pl. in 12mo ſeqventis tituli: *Valentini Franck Breviculus Originum nationum & præcipuè Saxonicæ in Tranſylvaniâ, cum nonnullis aliis Obſervationibus ad ejusdem Jura ſpectantibus, è ruderibus Privilegiorum & Hiſtoricorum deſumptus, ad exemplar Cibinienſe Tranſylvanorum anno 1696. nunc recuſum Gedani A.* 1701. Auctor ad calcem præfationis deſcribitur *Saxonicæ Nationis Comes & Civitatis Cibinienſis Judex Regius.* Ar-

Argumentum Opuſculi ita ſe habet: *Tranſylvaniam*, ut *Daciæ* partem, primi inhabitarunt *Gotti* ſive *Getæ*, qvorum Regem *Decebalum* Trajanus vicit. p. 4. *Gotti* verò, poſtqvàm CC. annos Romanis paruiſſent, hos rurſus expulerunt, donec ab Hunnis ſuperati, peculiaris natio eſſe deſierunt. p. 5. Hodie Tranſylvania à tribus præcipuè nationibus habitatur, Hungarorum, Siculicorum & Saxonum, p. 6. Saxones ibi locorum non trahunt ortum à Gottis. p. 9. Neqve eò à Carolo M. miſſi ſunt. p. 12. ſed primos è Germaniâ evocavit Rex Geyſa I. p. 13. & plures longè Rex Geyſa II. p. 15. Privilegium à Rege hoc Saxonibus conceſſum, p. 17. Epocha ingreſſus Saxonici ducitur ab A. C. 1142. p. 19. Principes, Sigismundus & Gabriel Bathorei, Archivis Saxonum cladem intulerunt. p. 21. Militaris opera, qvam Saxones Regi Hungariæ præſtant, exponitur p. 24. Præter dictas nationes Tranſylvaniam incolunt Valachi, Romanorum coloni p. 26. qvo in loco Ovidius obierit. p. 28. Valachi religionem Ruthenicam ampleđuntur. p. 31. Armenorum in Tranſylvaniam adventus. p. 32. Anabaptiſtarum reliqviæ, inter qvos priſtina bonorum communio ceſſavit. p. 34. Bulgari duplices, veteres & novi, itemqve Cingari. p. 35. Inter Hungaros & Siculicos religiones tres obtinent, Romana, Reformata & Unitaria. p. 35. Saxones univerſi Lutherum ſeqvuntur & Syncretiſtas ac Pietiſtas averſantur. p. 36. Omnes pendent ab uno Epiſcopo. p. 37. Natio Saxonica dividitur in Civitates qvatuor & Sedes ſeptem. p. 38. Modus regiminis inter Saxones eſt Ariſtocratico-Democraticus. p. 40. Saxones experti ſunt tres periodos, *primam* ſub antiqvis Hungariæ Regibus. p. 41. *Alteram* cum Tranſylvania ab Hungariâ avelleretur. p. 43. In qvâ libertas Saxonum haud parum imminuta eſt. p. 44. Saxones ſunt votorum in regni comitiis participes. p. 47. qvotannis Cibinii congregationem publicam habent: Alia eorum jura. p. 48. *Tertia* periodus, Tranſylvaniâ in poteſtatem Imperatoris redactâ cœpit. p. 51. Modus regiminis modernus. p. 52. Fabula Hamelenſium, à qvibus Saxones in Tranſylvaniâ orti eſſe perhibentur rejicitur. p. 53.

Die 15. Febr. deceſſit *Michael Englat*, anno ætatis CXVII. Cum XIIX. annorum juvenis matrimonium contraxiſſet, filius ejusdem primo-

primogenitus Polſchini, in pago ad Carthuſianos Monachos ſpectante, adhuc degens, jam annum XCIIX. ſoſpes & incolumis agit. Ceterum noſter ille, de qvo verba facimus, poſtqvam antehac vitris parandis non procul à patriô oppidulo *Marienſee* operam locaſſet, tandem viribus deſtitutus, ultimum qvadrienniurn Gedani exegit, eleemoſynis, qvas ad fores templi à S. S. Trinitate denominati, colligebat, ſuſtentatus.

d. 3. Mart. ſub Præſidio *Samuelis Friderici Willenbergii*, J. V. D. Ejusqve ac Hiſtoriar. Prof. Publ. & Athenæi Inſpect. genuinus Auctor, *Johannes VVahl*, Gedan. diſputavit *de Jure Conviviorum.* pl. 8. Argumentum ſingulis capitibus præfigitur, inter qvæ Cap. I. exhibet explanationem Rubri. Cap. II. agit de Reqviſitis ad Convivia Permiſſa. Cap. III. de Conviviis Prohibitis. Cap. IV. de Conviviis Principum. Cap. V. de Jure Conviviorum circa ſtatum Perſonarum. Cap. VI. de Jure Conviviorum circa contractus. Cap. VII. de Jure Conviviorum circa Delicta. Cap. VIII. de Jure conviviorum circa Judicia.

*D. Samuel Schelgvigius* continuavit Pugillos ſuos diſputando itaqve excuſſi ſunt:

Pugillus XXX. Reſp. *Martino Böttgero*, *Mœvâ Boruſſo*. d. 12. Jan. An Formulæ illi, aut alii huic ſimili, qvòd bona Opera neceſſaria ſint ad ſalutem, ſenſus veritati conveniens qværi debeat; aut ſi qværatur, reperiri qveat? *Neg.* An in Eccleſiâ Evangelicâ de falſitate dogmatis, qvòd bona opera ſint neceſſaria ad ſalutem, antehac informatus, ſi poſteà aliud ſentientibus ſe applicet, & contrarium approbet, imò & propugnet, pro infirmo fratre reputandus, ferendus, aut excuſandus ſit? *Neg.* An bona opera ſe, ut pars ſalutis ſeu beatitudinis gratioſæ, habeant? *Neg.* An bona opera ſe in hâc vitâ jam, ut pars ſalutis ſeu beatitudinis glorioſæ, habeant?

Pugillus XXXI. Reſp. *Georgio Suitlicki*, *Soldino-Pruſſo*, d. 19. Jan. An cuiqvam homini in hâc vitâ poſſibile ſit in Sanctificatione eò pervenire, ut amplius proficere neqveat? *Neg.* An Renatus in Renovatione ad gradum ſanctitatis, ſummo proximum, durante hâc vitâ pervenire qveat? *Neg.* An major ſanctitatis gradus in N. T.

qvam

qvàm in V. reqviratur? *Neg.* An qvi vivâ fide pollet, in renovationis negotio, ſine cauſâ de infirmitate conqveratur? *Neg.* An tres Pœnitentiæ partes ſint, Cognitio peccati, Contritio & Fides? *Neg.* An Pœnitentia duplex ſit, alia Legalis, qvæ ex metu pœnæ reſultet, amore peccati adhuc in fundô animæ remanente; alia Evangelica, qvæ ex dilectione Dei oriatur, atqve ſerio peccati odiô ſtipetur? *Neg.*

Pugillus XXXII. Reſp. *Gabriele Bentero, Gedan.* d. 26. Jan. An ratio, id eſt, qvidditas & veritas contritionis in ſe ac formaliter ſpectatæ mutetur virtute Evangelii in Contritionem veniente? *Neg.* An qvi per conſiderationem paſſionis & mortis Chriſti ad Contritionem non movetur, ei Lex hac in parte nihil proſit? *Neg.* An propoſitum fugiendi peccatum, & propoſitum faciendi bonum, qvâ principium proximum diſtingvantur, ita uti illud ex Contritione, hoc ex Fide reſultet? *Neg.* An impoſſibile ſit, veram ſeriamqve fuiſſe Pœnitentiam ejus, qvi, præſertim brevi poſtqvàm Pœnitentiam egiſſe viſus eſt, denuò peccat? *Neg.* An formæ ſanorum verborum conſonet, cum docetur I. qvòd ſpiritualis mutatio, non ſolùm à parte hominis (qvod concedi poteſt); ſed etiam à Dei, peccatis nimium irritati & gratiam ſubtrahentis, valdè difficilis ſit. II. qvod paucis in fine vitæ contingat. III. qvòd freqventer reiterari neqveat. IV. qvòd alterâ vice difficiliùs peragatur, qvam prima? *Neg.*

Pugillus XXXIII. Reſp. *Salomone Theophilo Pomian Peſarovio, Ged.* d. 31. Jan. An ſæpiùs e. gr. etiam ultra tertiam vicem relapſus, ad Pœnitentiam, Deo acceptam ſibiqve ſalutarem, redire qveat? *Affirm.* An ſi ſpiritualiter adultus deficiat, impoſſibile ſit eum ad pœnitentiam redire? *Neg.* An Confeſſio peccatorum privata, & qvæ hanc ſeqvitur, Abſolutio ſacerdotalis, prouti in Eccleſiis Evangelicis à temporibus Lutheri conſtanter obtinuit, meritò retineatur. *Aff.*

Pugillus XXXIV. Reſp. *Georgio Andreâ* Meſſerſchmidt, Gedan. d. 23. Febr. An mos ille, nummum, qvem vocant, confeſſionalem (Den Beichtpfenning) dandi & accipiendi, abolendus ſit? *Neg.*

*Neg.* An ante novellos Eccleſiæ Reformatores, in qvô vera Pœnitentia conſiſtat, ignoratum, aut ſaltem negligenter tractatum fuerit? *Neg.* An per ſolam Legis prædicationem homines verè pii reddantur? *Neg.* An non ſolùm in Lege, ſed etiam in Evangelio reqviratur ſancta vita, ſcilicet talis, qvæ ex communione cum Chriſto fluat? *Neg.* An Evangelium paucioribus operibus, ut fidei fructibus, contentum ſit, qvàm Lex? *Neg.*

Pugillus XXXV. Reſp. *Daniele Mannio, Elbingenſi* d. 2. Mart. An Lex Chriſtum monſtret, ad eum qvaſi manuducat, nihilqve magis velit, qvàm ut miſeriâ noſtrâ cognitâ Chriſtum Mediatorem qværamus, in ejusqve communione ſalutem conſeqvamur? *Neg.* An Lex Evangelio oppoſita per regenerationem ita cordi inſcribatur, ut non ampliùs nuda litera ſit, exigens qvid fieri debeat, qvalis antehac fuit; ſed jam ſpiritus fiat, vires etiam præſtandi qvod exigitur, conferens, imò hominem vivificans? *Neg.* An Lex in regenito ſpiritus facta, ſit ipſa virtus benè operandi, & nova hominis natura? *Neg.* An Evangelium peccatoribus, etiam contumacibus & induratis, ut per oblationem gratiæ emolliantur & convertantur, prædicandum ſit? *Aff.* An non ſolùm Lex per Evangelium ſed etiam Evangelium per Legem illuſtretur. *Neg.* An Deus Evangelicum fœdus ſub conditione (tanqvam parte fœderis) ut *in ſanctitate & juſtitiâ Chriſto*, qvamdiu præſens vita durat, ab omni immunditie puri ſerviamus, nobiscum pepigerit? *Neg.*

Pugillus XXXVI. Reſp. Gottlieb *Schelgvigio*, Ged. d. 9. Mart. An formæ ſanorum verborum conveniat, ſi Lex ſtatuatur eſſe neceſſaria ad ſalutem? *Neg.* An ex mente Spiritus S. in Scriptura & per Scripturam in Libris Symbolicis expreſsâ, aliud ſit ſervare, & aliud implere Legem: qvorum prius Regenito in hâc vitâ competat, tametſi dein ille poſterius aſſeqvi neqveat? *Neg.* An ad aliqvam perfectionem Legalem, iſt hoc nomine propriè accepto dignam, in hâc vitâ perveniamus? *Neg.*

Pugillus XXXVII. Reſp. *Johanne Ephraim Gnoſpio, Gedan.* d. 16. Mart. An inter perfectionem Legalem & Evangelicam, qvarum illa nihil ex Evangelio, hæc nihil ex Lege habere traditur, detur perfectio

ſectio media, qvæ ex Lege habeat, qvòd circa opera verſatur; ex Evangelio autem, partim qvod opera, ut fructus fidei, Evangelicum beneficium ſint; partim & qvidem præcipuè, qvòd opera eadem, ex gratiâ Evangelii, pro bonis & in ſuperiori eorum gradu pro perfectis reputentur? *Neg.* An Lex à Regenito juxta ἐπιείκειαν Evangelicam ſervari, Regenitusqve eâ de causâ legaliter, aut ad minimum evangelico-legaliter perfectus cenſeri qveat? *Neg.* An Pædobaptismus ex Scripturâ ſufficienter demonſtrari posſit, adeoqve in Eccleſiâ noſtrâ jure meritoqve retineatur? *Aff.* An dubia de veritate Baptismi per aſperſionem, immerſioni oppoſitam, peracti, firmo aliqvo fundamento nitantur? *Neg.*

BERGIS

*D. Nicolaus Randulffius*, Diœceſeos Bergenſis Epiſcopus, ſuam in funere Auguſtisſimi ac Potentisſimi Regis, CHRISTIANI V. glorioſæ memoriæ habitam *concionem parentalem vernaculam* prélo ſubmittere decrevit.

*M. Severinus Lintrupius*, Def. Prof. Hafn. & Cathedr. Scholæ Bergenſis Rector, ſuum qvoqve eodem in funere Auguſto habitum publicè *Panegyricum parentalem* ( de qvo anno ſuperiori *1700. p. 45.*) editioni paratum habet.

è DIOECESI BERGENSI

Poëtriam nuper novam, *Ingeburgam Grytten*, *Andreæ* Paſtoris qvondam Holmedallenſis filiam, *Neomarchia* dedit *Sundfiordenſis*, non in bicipiti *Parnaſſo*, aut amœno Muſarum contubernio, ſed ſeveriori crucis *Gymnaſio*, ſolâ afflictione Magiſtrâ, jugi patientiæ Chriſtianæ exercitio formatam; Cujus etiam diſciplinæ ſanctioris radicem unicè ſapiunt, qvos, typis Hafnienſibus, publico propediem offeret *Crucu fructus*, id eſt, *Carmina vernacula, hymni ſc. matutini, veſpertini*, *pœnitentiales*, *metaphraſis item parabolæ de Phariſæo & Publicano metrica* prolixior, ſuam ubiqve ingenii & venæ poëticæ felicitatem & devotionis ardorem haud obſcurè proditura.

*Amici cujuſdam Bergenſis Scholion.*

Dicta modò *Ingeburga Grytten, Syllabo Mulierum Daniæ & Norvegiæ eruditarum Schachtiano*, N. L. an. 1700. inſerto, meretur inſeri, novo poſthac numero numeroſam ſatis eruditi Gynecæi *Bibliothecam* auctura: Qvalem præter Auctores Viro docto l. c. p. 210. ſeq. memoratos (ut hoc ob ejus ſupplementum adjiciam) olim inſtruxerunt J. *Beverovicius* ap. Voſſ. ep. 366. & 398. J. B. *Fregoſus* de fœm. qvæ doctrinâ excelluerunt, teſte *Ghilino* theatr. P. I. p. 96. ap. Morhof. p. 229. J. *Fronto* diſſ. de Virginit. eruditâ, Par. 1651. S. *Grosſerus* diſſ. de fœmin. meritis in Rempubl. earumqve prærogat. in Rep. conceſſis Lipſ. 1689. & 90. *Hændelius* diſſ. de German. fœm. erud. claris, Altorff. 1688. J. *Herbinius* diſp. de fœmin. illuſtrium eruditione, Witteb. 1657. C. *Junckerus* in Centuria fœminarum erud. & ſcriptis illuſtr. Schediasm. de Diariis Eruditorum adj. 1692. 12. *Laur. Legatus* in primitiis Muſei Poëtriarum, atqve ipſo deinde integro earum Muſéo apud Juncker p. 13. *Joa. Matthæus Lunenſis* opere de mulier. claris, Paris. 1520. *Æg. Menagius* in hiſt. mulier. Philoſopharum veterum. *Joa. Pereſius Moya* de claris Hiſpaniæ Mulier. Madrit. 1503. *Erneſt. Neumeiſter* in ſpecim. diſſ. hiſt. de Poëtis German. Lipſ. 1695. ap. Thurman. l. c. *M. D. Omeiſius* diſſ. de Germ. fœm. erud. claris, ib. *J. Paſchius* in Gynecæo docto Witt. 1686. 4to qvod editione altera auctius ante hoc jam ſeptennium promiſit C. F. *Paullini* in Zeitſ. erbaul. Luſt P. 2. n. 193. p. 1097. ſ. de mulier. German. eruditis. P. *Paulus de Ribera* in lib. Ital. Donne illuſtri dotate di condition, & ſcienze ſegnalate. Venet. 1608. in 8. ap. Teiſſer. Catal. p. 268. *Joa. Sabbatinus*, Av. lib. de fœm. illuſtr. ap. eund. p. 247. *Fr. Sardonatus* Ital. de illuſtr. mulier. ap. eund. p. 92. *J. Sauerbrey* de fœm. eruditione diſp. 2. qvarum altera ſub præſidio J. Thomaſii hab. Lipſ. 1671. occaſionem *Morhofio* aliisqve dedit utramqve *Thomaſio* adſcribendi. *Jac. de Vitriaco* de fœm. *Leodienſibus* illuſtribus, ib. p. 151. aliiqve apud *Zimmermann.* de Presbyteriſſ. §. 4. p. 5. *Salden.* de libris p. 14. 15. *Thurmann.* Bibl. Acad. p. 84. ſeq. Promiſſam verò ac paratam habuerunt, ſervantq; plures, utpote *Anonymus Romanus* ap. *Juncker.* p. 14. *la Barreib.*

Com.

Com. à Beughem, à qvo promittitur *t' lof der dorrlugtigen Vrovven, ſtinde een hiſtoriſch verhael aller gelarden Vrovven, en deſſelven ſchrifften* in catal. libr. ſuorum antè Biblioth. Jurid. & Polit. *Ludov. Jac. à S. Carolo* in Biblioth. fœm. ſcriptis illuſtr. cum aliis pluribus ap. Teiſſer. p. 224. *ἀνεκδότῳ Bernardin. Corius* Mediol. qvi vitas Poëtarum ac illuſtr. mul. promiſit ap. eund. p. 42. *Er. Franciſci*, à qvo promittitur das tapffere und gelehrte Frauenzimmer in deſign. libr. ſuorum p. 34. *Guyonnetus*, cujus diſcurſus, *dans le qvel il prouve l' Excellence du beau ſexe, par les exemples des Vertus, par la practiqve des ſciences & des beaux Arts*, è *Mercurio Polito* meminit *Juncker* p. l. c. *P. Lambecius*, qvi ſpec. virorum ac fœm. illuſt. enarrat. promiſit in prodr. hiſt. liter. ſed non abſolvit. *Vinc. Placcius*, cujus promiſſi de ſcriptor. juvenil. & muliebr. libri mentio ap. Morhof. p. 229. atqve omnium procul dubio labores victurus *Cel. Ottho Sperlingius*, integrum, jam olim Morhofio l. c. laudatum, opus in gratiam mulierum doctarum diu molitus, à primis temporibus ad noſtra usqve productum. Ut ἀνέκδοτον ſimile *Ill. Leonoræ Chriſt. Vlffeldiæ* opus de vitis Herôinarum in N. L. an. 98. p. 81. memoratum prætermittam. Adeò nec unqvam in ſeqviori ſexu defuerunt, qvæ colos in calamos, lina in lineas, filum in ſtylum mutarent, & Muſas, utpote fœminini generis à fœminis haud qvaqvam abhorrere, universâ plaudente caveâ eruditâ oſtenderent; nec eruditi è nobiliori ſexu Panegyriſtæ, qvi manu nec parcâ ſane nec invidâ ſuas illi laudes admetirentur inſignes, ut nulla amplius *Schurmanniæ* ſuæ indigeant Apologiâ. Atqve his etiam tot tantorumq; Encomiaſtarum elogiis, fœminei ſexus honori, ineptiis Anonymi Empactæ miſogyni ἀπάντων ἀθρώπων ἀναιςχυντάτȣ *Affelmanno* Part. I. Synt. p. 438. haud parum læſo abundè ſatisfactum exiſtimaveris, ut in his merito debeant acqvieſcere æqvi bonæ cauſæ Advocati, neqve immodicarum adeo laudum poppyſmis, vel æqvalitatem, cum Auct. tr. de l' egalite des deux ſexes, *Mariæ Garſiæ de Gournay* ab *Herbinio* adſcripti ap. Juncker. l. c. vel ἐξοχὴν aut prærogativam ſupra maſculinum cum H. C. *Agrippâ* in declam. de nob. & præcell. fœmini ſexus. p. 2. Op. p. 518. *Helmontio* item *VV. Ignat.*

*Schutzio* in ſcripto cui tit. Ehrenpreiß des hochlöbl. Frauenzimmr. Franc. 1663. de qvo Thomaſ. præf. 71. p 430. aliisqve temerè ac vane promittentibus, incauto lexui turpiter imponere.

*De Selectioribus Eruditorum opuſculis & Diſſertationibus Academicis, argumenti amœnioris Theologici, aut Hiſtorico-Critici ſacratioris, ab interitu vindicandis & in ſua ſyntagmata conſtipandis, Pium Deſiderium Severini Lintrupii, autoſchediaſmate epiſtolico, ad Novorum Literariorum Collectores, expoſitum.*

Bibliothecas ævi veteris ac moderni *deperditas, latentes ac promiſſas*, qvarum laceras, e triſti, qvo perierunt, naufragio, tabulas, utcunqve collectas ſervarunt poſt *Neandrum*, Jul. *Pflugium*, & qvi deperditorum catalogum novo ipſe titulo auxit, J. B. *Ferretium*, *Almelovveenius* & *Meelführerus*, triſti ſubinde memoria revolventi, ſupinam fatorumqve & poſteritatis ſecuram nimis ſeculi noſtratis incuriam, in conſervandis ad nepotum memoriam præſtantium ingeniorum monumentis, qvalia vel ſuperior reliqvit, vel præſens peperit ætas, ſæpiuſculè incidit demirari. Qvippe cum ſemeſa ſcriptorum veterum rudera, maxima, minima, ſive integra ad ſe delata, ſive mutila & per partes accepta, fragmenta etiam & fruſtilla ſæpe minutisſima, ſollicite adeò corradere ac novæ luci aſſerere, omnium ubiqve gentium eruditi toto die certent, vix particulam aut ſchedam vel minimi ſæpe carminis, epiſtolæ aut orationis, modò vetuſtæ, atqve ex Veſtæ penetralibus erutæ, induſtriam ſuam ſubterfugere paſſuri: Oppidò certè paucos ſe offerre videas modernæ rei literariæ Statores, qvi pari ſtudio retractis ab interitu recentioris memoriæ ſcriptis, qvæ cum blattis ac tineis jam tum luctari incipiunt, haud minorem forte, qvàm vetuſtiora illa, a poſteritate venerationem ſibi vindicatura, Reipublicæ literatæ velint gratificari: Ut dolendum adeo ſit, minori pietate ab iis, qvos defæcatiora hodie ſacra juvant, aurea ſummorum ingeniorum lipſana aſſervari, qvàm frivola illa ac dubia corporum ἱερὰ ἅπια a Papicolis olim hodieqve adorari. Qvotocuiqve enim

tot

tot inter πολυγραφωτάτȣς Eccleſiæ repurgatæ Antiſtites, qvot jam a redonato inde Evangelio numeravit innumeros, ea contigit felicitas, qvæ Megalandro olim *Luthero, Melanchthoni, Georgio Principi Anhaltino*, *Brentio*, U. *Regio*, *Chytræo*, *Selneccero*, *G. Majori*, *Ægid. Hunnio*, *Philippo Nicolai*, & *Redivivo* nuper H. *VVellero*, aliisqve forte paucioribus, meritiſſimo ſane, ſed raro poſteritatis beneficio obtigit, ut enthea ſcripta, diverſis olim temporibus ſparſa, cedro tamen digna, vel ſuismet ipſi, vel poſterorum manibus in Tomos conſtipata, æviqve adeò & fati edacis dentibus erepta, perennaturæ orbis Evangelici memoriæ atqve uſui transmitterent? Cum illinc tamen hamaxiæa *Cajetani*, *Hoſii*, *Salmeronis*, *Bellarmini*, *Vasqvezii*, *Valentiani*, *Stapletoni*, *Becani*, *Serarii*, *Malvendæ*, *Sanctii*, *Lorini*, Corn. *a Lapide*, *Eſtii*, *Raynaudi*, *Sirmondi*, N. *Alexandri*, *Petavii*, qvosqve referre mora eſt, aliorum Volumina, iteratis ſubinde ſplendidiſſimis editionibus, perennitati temporum dedicari gaudeant *Romanenſes*; Iſthinc ſuos qvoqve *Zvvinglios*, *Calvinos*, *Bullingeros*, *Bezas*, *Sadeeles*, *Danæos*, *Zanchios*, *Vrſinos*, *Piſcatores*, *Sohnios*, *Junios*, *Paræos*, *Toſſanos*, *VValæos*, *Gomaros*, *Rivetos*, *Camerones*, *Altingios*, *Capellos*, *Coccejos*, *Claudios*, *Bochartos*, *&c.* & poſt alios demum *Voſſios*, *Spanhemios*, aliosqve longè plurimos, *Reformati*, & ſuos cumprimis *Buceros*, *Frithos*, *Ivellos*, *VVittakeros*, *Perkinſios*, *Hookeros*, *Barones*, *Reynoldos*, *Hallos*, *Davenantios*, *VVardos*, *Medos*, *Moros*, *Hammondos*, *Ligthfootos* &c. (ut Homiletas taceam ſine numero) non vivere modò poſt fata, ſed elegantiori etiam habitu, ac reddita qvaſi juventute reviviſcere videant *Angli*, *VVeemſios* qvoqve & *Pocokios*, *Seb. Petzoldi* opera, novo habitu Latiali conſpicuos (ſpondente *Sikio Bibl. Nov. libr.* A. 99. p. 809.) propediem viſuri: Hinc ſuam deniqve *Anti-Trinitarii* Voluminoſam ſatis *Fratrum Vnitariorum Bibliothecam* novis identidem Auctariis non ceſſent locupletare. Nec iſta tamen nunc qveror inveteraſcere grandiuſcula eruditorum volumina, qvippe & mole ſua ætatem latura faciliùs, & notiora dudum literatis, qvàm ut latere omninò qveant, catalogorum certè pleniorum indicio & indaganda promptiùs, & pro re nata e clauſtris ſuis protrahenda. Id potiùs doleo, tot indies optimi

mi commatis libellos, tot lectisſimi argumenti opuſcula, tot exqviſitisſimas *Diſſertationes Academicas*, qvia molis exiguæ, cum ſchedis hinc inde ſparſis, foliorum inſtar Sibyllinorum volitare, perpetua ventorum ludibria, & vel oblivionis æternæ tenebris ſepulta interire, vel unius forte aut alterius bibliotaphii clathris detenta latitare, raro illuſtrium Bibliothecarum forulis, rarisſime autem catalogis inſerta, adeoqve eruditorum non uſui modò & conſpectui, ſed & notitiæ inſuper omni ſubducta. Certè in plerisqve extantibus eruditorum *Biographiis*, *Hiſtoriis*, *Theatris*, *Elogiis*, *Memoriis*, in plerisqve cetera licet locupletisſimis *Bibliothecarum catalogis*, *Pandectis*, *Nomenclatoribus*, *Bibliothecariis* (*Hottingerum* excipio *Bibliothec.* l. 3 c. 2. p. 354. ſeq. non ſpernendum *Diſputationum Theolog. catalogum* inſerere dignatum) *Mercuriis* item & *catalogis nundinarum atqve officinarum* annuis, tot deniqve luculentisſimis gentium fere omnium, *Ephemeridibus literariis*, vel parcisſime attingi Diſſertationes, vel omnino negligi a Scriptoribus, nimiam eorum freqventiam & laborem ſupervacuum, cum *Scheffero præf. ad Svec. liter.* cauſantibus, notorium eſt, & diligentisſimo qvondam *Hottingero* Bibl. p. 5. *nævum hunc in plerisqve catalogis conſpicuum*, poſt *Naudæum*, notanti, & τῷ πάνυ *Morhofio* Polyh. l. 1. c. 19. p. 2 6. juſtam in Biographiis μικρολογίαν deſideranti, obſervatum. Ut non alia re magis, qvàm ipſa inſtituti novitate pronum literati orbis favorem meruerit, qvo paucos abhinc annos *docta per ora Virûm* ſua cum *Bibliotheca volante*, ex variis fere nudis opuſculorum, poematum, orationum, epiſtolarum ac diſputationum titulis inſtructa, volitavit *J. Cinellus*, breviori licet alarum inſtructus remigio, qvàm ut vaſtum illud qvod hic patet, cœli literarii ſpatium poſſet emetiri. Vobis autem, veſtrisqve *Novis Literariis*, varia, qvibus delectamur, Diaria, ceteris qvidem fere æqvantibus, hoc autem aliisqve multum ſuperantibus, cum primam navatæ tam utilis publico operæ gloriam debeat orbis eruditus, in ſpem qvoqve erectus plenam, fore ut veſtro tam laudabili exemplo, ad pulcherrimi inſtituti æmulationem excitati aliarum qvoqve gentium,

-um, Academiarum atqve urbium Polyhiſtores, parum hactenus excultam hiſtoriæ literariæ Provinciam junctis operis exornare, votumqve adeo *Morhofianum* l.c. p.215. *relationibus & Mercuriis* pleniori-bus contendant adimplere. Proinde, non iniqvo feretis animo, *Pii* hujus ab aliis jam repetiti ſæpiùs *Deſiderii literarii* ſummam, ad Vos denuò, innocua repetitione, à me referri, eruditæ caveæ per vos impenſiùs commendandam; utiqve cum rei olim agitatæ in animo meo, jam promendæ, opportuna nuper oblata fuerit occaſio. Nimirum Diſſertationum ac meletematum Academicorum deliciis, ab ipſis ſtudiorum qvaliumcunqve primordiis ineſcatus, ac proinde de notitia earum pleniori, qvàm obvii ſuggerebant libelli, aliunde paranda ſollicitus, cœperam olim, Bibliothecarum, qvæ mihi forte patebant, inprimis Laſſenianæ, his theſauris inſtructisſimæ, catalogorum item adminiculis adjutus, catalogum ſelectiorum in Theologia poſitivo-polemica, Exegetica, Hiſtoria &c. Diſputationum, in privatos ſaltem uſus adornare. Jamqve ille ſubſecivis annorum aliqvot operis ſubinde auctior, in eam excreverat molem, ut juſtum minari volumen videretur, publico forte aliqvando, vel *Notitiæ* vel *Bibliothecæ Diſputationum*, vel *Bibliothecæ* item *Theologicæ contractæ* titulo in qvalecunqve *Bibliorum Dorſchei numeratorum*, *Bibliothecæ* item *Lippenii Theologicæ ſupplementum*, deſtinandum: Cum ecce! ſubmiſſum pridem catalogum nundinarum Lipſienſ. 1700. vernalem evolvens, inter *libros futuris*, qvod dicitur, *nundinis prodituros*, *Bibliothecam* promitti video *Exegetico-Theologicam*, *ſive notitiam repræſentantem Dupp. in loca & dicta Biblica ab Excellentiſſ. Theologis* &c. Hamb. ap. G. *Liebezeit*. Qvo viſo, eqvidem impensè gaudebam, eſſe qvi voto & conamine pari ad eundem juxta mecum collimaret ſcopum, imo cunctantem præverteret, dolebam tamen ſuppreſſo nomine, poſt tabellam deliteſcere Auctorem voluiſſe, ut communicari adeo cum ipſo conſilia neqvirent, paratiſſimus aliàs, lampada ipſi, cum mediocri qvaliumcunqve collectaneorum apparatu, ſi juvari iis propoſitum poſſet, lubenti animo transmittere. Itaqve ne Auctorem qvantumvis ἄδηλον, qvaliscunqve omnino lateret paralleli conatus ratio, viſum eſt, data ut

P cum-

cunqve occaſione uſo,in Veſtræ humanitatis ſinum deſtinata effundere, totamqve ſimul *Pii* hujus *deſiderii* materiam paulo expresſius repetitam exponere, ut ſecuro deinceps exſpectare liceat,utcunqve Symbolam *Bibliothecæ* jam edendæ, an ſupplementum editæ demum parare. Namqve ita demum, collatis plurium ſymbolis (in iſtiusmodi ſane minutiis, qvas perſpicere omnes ne ipſe qvidem Argus posſit) oppidò neceſſariis, pleniorem aliqvando, qvaſi univerſalem Diſput. ſacrarum catalogum contexi poſſe ſperaverim, nullo deinceps negotio pertexendum, modò & Vos eruditas nobiliorum in Septentrione Scriptorum lucubrationes, eadem poſthac ἀκριβείᾳ haud gravemini recenſere,qva *Bircherodii, Brunſmanni, Daſſovii, Fechtii, Franckenii, Habichhorſtii, Kortholtii, Kleinii, Molleri, Morhofii, Pfeifferi, Qviſtorpii, Schelgvigii, VVegneri, VVörgeri* aliorumqve plurimorum recenſuiſtis; Et nuper cœptum publicari *Catalogum Diſputat. univerſalem*, *ſingulis* ceu promittit *nundinis* pertexere Auctor pergat; Atqve ipſi deniqve Auctores luculentos ſcriptorum ac Diſſertationum ſuarum ſyllabos non pigrentur exhibere, qvales exſtant v. g. Th. *Bartholini*, *Calixti* utriusqve, *Dürrii*, H. *Ernſtii*, *Friſchmuthii, Kirchmajeri, Kortholtii, Lynckeri*, P. *Mulleri*, C. *Sagittarii*, A. *Sennerti,Thomaſii* utriusqve & aliorum ap. *Teiſſer. Indic. 7. ad cat. Catal.* Qvo ſubſtrato primùm fundamento, pronius fuerit ad *Bibliothecam univerſalem Theologicam*, *Thurmanni Juridicæ*, a *Morhofio* olim p. 211. & Ill. nuper *Styckio*, in præfat. *Bibliothecæ Academicæ*, ſpeciminis ejus primi, merito commendatæ, gemellam, pergere formandam; inſigni forte adminiculo futuram, vel Ill. *Gerh. van Maſtricht*, *Bibliothecam univerſalem* (teſte P. *Maſtricht* Fratre, in dedic. P. 2. Theolog. theoret. pract.) molienti, vel cuicunqve eam, tantis erudtiorum votis hactenus efflagitatam, poſt affectos *Geſneri, Simleri, Neandri, Ficheti, Blanchoti, Verderii, Spizelii, Königii, Hendreichii* aliorum, conatus molituro. Enimvero qvoniam nil juvat aſpectus,ſi non conceditur uſus, neqve multùm refert, nudis & casſis meletematum vel ſpecioſisſimorum titulis oculos paſcere, qvibus vanum in animis noſtris deſiderium fruſtra accendatur,qvando

do nullibi eorum haberi copia poterit; poſterior reſtat ſed potior *pii* hujus *deſiderii* particula, maturior nempe conſultatio, de colligendi juſto ordine, & certis identidem voluminibus comprehendendis argumenti ſacri non proletarii Diſputationibus, ſerio ſuſcipienda: Neceſſaria utiqve illa, ſi eximiam tot elaboratisſimarum gemino jam ſeculo undiqve effuſarum lucubrationum, minus hucusqve curatarum, pro numero & copia raritatem cogites; ſed difficilis eadem, ſi tot eam in rem fruſtra hactenus ſuſcepta eruditorum vota reſpicias, haud ineluctabilis tamen ſed utilisſima certè, ac luculentum operæ pretium habitura, ſi multiplicem metiaris fructum, in omnes rei ſacræ partes inde redundaturum. Scilicet cum ea Diſputationum fere omnium vulgò ſint fata, qvæ *Salmurienſium* fuiſſe qveritur Typographus Editor in præf. P. I; *ut pauca earum exemplaria, diſtributa in eos, qvi vel argumentis, vel præſentia ſua iſtiusmodi exercitia cohoneſtare dignantur, atqve adeo etiam, qvos dignitas, auctoritas & amplitudo muneris prætermitti minimè patitur, diſſipata jaceant, haud ſine periculo ne penitus intercidant*; Atqve hinc dolente *Schertzero in præf. progr. oblivioni protinus tradantur, qvamprimùm vel valvas, qvibus affiguntur, vel cathedras cum Auctoribus reliqverunt, præſentium memoriæ, ceterorum notitiæ, non levi adverſus poſteritatem injuria, ſeſe ſubducant, inſtarqve ephemeri* (ap. *Ariſt.* l. 5. c. 15. *hiſt. An.*) *ipſo ortus ſui die intermoriantur.* Qvis miretur, amabo, (eodem in *præf. Diſp.* qverente) *tot & tam nobiles in omni materia graviſſimorum Theologorum diqviſitiones jam fruſtra, inſigni Eccleſiæ damno reqviri, tantoqve & tam pretioſo theſauro carere nobis neceſſum eſſe*? Adeoqve non vetuſtiores duntaxat, Atavorum memoria editas, qvalis illa *diſputatio Tigari in Papatu de Prædeſtinatione habita difficulter vel qvolibet pretio redimenda* ap. *Hottinger.* p. 95. ſed recentisſimas qvoqve χθὲς ἢ πρωὴν excuſas, atqve ab officina & ſuſcitabulo diſputantium adhuc calentes, ita prorſus, intra paucorum manus diſparere, ut nullam ſui nanciſcendi copiam deinceps faciant.

(Seqventi Menſe de hoc pio *M. Severini Lintrupii* Deſiderio plura.)

## MALMOGIAE

Feſtum ob Victoriam Narvenſem Euchariſticum, die 5. Febr. ſt. v. fuit celebratum. Textus ſacri, qvi pro concione explicabantur, deprompti erant ex 1. Sam. XIV. 6. Pſalm. XXI. 8. 14. Exod. XV. 1-8. Ad illorum ductum, *Canticum* qvoddam *ſacrum* conſcripſit *Salomon* Rümmel / Eccleſiæ Teutonicæ Malmogienſis Paſtor, cujus titulus hic eſt: Denck-Danck-Sieg-und Segens-Lied / welches über die erhaltene Wundervolle Victorie des Allerdurchläuchtigſten Groſsmächtigſten Königs CAROLI des XII der Schweden/Gothen und Wenden Königs/ in der Helden-mäſsigen Entſetzung der heſſtig-belägerten Stadt Narva, ſo geſchehen den 20. Novembr. 1700. als einem ſolennen Siegs-und Danck-Feſt/ vorgeſchriebenen Texte &c. auffgeſetzet *Salomon* Rümmel / Teutſch. Paſt. in Malmö. 1701. (½ plag. in 8.)

Eodem feſto *D. Joh. Jacob Döbelius*, in Ducatu Scaniæ Medicus Regius, ſuam, ob victoriam ante dictam, *Carmine Heroico* teſtatus eſt lætitiam, atqve in illo tria exhibet anagrammata è Regio Nomine (CAROLVS DVODECIMVS) adornata, qvorum I. *Cor Svecum ludos adi* II. *Ruſſia cude*; *locum do.* III. *Cædimus duos lucro.* (1. plag. in fol.)

## HAFNIAE

Die 4. Martii tumulo illatus eſt in Templo Nicolaitano M. *Michaël, Henrici filius*, de cujus obitu ſuprà pag. 53. mentionem fecimus. In lucem hanc ille editus Othoniæ d. 13. Decembr. an. 1628. Patre *Henrico, Michaelis filio*, Eccleſiæ S. Johannis, qvæ eô locô eſt, primùm Paſtore; poſtmodum verò Paſtore & Præpoſito Haderslebienſi. Cum in variis Germanorum Scholis, videlicet *Vratislaviæ, Hamburgi & Lubecæ*, literis diligenter incubuiſſet, patriam repetiit, ac an. 1648. in Vniverſitate *Hafnienſi* in numerum Studioſorum receptus eſt. Qvàm ſtrenuè ibi rem egerit ſuam, vel inde clareſcit, qvod, egregiæ ejus eruditionis pariter ac facundiæ ſingularis famâ ad aulam Regiam volante, S. R. *Majeſtas* permota

mota ſit, eundem an. 1652. primitùs Concionatorem Aulicum clementisſimè vocare. Deindè ab aula dimiſſus ad Paſtoratum Templi, *Divo* olim *Nicolao*, conſecrati, an. 1660. promovebatur. Tandem morbo correptus, anno officii qvadrageſimo nono, ætatis verò ſeptuageſimo tertio mortem oppetiit, qvinqve liberis, duobus nempè filiis & tribus filiabus ſuperſtitibus. In locum ejus *M. Chriſtianus VVormius, VVilhelmi filius*, deſignatus Profeſſ. Hafnienſis ſurrogatus eſt. Ad exeqvias ejus freqventer eundas D. H. G. Maſius, Vniverſitatis Rector publico programmate invitavit.

Die 22. Martii *Johannes Bartholini, Thom.* F. S. S. Theol. D. & Prof. Publ. Reſpondente *Nicol. Laurentio Foſſio*, Philoſ. Baccal. Theſium Theologicarum Diſputationem qvintam, *de Officio Chriſti*, propoſuit. (3½. plag. in 4.)

*Ottho Sperlingius*, JCtus & Conſiliarius Regius, præter ſcripta hactenus evulgata, aliud *de Nummis non cuſis*, antehac in N. L. promiſſum, & nunc *Amſtelodami* impreſſum, publicæ luci expoſuit. Idem ſuperiori anno 1700. d. 30. Novembris *in Collegium Illuſtriſſimæ Anglicanæ Societatis* fuit receptus. Auguſtisſimus etiam Daniæ Norvegiæqve Monarcha ad publicam Hiſtoriarum & Eloqventiæ Profesſionem in Academiâ Eqveſtri illum haud ita pridem, videlicet die 14. Febr. iterum vocavit.

## *D. Reinholdi Wagneri Obſervationes Anatomicæ.*

Cum à S. R. Majeſtate FRIDERICO IV. Auguſtisſimo Daniæ ac Norvegiæ Monarchâ Medici Regiæ Clasſis ſparta annô proximè elapſo Clementisſimè mihi demandaretur, eo annitebar, ut, morbificarum cauſarum farragines in defunctis cultro examinando anatomico, tantò felicius per Dei gratiam diſtinctis Cauſis diſtincta & debita Remedia ſubminiſtra-

ſtrarem. Sic ſimulac Claſſem aſcenderam juſſu Summi Præfecti, Illuſtrisſimi & Generoſisſimi Herois Domini *Vlrici Chriſtiani de Güldenlew*, ( qvi non tàm Imperiô qvàm Clementia inter Pullos Martios dignitate erat Regiâ ) d. 30. Maji in Navi bellica, *Charlotta Amalia* dictâ, præſente Generoſo Viro Dno. *V. Scheel* aliisqve, duos qvartô die, & qvidem ex relatione Chirurgorum febri Maligna extinctos ſecui Milites. Sed hos ex Norvegiâ conductos Milites longè antiqviores ex mutatione Diætæ, cauſam febribus longe aliis putridis ſuppeditaſſe, conjecturâ minimè fallaci cognovi; partim qvod promptô corpore aëris per ventos, per tempeſtates, per contagia mutationes exceperint, partim qvod antea fame, jam ingluvie, mox ſiti, mox crapula peccaverint, partim qvod laborum & vigiliarum conſvetas horas qviete corporis & ſomno commutaverint, jam ſudore de diu diffluentes, jam nocturno tempore impeditô, mox ſtrictiorem, mox laxiorem alvum curare, & ſanam turbare opus habuerint.

Ex tot enim erroribus diætæ non pauciores cauſas internas per Anatomen detexi. Utut enim fluxus hepaticus ſive Dyſenteria Hepatica rarisſimus affectus & à paucis viſus, ex tali diætæ tamen errore in plurimis tales dejectiones bilioſas dilute rubeas cum laſſitudine, febri, absqve tamen dolore ventris, ſine torminibus inteſtinorum obſervavi: Et qvamvis malum ſæpius inducias daret, Medicamenta tamen adſtringentia, vulgò ſpecifica Dyſenterica parum vel nihil levaminis dabant, qvin potius à Chirurgis hactenus Venæſectione & Remediis theriacalibus aliisqve inconſiderate adminiſtratis, alii in Cachexiam, alii in hydropem, alii in Atrophiam & Icterum atqve ipſam deniqve mortem inciderant. Non aliter in defunctis noſtris ſeſe habuit: Reſervatis enim ex cauſis ante dictis, vel ex carnis recentis, æſtivo tempore mox putreſcentis, eſu largiori qvisqviliis putridis & malignis, iisqve in ſubſtantiam partium converſis, contigit, ut febribus dictis malignis (vulgò hitzigen rectiùs itzigen Fieber) atqve recenſitis antea Ventris profluviis affli-

cti

cti fuerint. Per Anatomen enim detexi illam fuiſſe febris malignæ ſpeciem, qvâ Empyrici nonnunqvam decen[illegible] [illegible]picite Galeno 5. de L. aff. c. 7. dum in fluxus he[illegible] [illegible]epatici progreſſu, de qvo rarò experimen[illegible] [illegible]ta habere potuerunt, expurgante ſe ita Viſcere, gravis morbi periculum ſubesſe arbitrati, morbum minime attigerunt.

Aſt cum in Anatome noſtrâ Hepar potisſimum ſcirrhoſum & à viſcoſitate bilis puſtulis malè affectum, inteſtina verò cæterasqve partes integras & ſalvas deprehenderim, ſvaſi, ut in Curatione alia incederent via Chirurgi, loco ſpecificorum Antidyſentericorum, adſtringentium, vel remediorum Corroborantium Vomitoria vel amara abſtergantia propinandô: Sicqve per ſolius Dei gratiam effeci, ut ſublatâ à viſcoſitate bilis lernâ malorum & febris ſuffocaretur, multiqve à Cachexiâ, Ictero,& hydrope, præterea ex Ventriculi inteſtinorumqve cruditate, partim à conſtipatione, partim ab alvi profluviô vindicarentur; Sicqve ex tot millibus hominum, Deo ſit ſempiterna Laus & gloria, vix unicus Dyſenteriâ in Claſſe perierit.

Qvæ verò ratio ſubſit, cur hepar potisſimum, non Ventriculus, nec Inteſtina, nec cor ceteraqve Viſcera malignæ putredinis labem conceperint, Ephemerid. Germ. Nat. Curioſ. Dec. I. A. VI. obſ. 188. prolixius demonſtrant, qvibuscum conferatur Diſſertatio de Bile Sangvinis Ultimi Alimenti Excremento Dn. D. *Philippi Jacobi Hartmanni* P. P. Regiomontani Celeberrimi, item D. *Boneti* Sepulcretum L. 4. S. 1.

## KILONII

### D. *Joh. Ludovici Hannemanni de qvodam Archimedis poſtulato breve meletema.*

Notum, qvod Archimedi celeberrimo Mathematico ex priſcis (qvi juxta *Bucholtzeri* Chronologiam vixit A. M. 3760. ſub Hebdomade XXXVI. *Danielis*) hoc tribuant dictum, *da poſſe figere pedem, & terram movebo.* Qvod autem hoc Archimedi ac toti Mathematicorum Scholæ ſit imposſibile,& qvi hoc ipſum aſſerant (1) in Scripturæ Codicem. (2) ſanam rationem injurii ſint, hoc brevi meletemate demonſtraturi ſumus. I. opponimus illud Jobi cap. 38. verſ.

verſ. 4. 5. 6. juxta verſionem *Sebaſtiani Schmidii*: *Vbi fuiſti, qvum fundarem terram? indica, ſi noſti intelligentiam. Qvis poſuit menſuras ejus? ſi ſcis. Aut qvis extendit ſuper eam lineam? ſuper qvid Baſes ejus demerſæ ſunt? aut qvis jecit lapidem angul[…] ejus?* II. Pſalm. 104. verſ. 5. juxta *Tremellii* Verſionem: *Fundavit Terram ſuper Baſes ejus, ne dimoveretur in ſeculum & perpetuum.* III. 1. Chronic. cap. 17. verſ. 30. *Ipſe enim fundavit orbem immobilem.* IV. Deus ſibi eam poteſtatem terram commovendi vindicat *Job. 9.* verſ. 6. *Qvis commovet terram, ut columnæ ejus contremiſcant.*

Qvum ergò telluris Syſtema ſic firmum ſic immobile ſuis Baſibus & columnis ac lapide anguli innitatur, ac Deus ſibi eam vim terram dimovendi tribuat, qvam abſurdum ergo Archimedis poſtulatum ſit, claret. Qvod ſi autem qvæſtio ſit, qvidnam (1) terræ fundamentum? (2) Qvidnam terræ menſura vel linea. (3) Qvidnam ejus Baſes demerſæ? (4) Qvid deniqve lapis anguli ſit? Reſp. (α) Rerum omnium totius Syſtematis harmonia. (β) Concinnus inter res omnes ordo. (γ) Intrinſecus & concatenatus inter res omnes nexus, qvo res ſibi invicem ſunt fulcro, auxilio, commercio & ornamento (δ) Exqviſitus & extrinſecus fatalis conſenſus inter res totius univerſi, qvo in totius univerſi perfectionem & complementum conſpirant. Siqve alia fundamenta nominanda ſint, arbitramur. Subſtantias liqvidisſimas, liqvidiores, & liqvidas fungi munere columnarum, menſuræ, lineæ, & lapidis anguli. Qvas ſubſtantias ſi Deus tolleret, cuncta in chaos informe ruerent. Deus etiam in creatione omnium primò condidit liqvidisſima poſtea liqvidiora, & deniqve liqvida. Sicqve decreto Scripturæ Sacræ hoc Archimedis effatum falſitatis arguitur.

Qvod ſi hoc Archimedis effatum juxta telluris conſtitutionem & fabricam examinemus, etiam ejus vanitas innoteſcit: Telluris globus qvemadmodum ſcribit *Valentinus VVeigelius* (cujus Theologiæ non ſubſcribo) Von dem Ort der Welt c. 8. p. 25. Aber eigentlich iſt die Erde rund mit dem Meer / und hat in ihrem Umkreiß 5400. Teutſche Meilen / und an ihre Dicke 1718½. Teutſche Meilen / wie die Rechenkunſt aus des Himels gradibus zu erkennen giebet. *Erateſthenes*,

qvi

qvi 200 annis vixit ante Chriſtum, prodidit, *perimetrum* ſeu ambitum telluris eſſe ducentorum qvinqvaginta mill. ſtadiorum (250000) alii (25200.) qvæ *Plinius* ſcribit efficere paſſuum Romanorum trecenties qvindecies centena millia, h. e. 31500. milliaria Romana, qvæ ſingula cenſentur mille paſſuum. *Hipparchus* 25000. ſtadia addidit *Erateſthenis* perimetro, verum hac de re non nimium erimus ſolliciti. *VVeigelii* ſententiam, qvam & plurimi Mathematici amplectuntur, amplectemur. Qvonam Vecte, qvibusnam organis, tam vaſtæ molis corpus movebitur. (2) Poſito, dari poſſe organa, qvibus tam vaſtæ extenſionis corpus dimoveri poſſet ſuo loco: qvo autem tellurem movebit Archimedes? ſurſumne vel deorſum? dextrorſumne vel ſiniſtrorſum? antrorſumne vel retrorſum? Omnes has ſitus differentias totius univerſi ſyſtema ignorat, nec in eo agnoſci poſſunt, niſi duntaxat humano more loqvendo. Vide ſis caput 9. Weigelii a. l. c. 10. ſic loqvitur: Dieſe ſichtbahre Welt ſtehet in ihr ſelbſt/und nach ihrer Auswendigkeit ſtehet ſie in der Tieffe/ in abyſſo infinitudinis, welche Tieffe iſt nach der Höhe ohne Ende / und nach der Breit ohne Ende / und nach der Länge ohne Ende/ und nach der Tieff ohne Ende/ in einem ſolchem Nichts ſtehet die Welt/da niemand in Ewigkeit daſſelbige erfahren / ergründen / begreiffen noch bedencken kan/ es ſey in die Höhe/Tieff/Breite/ oder Länge/ ſo findet man allzeit kein Ende. (3) Si tellus pauliſper moveretur (qvæ ſita eſt inter ſphæram ♀ & ♂ niſi qvod paululum ad Veneris orbitam reclinet) totus aſtrorum exercitus ſitu ſuo dimoveretur, cum ſit ſubſtantia liqvidisſima, fluidisſima, in qvâ natat; moto autem uno corpore omnia corpora, qvæ in hoc liqvido ſunt ſimul moverentur. Qvod motiones in aqvâ demonſtrant. Verùm hoc liqvidum, in qvo ſunt aſtra cum terraqveo globo, multò liqvidius & fluidius eſt aqvâ. Et hoc ut analogicè demonſtremus. Si qvis vitellum in ovo vi aliqvâ ſuo dimoveret loco, albuminis vitellum circumdantis figura violaretur. (4) Si tellus loco ſuo dimoveretur ad unguis crasſitiei diſtantiam, fatum ponderis, menſuræ & numeri, qvo Deus cuncta limitavit & creavit, vim & violentiam pateretur; à qva *Natura*, qvæ vis Dei creata immutabilis &c. abhorret. Fruſtrà ergò & abſurdum eſt

Magni *Archimedis* poſtulatum. Et Viri docti qvi *Archimedis* poſtulato ſubſcribunt, in Scripturæ Sacræ effata injurii ſunt, & in Dei inſtitutum ordinem immutabilem, veræ Matheſeos ac Phyſices ignari. Tantum de hoc effato *Archimedis* commentari placuit. Et pertinet hoc ipſum, noſtro arbitratu, ad *Pſeudodoxiam Epidemicam* priſcorum *Mathematicorum* & *Philoſophorum*, de qvâ Commentarium meditamur, & damus hoc *meletema* in *prodromi* vicem.

## HAMBVRGI

*Caſpar Büsſingius*, S. S. Theol. Lector, & Paſtor Cathedralis, publico Programmate omnes bonarum literarum Fautores & Æſtimatores, cum univerſâ nobili ac ſtudioſâ Juventute, tàm Academicâ, qvàm Gymnaſticâ & Scholaſticâ, in Lectorium Cathedrale *ad geminum lectionum ſuarum publicarum proœmium*, qvorum *primum* fuit, *de Lectoribus, Lectionibus, Lectoriisqve tum antiqvæ, tum modernæ Eccleſiæ in genere*, ipſis Idibus Martiis, ſeu die 15. Menſis Martii; *alterum de Hamburgenſis Eccleſiæ Cathedralis Marianæ Lectorio, Lectoribus & Lectionibus in ſpecie*, die 11. ante Kalend. Aprilis, ſeu 22. Martii Menſis faciendum: Indeqve ad ipſas Lectiones publicas, *Chronotaxin Biblicam* tradituras, invitavit.

Tractatus qvidam B. *D. Andreæ Muſculi*, iteratâ editione prodiit, cum præfatione *Joachimi* Morgenweck / Hamburgenſis Orphanotrophii Paſtoris, titulus hic eſt: *D. Martini Lutheri* hochnützlicher theurer Schatz und gülden Kleinod für alle fromme Gottes Kinder/aus deſſen Schrifften zuſammen getragen durch *D. Andream Muſculum*, nebſt einer Vorrede / darin die gottſeel. Verfaſſer der Concordien-Bücher von einigen unziemlichen Anſchwärtzungen Hn. Gottfried Arnolds in ſeiner Ketzer-Hiſtorie gerettet werden / &c. Hamb. 1701. (in 4.)

*Johannis Gröningii*, JCti, *Bibliotheca Univerſalis*, ſeu, *Codex Operum Variorum* in publicum exiit. Opera hæc ſunt I.

*Diſſ.*

*Diſſ. de Nævis Juris Romani.* II. *Bibliotheca Juris Gentium.* III. *Hiſtoria Juris Principum &c.* IV. *Hiſtoria Expeditionis Britannicæ ex Nummismate Brandenburgico.* (de qva ſupra pag. 27.) VI. *Hiſtoria Cycloeidis, contra Paſchalium, Mathematicum Gallum.* Hamburgi ſumtibus Gotfr. Liebezeith, 1701. (1½. Alphab. in 8.)

Hunc librum Auguſtæ memoriæ Sereniſſ. Elect. & Principum Brunſvico-Luneburgenſ. conſecravit auctor, ac in præfatione illi præfixa, *Diſſertationem de Nævis Corporis Juris Romani* prodromum & qvaſi nuncium & præcurſorem majoris operis eſſe ſcribit, qvi *Jurisprudentiæ Romanæ Criticam & Anti-Criticam* latius perſeqvetur. *Bibliothecæ* porrò *Juris Gentium*, *reliqvos de Jure Naturæ & Gentium juxta diſciplinam Europæorum, Gentilium & Chriſtianorum libros*, qvi propediem Deo propitio lucem videbunt, acceſſuros dicit. *De Jure Principum* verò, qvæ ſua ſit ſententia, ne tetigit hîc qvidem, ſed eam alio libro explicatam Principis cujusdam Archivo deſtinavit. *Bibliothecæ* tandem *huic univerſali* aliqva ex ſuis in *Mechanicis*, in *Architecturâ Civili*, *Militari & Navali*, vel ſubſidio *Microſcopiorum*, vel ope *Antliæ Pnevmaticæ*, inventis, in promulſidis vicem inſerere ſe in animo habuiſſe profitetur; ſed inſtituto & temporis anguſtâ interclusus, eadem cum aliis huc ſpectantibus rebus, ſc. *Juridico-Hiſtoricis*, *Philoſophico-Nummariis*, *Phyſico-Mathematicis*, aliqvando, Deo volente, in *Continuatione Bibliothecæ*, publicæ luci ſe expoſiturum inſtituit.

Johannei Hamburgenſis, in primâ Claſſe, ſuperioris cœtus diſcipuli, die 31. Martii *Tragœdiam Annæi Senecæ, Oedipus* dictam, prout eam qvisqve in ſuo habuit Codice expreſſam, in majori Scholæ Auditorio, & qvidem in theatro recitarunt, prævia invitatione *Johannis* Schultzen / Scholæ ejusdem Rectoris, in programmate qvodam. (1. plag. in 4.)

Idem *Johannes* Schultze / Cap. XV. prioris ad Corinthios explicuit, 94. qvæſtionibus exinde formatis, illamqve explicationem in publicum emiſit hoc titulô: *S. Pauli Primæ ad Corinthios Epiſtolæ, Caput XV.* (3½. plag. in 4.)

Ex Typographiâ Neumanniana prodiit M. *Chriſtiani Henr.* Anderſens/ militis Gottorpienſis præſidiarii Concionatoris, Danck-Predigt wegen des zu Travendahl den 19. Auguſti 1700. wiederhergeſtellten edlen Friedens/gehalten zu Schleßwig am 19. Sonntage nach Trinitatis, 1700. (5. pl. in 4.)

*Obſervationum Hiſtoricarum pars ſecunda* in annum ſuperiorem 1700. unà cum Indice Rerum & Perſonarum in publicum exiit, titulus hic eſt: Der Hiſtoriſchen Remarqves über die neueſten Sachen in Europâ anderer Theil auff das 1700 Jahr mit allen Fleiß zuſammen getragen/und aus der Geographie, Genealogie, Hiſtorie, &c. erläutert; dabey iederzeit/ die ſowohl in Franckreich/ Engelland/Italien/ Holland als Deutſchland/ in Druck gekommene Bücher angeführet worden. Hamburg/ gedruckt und verlegt durch Joachim Neumann.

Opus qvoddam muſicum *Reinhardi Kaiſer* ſumtibus *Zachariæ* Hertel/ Bibliopolæ, ſub hoc titulo prodiit: Die auserleſenſte Arien der Opera, genannt: *La forza della Virtù*, oder die Macht der Tugend/ wie ſolche auff dem Hamburgiſchen Schauplatz vorgeſtellet/ und in die Muſic gebracht von Reinhard Kaiſer. Hamburg/ gedruckt bey Nic. Spieringk/1701. (in fol.)

Idem Auctor edidit etiam Gemüths-Ergetzung/ beſtehend in einigen Sing-Gedichten/mit einer Stimme und unterſchiedlichen Inſtrumenten. Hamburg/ gedruckt und verlegt bey Nic. Spieringk/ 1698. (in fol.)

## LUBECAE

Die 14. Martii mortuus, & 21. ejuſdem menſis terræ mandatus eſt honorifico funere J. V. L. *Andreas Bilderbeck*, cum lucem aſpexiſſet an. 1643. d. 23. Octobris. Tyrocinia poſuit Lubecæ ſub Præceptoribus, *Juſto Tribbechovio* atqve *Bargerto*. Poſtea variorum inſtitutio acceſſit, *Johannis* nempè *Friderici Arcularii*, qvi ad ephoriam Waldeccenſem Lubecâ vocatus, & Doctoris *Hermanni* Grube/ qvocum Jenam Thuringorum, ac deinceps Leidam Batavorum profectus. Varias deinde Academias ac regiones alias peragravit in Belgio, Alſatiâ, Galliis, Miſniâ, usqve dum inauguralem pro Li-

centiâ

centiâ Diſſertationem habuit Heidelbergæ. Sic ævum ille in literis exegit, avidè imo calidè nullas non in ipſo vitæ flore ſtudiorum partes ſectans,ut inter libros aſſiduus, accubuus verè dici poſſit deceſſiſſe, ab univerſis aliis deliciis longè remotus. Non diu nimis vixit, ſed tamen abundè guſtavit, qvicqvid fellis aut mellis eſt in rebus humanis,& illud in omni rerum abundantiâ ſuperavit. Scripſit an. 1672. opuſculum qvoddam per omnes leges atqve juris regulas excurrens, cui titulus: *Juris Lubecenſis Patrii à communi Romano-Germanico differentiæ, novâ eaqve luculentâ ſerie digeſtæ.* (in 4.)

Die 16. Martii *Joachim* Rantzow/ Rev. Capituli Decanus, Officialis & Scholaſticus, ſplendidisſimâ exeqviarum pompâ ſepulcro ſuo in templo Cathedrali traditus eſt. In lucem hanc ille editus an. 1627. d. 10. Februarii in nobili domo, Saltzow dicta, Patre, Viro Generoſisſimo *Daniele* Rantzow / Sereniſſimi & Gorioſiſſ. memoriæ Ducis Sleſvicenſis Cubiculario. Privatâ primùm in domo Saltzovienſi, ac publicâ poſtmodum apud Lubecenſes eruditus eſt doctrinâ. Exteras abhinc adiit regiones,celeberrimos locos,celeberrimas item Academias Germaniæ, Hollandiæ, Angliæ, Galliæ atqve Daniæ *luſtraturus.* Anno 1668. Rev. Capituli Decanus eligebatur, cui dignitati 74. annos natus immortuus, ac ſeptem liberos, ex binis tori conjugalis ſociis; ex priori qvidem filiam unicam, ex poſteriori verò qvatuor filios,& duas filias reliqvit.

Die 1. Apr. vivis excesſit, & 7. ejusdem terræ creditus eſt *Matthæus Dietericus Backmeiſterus,* Med. D. & Practicus Lubecenſis. In lucem hanc editus eſt ille Roſtochii an. 1668. d. 19. Octobr. Patre *Johanne Backmeiſtero,* Med. D. & per 34. annos Academiæ Roſtochienſis Profeſſore. Poſtqvam in patriâ, uti & Travemündæ, à patruele ſuo,*Sebaſtiano Backmeiſtero*,Eccleſiæ ejus loci Miniſtro,literis excultus erat, in Academiâ Tübingenſi Medicinæ operam dedit; irruptione Gallorum autem in VVürtenbergenſem Ducatum an. 1688. factâ, Jenam ſe contulit, ibiqve Celeberrimi *VVolſgangi VVedelii* uſus eſt inſtitutione. Academiâ hac relictâ

Auguſtam Vindelicorum cum fratribus ſuis profectus, ut Coronationi *Joſephi* 1690. peractæ, intereſſet. Inde per Saxoniam inferiorem Hafniam petens, ibi aliqvantisper ſubſtitit. In Germaniam redux Ephoriam Generoſæ Juventutis Comitis *de Brockdorff* in Holſatiâ obtinuit. Qvum hoc munere per anni ſpatium functus eſſet, an. 1693. primâ, an. 1694. verò ſecundâ vice in Belgium ſe contulit, atqve Lugdunenſem ſalutavit Academiam, ubi etiam an. 1695. præviâ Diſputatione pro Licentiâ, *de Fiſtulis*, Medicinæ Doctor creabatur. Hinc Brabantiâ & Flandriâ perluſtratâ in patriam ſe recepit, ac tandem Lubecæ ſedem figens, praxin hîc exercuit Medicam. Aſt in ipſo ætatis flore, anno videlicet trigeſimo tertio, febri malignâ extinctus eſt, ex viduâ ſuperſtite nulla prole relictâ.

Die 14. Aprilis *M. Balthaſar Gerhardus Hannekenius*, ad S. Mar. hactenus per 34. fermè annos Eccleſiaſtes, in locum B. M. *Bernhardi Krechtingii*, (de cujus obitu in N. L. an. 1700. p. 346. mentionem fecimus) Paſtor dictæ Eccleſiæ vocatus, & 17. ejusdem, ſive Dominicâ Jubilate, à *M. Thomâ Honſtede*, Paſtore Cathedr. nec non Rev. Miniſterii Seniore, fuit introductus.

Prodiit tractatus qvidam poſthumus *Danielis Georgi Morhofi*, ſeqventi titulo notatus: *Delitiæ Oratoriæ Intimioris*, ſive, *de Dilatatione & Amplificatione Rhetorica liber*, ſtudioſæ juventuti ut lisſimus, & à multis hactenus deſideratus. Lubecæ, ſumtibus *Petri Böckmanni*, Bibliopolæ, 701. (16½. plag. in 8.) Tribus Tractatus hic abſolvitur Partibus diverſis iterum Capitibus diſtinctis. *Partis primæ* Cap. 1. agit de Dilatatione Orationis, & qvemadmodum differat ab Amplificatione & Exaggeratione. Cap. 2. de Dilatatione per Synonyma. Cap. 3. de Dilatatione per Epitheta. Cap. 4. de Dilatatione per Antitheta. Cap. 5. de Dilatatione per figuras Grammaticas amplificantes. Cap. 6. de Dilatatione Sententiarum Grammaticâ. Cap. 7. de Dilatatione Sententiarum ſententioſâ. Cap. 8. de Dilatatione Periodicâ. Cap. 9. de Dilatatione Enthymematum. Cap. 10. de Paraphraſi ſoluti & ligati ſermonis. Cap. 11. de Contractione Orationis circumductæ. Poſtqvam prima parte

de

de fontibus dilatationis,qvatenus illa *è Verbis* oritur, egit, in *ſecundâ locos qvosdam Dialecticos*, unde illa dilatatio inſtituitur, horumqve locorum uberiorem applicationem ad dilatandam orationem, tractat; hinc Cap. 1. agit de Amplificationum & Dilatationum locis communibus Dialecticis. Cap. 2. de Argumentis ſingulorum locorum. Cap. 3. de Multiplicatione locorum. Cap. 4. de Exemplis amplificationum è locis Dialecticis. Cap. 5. de Prædicamentorum uſu in amplificando. Cap. 6. de Inartificialibus orationem amplificandi modis. Cap. 7. de Amplificatione per figuras Rhetoricas. Cap. 8. de Locis communibus formularum amplificantium. In *tertiâ parte* proponit Amplificationem in ſpecie ita dictam, à priori illa dilatatione diſtinctam,& ad enthymemata Rhetorica, qvibus oſtenditur, aliud alio eſſe majus meliusqve, reſpicit, tum etiam ad figuras ex hoc fonte profluentes; agit igitur Cap. 1. de Amplificatione ſeu Exaggeratione in ſpecie ita dictâ. Cap. 2. de Amplificatione reali, ejusqve locis communibus & periodis. Cap. 3. Exempla aliqvot ob oculos ponit, qvibus oſtenditur realis amplificatio. Cap. 4. de Argumentis amplificantibus in Oratione ſacrâ. Cap. 5. de Locis Dialecticis, unde oriuntur figuræ amplificantes. Cap. 6. de Figuris patheticis.

## *Problema curioſum, Cujus explicatio à Dnn. Mathematicis amicè petitur.*

Sempronius Teſtamentum fecit, in qvo legavit novem Scholaribus pauperibus, qvorum anni harmonicâ proportione ſeſe ſeqvuntur & in ſummam collecti dant 68. annos, 18. ſeptimanas, 5. dies. 12. horas. (365. diebus in annum computatis) eximiam ſummam, harmonicâ proportione ita diſtribuendam, ut minimus natu, qvi plura reqvirit educandus, maximam accipiat ſummam, maximus natu minimam. Medius accipit 504. Thaleros, cujus Ducati dant numerum ſeptimanarum ætatis ejusdem. Qvot annos nati? Qvid ſinguli accipiunt? Qvanta legati ſumma?

* * *

Se-

Secetur linea data in qvotcunqve (v. g. 7. 8. 9. 10, vel ſi lubet, plures) partes harmonicè proportionales.

In gratiam eorum, qvi non callent lingvâ latinâ, Curioſæ tamen Arithmeticæ ſtudent, Germanicam verſionem hic ſubnectere placuit.

## Eine *Curiöſe* Frage/ umb deren Erklärung die Hnn. Mathematici freundlich erſuchet werden.

Sempronius hat ein Teſtament auffgerichtet/ und in ſelbigen 9. armen Schülern eine groſſe Summa Geldes vermachet. Die Jahre ſo die Schüler haben/folgen in einer gleichen proportion auff einander/ und wenn ſie in eine Summa gebracht/ ſo machen ſie 68. Jahr/ 18. Wochen/ 5. Tage und 11. Stunden (in dem man nemlich auff ein gantzes Jahr 365. Tage rechnet). Das vermachte Geld ſoll nach gleicher proportion alſo ausgetheilet werden/ daß der jüngſte/ als welcher zu ſeiner Aufferziehung mehr benöthigt/ die gröſſeſte; Der älteſte aber die kleineſte Summa bekomme. Der mittelſte kriegt 504. Rthl. welche zu Ducaten gemacht/ die Zahl der Wochen von ſeinem Alter geben. Nun iſt die Frage/wie alt ſie geweſen? Wieviel ein Jeder bekommen? und wie hoch die Summa des vermachten Geldes?

* * *

Man theile eine auffgegebene linie in ſo viel gleich proportionirte Theile/als beliebet / zum exempel in 7. 8. 9. 10. oder auch ſo es beliebet in mehr.

---

In præterito Menſe Martio hæc ſphalmata typographica corrigantur, p. 86. legitur Conturbatione; legi debet Cohobatione. p. 87. pro ultimâ Conturbatione, lege, ultimâ Cohobatione. *ead. pag.* pro Si in tenebris affundas fornaci, legatur, Si in tenebris asſideas fornaci.

# NOVA LITERARIA
## MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS,
*Edita Menſe Majo MDCCI.*

---

### WISMARIAE.

Die 7. Aprilis de mirabili & omnibus poſthac Sæculis prædicandâ CAROLI XII, Regis Svecorum, adverſus Ruſſos Victoriâ, a. d. 20. Novembris anni ſuperioris ad Narvam reportata, publicè in Auditorio novo, ſub moderamine, M. *Johannis Kindleri*, Rectoris perorarunt *Henricus Chriſtianus Schulemann*, Dobberanenſis, *Joſua Statius* Dobberanenſis, & *Johannes Chriſtophorus Freſe*, Hamburgenſis, Scholæ Wiſmarienſis Cives, ad Academias abituri, & *primus* qvidem CAROLVM XII. R. S. *adverſus Ruſſos venientem*, *ſecundus* CAROLVM XII, R. S. *Ruſſos videntem*, & *tertius* CAROLVM XII. R. S. *Ruſſos vincentem* concelebrare conatus eſt.

Hîc etiam Concio qvædam typis expreſſa eſt, cujus titulus; *Fata Mecklenburgica Fauſta*, i. e. Gutes Glück/welches/als nach wohl und genauer Unterſuchung der Güſtrowiſchen Succesſions-Sache/ ſothanes Hertzogthum und deſſen Genuß von Jhro Röm. Käyſerl. Maytt. LEOPOLDO Imo dem Durchläuchtigſten Fürſten und Herrn/ Herrn FRJDERJCH WJLHELMEN/ Hertzogen zu Mecklenburg/ u. ſ. w. cum omni cauſa in poſſeſſorio allergnädigſt zuerkant / und darauff auff Käyſerl. Immisſion Jhro Hochfürſtl. Durchl. die Poſſesſion ergriffen / und die Regierung im Nahmen Gottes übernommen/ und deßfals einen allgemeinen Danck- und Bet-Tag auff den 10ten Tag Februarii des 1697ſten Jahrs/ im gantzen wieder vereinigten Lande Mecklenburg ausgeſchrieben / nach Anleitung derer Texte Heſek. XXXVII. 22. und Luc. I. 49. 50. Mecklenburg geſaget Helmuth Joachim Siggelkovv, Paſtor zu Biechel und Rübow. Wißmar / gedruckt bey Matthias Martini / 1701. (in fol. 9. plag.)

## ROSTOCHII

Die 6. Aprilis, Præſide *Joh. Fechtio*, S. S. Theol. D. ejusdemqve P. P. Conſiſtor. Ducal. Mecklenb. Aſſeſſ. & Diſtrict. Roſtoch. Superintendente, Diſſertationem Theologicam *de imperfectâ viæ perfectione*, *Pelagianis*, *Pontificiis*, *VVeigelianis*, *Syncretiſtis*, *Böhmiſtis & Qvietiſtis* in ſpecie oppoſitam, Auctor & Reſpondens *M. Chriſtophorus Conradus Goeritzius*, Regiomontanus Pruſſus, publicæ disqviſitioni ſubmiſit. Diſputatio hæc *qvatuor* conſtat *Sectionibus*, qvarum I. Statum controverſiæ exhibet. II. Ἀντίθεσιν variorum ſiſtit. III. Θέσεως βεβαίωσιν ſubjungit. IV. deniqve Ἀγνοήματα Adverſariorum diſcuſſa proponit, & qvidem Sectione hac in *ſex Subſectiones* divisâ, 1. *Pelagianorum*. 2. *Pontificiorum*. 3. *VVeigelianorum*. 4. *Syncretiſtarum*. 6. *Qvietiſtarum* ἀγνοήματα diſcuſſa exhibentur. (3. pl. in 4.)

Die 15. Apr. ſub præſidio *Caſp. Matth. Mülleri*, I.V.D. & Inſtitut. Prof. Publ. Ducalis Ordinarii Diſſertationem Juridicam *de Virgine Nobili Mecklenburgicâ, ejusqve jure circa feudum*, h. e. Von denen Mecklenburgiſchen Erb-Jungfrauen und dero an den Lehn-Gütern habenden Recht / Eruditorum examini ſubjecit *Elbard. Detlde Lautzovv*, Eqves Mecklenb. LL. Stud. Materiam hanc ita tractavit, ut, poſtqvam in *Cap. primo* generalia, qvæ ad explicandum Rubrum faciunt, præmiſit, in *Cap. ſecundo* proponat Jus Virginis Nobilis Mecklenb. qvoad ipſum feudum; in *Cap tertio* agit de dote, alimentis & aliis ex feudo Virgini Nobili Mecklenb. præſtandis. (8½. plag. in 4.)

Die 16. Aprilis *D. Andreas Daniel Habichhorſt*, FCtis Theol. & Collegii Proff. Ducalium totiusqve nunc Academiæ Senior, hodieqve FCtis ſuæ undecimùm Decanus, Diſſertationem XIV. Partis II. Illuſtriorum *Iſaiæ* locorum, *de Altari in medio Ægypti, Statuâqve in termino ejus Domino Exercituum erigendis*, ex Iſa. 19. v. 19. ſententiarum collationi Academicæ ſtitit, Reſpondente *Chriſtia-*


TAB. IV.
Obſervatio Eclipſeos Lunaris. A. 1701.
Die XXII Menſ. Febr.
Roſtochii. Elev: Poli 54°.16'.
Semid. Lunæ in digitos diviſa.
Finis.
Initium Hor. 10. 59'. circa 158.
Finis Hor. 1. 28'. circa 250.
Phaſes Eclipseos Creſcentes 7. Phaſes Eclipseos Decreſcentes 5.
Hor. 11. 7 Dig. 1.
Hor. 11. 16'. Dig. 1 1/3.
Hor. 11. 20'. Dig. 2 1/3.
Hor. 11. 35'. Dig. 3 3/4.
Hor. 11. 45'. Dig. 4 1/3.
Hor. 11. 56'. Dig. 5.
Hor. 12. 6. Dig. 5 1/4.
Hor. 12. 31. Dig. 5.
Hor. 12. 44. Dig. 4 1/2.
Hor. 12. 53. Dig. 3 3/4.
Hor. 1. 5. Dig. 3.
Hor. 1. 15. Dig. 1 1/2.

*ſtiano Hübnero*, Brega-Sileſio, ſupra jam in N. L. an. 1700. p. 353. memorato. ($2\frac{1}{4}$ plag. in 4.)

*Eclipſis Lunaris obſervata*
*à M. Petro Beckero, Matheſ. P. P.*

Poſtqvam Eclipſeos lunaris, in diem 22. Febr. hujus anni 1701. incidentis calculum, juxta Tabb. *Keplerianas* inſtitutum & Horizonti *Roſtochienſi*, cujus Elevatio Polaris eſt 54°. 10′. accommodatum abſolveramus, in eodemqve deprehenderamus circa Horam 11-7 nocturnam nobis Eclipſeos illius futurum initium; non deſtitimus, omnia qvæ ad obſervationem qvam commodisſime inſtituendam videbantur neceſſaria, ſua ratione diſponere. At v. cœlum, qvod non præcedentibus ſaltem 20. & 21. diebus, ſed & ipſo obſcurationis futuræ die 22. usqve ad horam qvintam, Sole jam occidente, denſisſimis obductum erat nubibus, omnem ferme obſervationis feliciter inſtituendæ ſpem plane nobis eripuit. Unde etiam inventum, qvod meditati antea fueramus, *de nova methodo* (beneficio forficis pictoriæ, vulgò: Eine Reißſcheer/ in acumen ex utroqve Rhombo deſinentis, & intra tubum intromittendæ, ad delineandas altero amplioris qvidem Rhombi apice in Tabula non diſcum tantùm lunarem, ejusqve ita Diametrum, d. & phaſes obſcurationis ſingulas) *Eclipſin obſervandi*, ſpe omni plane abjecta, applicare noluimus. Sed vero cum, præter ſpem omnem, ſereniorem ſenſim ſenſimqve Hemiſphærium noſtrum faciem induerat, nec tamen temporis ſatis ſupereſſet, conficiendi ut par erat, qvæ novæ methodo neceſſaria judicaveramus, uſitatâ hactenus viâ, ab Hevelio in Selenographia ſua præſcriptâ, nec difficultatibus ſuis deſtituta, rem aggresſi fuimus. Obſervationem ipſam ſeqventi Schematiſmo incluſimus, adjecta ſimul tabulâ, circa qvam tamen unum alterumve monendum duximus. Tab. IV.

(1) Horologium ambulatorium qvare non adhibuerimus, in cauſſa fuit: partim qvòd exqviſitum aliqvod forte non eſſet ad manus, partim qvod nec per alia licuerit, ea qvæ forte aderant, mino-

ris momenti & minuta ægre indicantia ad ſtellarum altitudines corrigere; præſertim cum facile ex Procyonis altitudine colligeremus, ea qvam maxime a vero temporis momento abeſſe.

(2) *Perpendiculum*, qvo fuimus uſi, ejus erat qvantitatis, ut, qvod aliqvoties antea tentaveramus, 50. ejus vibrationes ſimplices uni exacte minuto primo reſponderent.

(3) Altitudinibus plurium ſtellarum, qvam ſolius Procyonis ſ. Canis minoris, intentis eſſe nobis non licuit, partim ob Inſtrumentorum, qvibus tuto fides ſit adhibenda, partim ob coadjutorum defectum. E freqventiore enim circumſtantium numero, ob intenſisſimum frigus vix unum alterumve ab igne revocare potuimus, qvi coadjutrices cum induſtria nobis offerret manus. Sua tamen cum laude merito nominamus Viros duos Cellis-Luneburgicorum oriundos, *Valenkampff* dictos, germanos fratres, ad optimas qvasqve ſcientias plane natos, qvorum, uti perſpecta nobis ex aliqvot annis ſolidisſima Experientia mathematica, ita in Obſervatione, tam Eclipſeos Solaris An. 1699. d. 13. Sept. qvam præſentis lunaris, ſuam nobis induſtriam & indefeſſam operam egregie commendarunt.

(4) Ex omnibus autem Stellis unicum *Procyonem* elegimus, ut ex ejus altitudinibus tempus poſtea inveſtigaremus, qvod & ſitus ipſius nobis perqvam commodus (nec enim puncto verticali, nec Horizonti, nec Lunæ nimis erat propinqvus) & luce ſua reliqvas ſuperans, oculum obſervatoris fugere facile non poterat.

(5) Ejus Altitudines Qvadrante Orichalceo, graduum minuta prima qvidem tantum, d. accurate & diſtincte ſatis exhibente, cepimus; Unde & in eruendo poſtmodum tempore minutorum ſecundorum ἀκρίβειαν ſtudio qvidem omiſi; nolui enim, cui exqviſita & non ſine ſumptibus elaborata inſtrumenta hactenus deſunt, in ſolo calculo adeo eſſe ſecundorum minutorum tenax, qvi in minutis primis Inſtrumentorum facile poteram hallucinari, id qvod profiteri lubentius, qvam cum aliis, forte in pari mecum fortunâ conſtitutis, lectori imponere malui.

(6) *Penumbram* adnotare, ipſi immerſionis momento rite animadvertendo intentus, & coobſervatoribus aliis deſtitutus, in-

intermiſi; ſatius fore arbitratus, alterum, illudqve primarium debita cum induſtria notaſſe, qvam in utroqve a vero aberraſſe.

(7) *Phaſes* qvod attinet, nolui prolixe enumerare, per qvænam diſci lunaris qvælibet tranſierit loca, montes, maria &c. perſuaſus fore, ut intelligenti ipſa ocularis inſpectio corporis lunaris, in ſchemate adumbrati, ſit ſatisfactura; ignoranti v. iſthæc nec prolixior nominum catalogus ſufficiens ſit. Ceterum plures, qvas habere tamen poteram, data opera prætermiſi, nolui enim phaſium freqventia, & feſtinatione nimia, obſervationi vel moram vel incertitudinem conciliare.

(8) *Lineam diſci perpendicularem* ſingulis adſcribere phaſibus, nec potui, cum vix oculus ſine erroris metu diſcernat, nec ſi potuiſſem volui, cum iſta animadverſio calculum potius mihi, qvam obſervationem ſapere nonnunqvam videatur. Qvare, cum idem alii mecum ſenſerint & fecerint, ſatis credidi fore, ſi notarem qvid in linea perpendiculari fuiſſe judicaverim circa ingreſſum, circa phaſin mihi maximam, & circa finem.

(9) Immerſionis & Emerſionis punctum gradibus (qvod facere omnes vidi) certis adjudicavi, non qvod infallibiliter ipſis punctis adhæſerit prima umbra, nec ad minutum ullum declinaverit (id qvod prætendere nonnullum, præſertim in Eclipſi Solari An. 1699. animadverti) ita qvippe accurate diſci lunaris in cœlo gradus & minuta Teleſcopio vel etiam micrometro iſti immiſſo, diſcernere hactenus mihi non licuit, qvicqvid etiam dixerint alii; Sed qvod ibi circiter mihi prima umbra viſa fuerit.

(10) Adjeci tandem diſco lunari *Semidiametrum* ejus in digitos & digitorum ſemiſſes diviſam, ut de phaſium qvantitate ipſe lector judicare exactius qveat.

Ceterum ut obſervatione hac noſtra qvalicunqve, pro loci & inſtrumentorum ratione inſtituta, lector benevolus feliciter utatur, & inexhauſtum divinæ ſapientiæ theſaurum, ex operibus hiſce plane mirabilem, ſedulo mecum deprædicet, eſt qvod opto.

## *Obſervatio Eclipſeos Lunaris inſtituta Roſtochii ſub Elev. Poli 54°-10. d. 22. Febr. A. 1701.*

| | Ordo Phaſium. | Qvantitas. | Altit. Procyonis. ° ′ | Tēpꝰ ex Alt. hor. m. | Vibrationes Perpendiculi. | In linea perpendiculari erant. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| | Initium. | circa 158°. | 36°. 20′. | 10. 59. | Init. vibr. | Mons ſerrorum & I. Besbicus adeoq; ſub nonag. 23. grad. diſci. |
| CRESCENTES | I. | Dig. 1. | 35. 21. | 11. 7. | 400. | |
| | II. | Dig. 1 1/5 | 35. 13. | 11. 10. | 500. | |
| | III. | Dig. 2 1/3 | 34 - 0 | 11. 20. | 1050. | |
| | IV. | Dig. 3 3/4 | 32 - 26. | 11. 35. | 1800. | |
| | V. | Dig. 4 1/3 | 31. 22. | 11. 45. | 2300. | |
| | VI. | Dig. 5. | 30. 5. | 11. 56. | 2850. | |
| | VII. | Dig. 5 1/4 | 28. 53. | 12. 6. | 3350. | Lacus Niger maj. & Inſula Rhodus adeoq; ſub Nonag. 30. grad. diſci |
| DECRESCENTES. | VIII. | Dig. 5. | 25. 45. | 12. 31. | 4650. | |
| | IX. | Dig. 4 1/2 | 24. 6. | 12. 44. | 5250. | |
| | X. | Dig. 3 3/4 | 22. 46. | 12. 53. | 5700. | |
| | XI. | Dig. 3. | 21 · 32. | 1 - 3. | 6200. | |
| | XII. | Dig. 1 1/2 | 20. 58. | 1 - 15. | 6800. | |
| | Finis. | circa 250° | 20. 0 | 1. 28. | 7550. | Lac. Nig: maj. m. Sipylus m. Thabor adeoq; ſub nonag. 38. grad. diſci |

## GRYPHISWALDIAE

Die 3. Febr. Præſide *M. Brandano Henrico Gebhardi*, S. Linguæ & Theologiæ Profeſſore, *Judæus* in Capite I. *Zephaniæ* ἐλεγχθεὶς, *ac in Textu qvidem prætor ceteros R. Iſaac Abarbenel, in uſu verò cujusvis verſus* R. *Iſaac Ben Abraham*, contra qvem aſſeritur *ex verſ.* 1. & 2. *Jeſum eſſe verum Meſſiam*, qvod in Capite I. *ex verſ.* 3. *Judæos propter contemtum Jeſu eſſe abjectos*, qvod ipſe in Cap. II.

Mu-

Munimis fidei negat; Eruditorum examini ſubmiſſus à *Friderico Virow*, Gnöjenſ. Meckl. (3½ plag. in 4.) Diſſertationi huic monitum qvoddam ad Lectorem præmiſit *Præſes*, qvo ſignificat, *ſe poſteriorem Muniminis fidei* partem R. *Iſaac Ben Araham*, diverſis hactenus Diſputationibus expugnatam exhibuiſſe, infringendæ verò nunc *priori* parti Textum Propheticum præmittere; idqve ideò meritò ſe facere ait, ut oſtendat *Auctori Muniminis*, qvi *Chriſtianos* ex Novo Teſtamento refellere inſtituerat, idqve, qvæ genti eſt inſolentia, magnificè ſeſe efferret, ſibi eò usqve non deeſſe occaſionem *Judæos* ex V.T. refutandi, ut vel ſingula Prophetarum commata ſibi argumenta contra Judaicam *κακολογίαν* ſuppeditent.

Die 8. Febr. ſub *Ejusdem* Præſidio, à *Chriſtiano Alvert*, *Gryphісvv. Judæus* in Capite I. *Zephaniæ ἐλεγχθεὶς*, ac in Textu qvidem præter ceteros R. *Iſaac Abarbenel*, in uſu verò cujusvis verſus R. *Iſaac Ben Abraham*, contra qvem aſſeritur *ex verſ. 4. Judæos ob cædem D.n. Jeſu exulare*, qvod ipſe in Cap. III. *ex verſ. 5. Doctrinam Chriſti eſſe cæleſtem veritatem*, qvod in Cap. IV. *ex verſ. 6. Judæos eſſe Apoſtatas*, qvod in Cap. V. *ex verſ. 7. Judæos finaliter eſſe exciſos*, qvod in Cap. VI. *ex verſ. 8. Nec ullam ſpem habere politicæ reſtitutionis*, qvod in Cap. VII. *ex verſ. 9. Idqve propter æternam tribuum confuſionem*, qvod ipſe in Cap. VIII. Partis prioris *Muniminis fidei* negat, ulteriori Eruditorum examini ſubmiſſus. (4½ plag in 4.))

Die 14. Martii modò laudato *M. Brandano Henrico Gebhardi* Præſidis munus ſuſtinente, à *Ludovico Jacobo Dithmaro*, Regiomontano-Pruſſo, *Judæus* in Capite I. *Zephaniæ ἐλεγχθεὶς, ac in Textu qvidem* præter ceteros R. *Iſaac Abarbenel, in uſu vero cujusvis verſus* R. *Iſaac Ben Abraham*, contra qvem aſſeritur *ex verſ.* 10. & 11. *Myſterium SS. Trinitatis inſinuatum* Gen. I. 1. & 26. *Ex verſ. 12. Etiam Sanctos Prophetas per verbum* Geneſ. II. 17. *ſub peccatum concludi. Ex verſ. 13. Coram Judicio Dei in ſolâ promiſſione de Jeſu Mediatore* Gen. III. 15. *nitendum eſſe*: qvibus aſſertis *Rabbi* Cap. 9. 10. 11. 12. Partis prioris *Muniminis* fidei contradicit, ulteriori Doctorum examini exhibitus eſt. (3½. plag. in 4.)

Die

Die 17. Martii ab *Immanuele Rangone* Stargardia-Pomerano, Oratio, de *Memorabilibus nuper elapſi Seculi poſt Chriſtum natum decimi ſeptimi*, publicè recitata eſt, ad qvam audiendam Decanus FCtis Philoſophicæ, *M. Chriſtianus* Saalbach/ Poëtices ac Oratoriæ Prof. Ordinarius, & Acad. Bibliothecarius, publico Programmate Magnificum Rectorem, & omnes humaniorum literarum Fautores, præſertim verò Profeſſores & Studioſos, officiosè, humaniter, & amicè invitavit. (1. plag, in fol.)

## SEDINI

Menſis Februarii dies decimus qvintus, uti ab omnibus Pomeraniæ Citerioris Incolis feſtus fuit habitus, ita & in maximo apud *Sedinenſes* honore ob *Narvenſem* erat victoriam. Non divinis enim ſolùm vacabant rebus, ſed haud obſcura lætitiæ ſuæ allaborabant edere ſigna, unde etiam plurimæ per totam Civitatem ſub noctem Inſcriptiones & Emblemata conſpiciebantur, qvæ omnia & ſingula typis exſcripta extant ſub hoc titulo: *Relation*, wie das algemeine ſolenne Danck-Feſt / wegen des/ beym Entſatz der Stadt Narva, am 20. Novemb. alten ſtyli, An. 1700. von Ih. Kön. Maj. zu Schweden wieder die Moſcowiter erhaltenen herrlichen Sieges/ in der Pommerſchen Stadt Alten Stettin / am 15. Febr. itztlauffenden 1701. Jahrs mit ſchuldigſter Devotion hochfeyerlich begangen worden. Alten Stettin / gedruckt und zu finden beym Königl. Buchdr. G. Dahlen. (8. plag. in 4.)

## GEDANI

D. 7. Martii qvinqvageſimo nono ætatis ſuæ anno rebus humanis eximebatur *Andreas Barthius*, Eccleſiæ ad D. Catharinæ Paſtor, natus Gedani 1642. d. 16. Julii, qvi cum Gymnaſio patrio valedixiſſet 1662. Roſtochii, atqve hinc Argentorati ſtudiis operam impendit: Belgium qvoqve & Daniam luſtravit. Ex peregrinatione redux, Eccleſiæ anno 1670. Kobelgrubenſi in Næhringia, hinc anno 1674. in urbe ipſa ad D. Bartholomæi; deniqve 1676. Catharineæ præficiebatur.

In

In Gymnaſio Latinè peroravit de *Periculis & Adminiculis vitæ aulicæ*, ſub *Petro Titio*, Eloqv. & Poëſeos in Athenæo Gedanenſi Prof. Publico: Græcè autem *de commodis Pacis* ſub *Wolffgango Roſteuſchero*, Lingvæ hujusdem Profeſſore.

Sub *Johanne Maukiſchio*, D. Prof. Rectore & Paſtore, diſputavit ex *Specimine Philologico-Theologico*.

*Conciones funebres, typis excuſas, habuit*

1682. *Joh Henrico Schmidt*, Scabino Palæopolitano, ex Pſ. CIII. 15. 16. 17. fol.

*Annæ Berckmanniæ*, ex Pſ. LXIIX. 20. 21. fol.

1685. *Annæ Reginæ VVeiſſiæ*, D. *Sam. Schelgvigii* Uxori, ex Rom. IIX. 31. 32. 4to.

1687. *Joh. Hevelio*, Conſuli Palæopolitano, Mathematico celeberrimo, ex Pſ. LX. 20. fol.

Bibliotheca ejus, libris egregiis inſtructa, à die 6. Junii per auctionem diſtrahetur. Catalogus implet pl. 17. in 4.

Die 9. Aprilis diem obiit *Eilhardus Czirenbergius*, ad D. Bartholomæi Paſtor, natus Gedani 1639. die 3. Octobris, qvi ex Gymnaſio dimiſſus *VVitteberga* ab anno 1660. atqve hinc *Jenæ* ab anno 1663. ſtudiis incubit. In patriam reverſus, primum 1670. *Guthlandienſibus* in Inſulâ Gedanenſi, poſteà 1672. intra urbem Eccleſiæ ad D. Barbaræ, tandemqve 1685. Bartholomæitanis Paſtor datus eſt. Muneri hoc ſuo qvam potuit fidem & dexteritatem impendit.

## REGIOMONTI

Die 7. Apr. *Johann. Henr.* Hoyer / I. V. L. à Regia Majeſtate Profeſſor Juris Extraordinarius deſignatus, more ſolito pro loco Profesſionis, Reſpondente *Joh. Chriſtoph.* Ranger / B. *Achazii* Ranger / JCti famigeratisſimi, filio, Diſputationem habuit *de pœna perduellionis*, in qvâ Juſtitiam pœnarum, in Ls. C. ad L. Jul. Maj. perduellibus eorumqve filiis dictatarum, expendit. (3. plag. in 4.)

Die 8. Aprilis, *Chriſtoph. Cunrad*, Med. D. & Prof. Publ. Extraord.

traord. (cujus antehac an. 1698. in N. L. mentio eſt facta) pro loco Profesſionis Extraordinariæ obtinendo, habuit de *Hydrope Uteri* Diſſertationem ſolennem, Reſpondente *Joh. Frid. Starcke*, Regiom. Pruſſo, qvæ *qvatuor*, continet *Capita*, qvorum *Imum* Hydropis in genere Onomotologiam, Materiam, Definitionem, Differentias & varia Subjecta declarat, & tandem notabilem admodum hydropis uteri, interni hujus orificii coalitionem comitem habentis, & ab Auctore ipſo Lugduni Batav. ſub Celeberr. Prax. Profeſſ. *Dekkeri* directione obſervati, ſiſtit hiſtoriam; adimplebat enim extravaſatus inter uteri muliebris anguſtias latex ſeptem urnas majores aqvarum (7. groſſe Waſſer-Eymer) paracentheſi poſt obitum ægræ eductus. In *IIdo Capite* Cauſæ tum proximæ, tum remotæ hydropis uteri examinantur, & rejectis aliorum circa proximam opinionibus, probabilius ea, & qvidem immediata, à ruptione Vaſorum lymphaticorum in utero exiſtentium (non obſtante, qvòd in humano utero nondum, qvantûm conſtet, dicta vaſcula obſervata) deducitur, cui immediatæ adjuncta alia cauſa proxima mediata, eſtqve obſtructio vaſculorum lymphaticorum, unde prima cauſa derivatur. *IIItium Caput* inveſtigat ſigna hydropis uterini diagnoſtica, qvanqvam hæcce admodum obſcura ſint, qvibus aſſociata ſigna diſtinctiva hujus ab aliis hydropis ſpeciebus; qva occaſione etiam qvæſtio illa, per qvem locum purpureus latex menſtruâ periodo prodeat, inſimul ventilatur. *IVtûm Caput*, curam hydropis dicti, à tribus nonnunqvam Medicis, *Naturâ* ſcil. *Fortunâ* atqve *Medico* propriè ſic dicto peragi, & ab hoc potiſſimum remediis è triplici fonte, *Pharmaceutico*, *Chirurgico* & *Diætetico* depromptis abſolvi exhibet. (5. plag. in 4.)

## THORUNII

Dirigente, omniumqve Ordinum Auditores Programmate invitante *Johanne Rezik*, Gymnaſii Thorunienſis Prof. P. & Viſitatore, Actus Oratorius fuit inſtitutus, qvo *Splendor & Gloria: prima, maxima, optima Domûs Auſtriacæ*, ex triplo Sidere, LEO-

LEOPOLDO I. Auguſtisſimi Imperii Romano-Germanici æterno immortaliqve ſtatore; ex Sereniſſimo & Clementisſimo IOSEPHO I. Rege Romanorum feliciſſimo, Rege Hungariæ Apoſtolico; ex LEOPOLDO Infante Domino, Ioſephi & Dianæ Hannoveranæ filio gemmeo, qvindecim Imperatorum nepote, in pignus & commoda Aurei Sæculi, anno 1700. Octob. 28. terris donato, reſultans, dictione panegyrica explicata, votisqve & auguriis coronata fuit. Scilicet pro Gloriâ LEOPOLDI peroravit *Sigismundus Berzevvitzi, de Darocz*; Pro Gloriâ IOSEPHI dixit *Paulus Ottlik*, de Ozor & Kochanocz; Carmen Epicum de *Segete Gloriarum*, hoc eſt, de Obſesſâ & Liberatâ Viennâ, recitavit *Stephanus Keczer*, de Lypocz; Et tandem de LEOPOLDO Infante Archiduce, ex Pollione Maronis Carmine benè ominatus eſt *Nicolaus Goſztoni*, de Krenes; omnes & ſinguli Nobiles Hungari.

Pari modo ingenui aliqvot Gymnaſii Thorunienſis Alumni *Oracula ſeptem* in laborum & dolorum metâ, ſangvineô Crucis lignô, à Dominô & Liberatore noſtrô *J. C.* inter injuſtos moriente prolata, item *poſtulatum optimi Latronis, & Apollinis Chriſtiani qvædam additamenta*, publicè expenderunt, recitârunt. Oraculum I. Luc. 23,34. qvidem expendere debuit *N. N.* ſed avocatus à ſuis, non potuit. Poſtulatum Latronis, Luc. 23. 42. conſideravit *Chriſtophorus* Eißwagen / Thorunienſis. Oraculum II. Luc. 23, 43. explanavit *Vldaricus Trols*, Sedin. Pomeranus. Oraculum III. Joh. 19,26. interpretatus eſt *Michael Zabelius*, Sedin. Pomeranus. Oraculum IV. Matth. 27. 46. declaravit *Joh. Antonius Rachlitz*, Thorunienſis. Oraculum V. Joh. 19,28. propiùs inſpexit *Gabriel Holſt*, Mariæburgenſis. Oraculum VI. Joh. 19, 30. excusſit *Gottofredus Eitner*, Ravicenſis Polonus. Oraculum VII. Luc. 23,46. expoſuit *Tobias Beckelmannus*, Schmiglâ Polonus. Acceſſerunt Additamenta nonnulla Poëtica, & qvidem Ecloga I. (ſecundam Maronis imitans) qva *Mariæ* perſonam ſuſtinuit *Michaël* Wachſchlager/ Thorunienſis: Ecloga II. (ad qvintam Maronis reſpiciens) qva *Nicodemum* expresſit *Antonius Auſchvvitz*, Thorunienſis. Hinc partem

Tragœdiæ Paſſionis Dominicæ, à S. Marcô Evangeliſtâ cap. 14. deſcriptæ, Carmine repetierunt *Petrus Dzikovvski*, & *Antonius Giering*, Thorunienſes. Tandem *Andreas Ketzer*, de Lypocz, Nobilis Hungarus, miratus, qvod multorum illuſtrium mortis & ſepulturæ memoria interciderit, mortis & ſepulcri Jeſu autem per tot ſæcula non perierit, gratias Auditoribus nomine publico egit, & operi coronidem impoſuit.

Moderante *Jacobo* Herden/ J. P. P. Extr. & Pr. Ord. ab Alumnis Gymnaſii Thorunienſis *Fides conjugalis Ansbertæ, Principi Bertulfo, marito ſuo, probata*, Actu Scenicô, ſive Dramate Tragi-Comicô, fuit exhibita.

NARVAE

In locum B. *M. Hermanni* Herbers / Templi Germanici qvondam Paſtoris primarii, ſuffectus eſt *M. Joh. Andreas* Hellwig/ huicqve alius ſuccedens, nomine N. Brüning/ Compaſtoratum obtinuit.

VPSALIAE

Sub Præſidio *Johannis* Upmarck/ Eloq. & Pol. Prof. Reg. ac Skyttiani, Diſputationem Academicam *de Bonitate Malorum*, *Jacobus* Wahlund / Vermel. pro Gradu ad publicum examen detulit. ($2\frac{1}{8}$ plag. in 8.)

Sub moderamine *M. Haraldi Vallerii*, Matheſ. Prof. Reg. & Ord. *Jonas* Spangenberg/ Smolandus, DiſputationemMathematico-Phyſicam, *de Polis Terræ, eorumqve proprietatibus*, publicæ cenſuræ ſubmiſit. ($2\frac{1}{8}$ plag. in 8.)

Præſide *M. Petro Elvio*, Mathem. Prof. Ord. Diſſertationem qvandam Mathematicam *de Telluris Axe, ejusqve Inclinatione*, in Audit. Guſt. Maiori propoſuit *Sveno Laurelius*, O-Gothus. ($3\frac{1}{8}$ plag. in 8.)

Paulò ante laudato *M. Haraldo Vallerio*, Math. Prof. Reg. Ord. moderatore, filius ejus *Haraldus*, DiſſertationemPhyſico-Mathe-

thematicam *de Camera obſcura* publicæ ventilationi exhibuit. Diſputatio illa conſtat qvatuor Capitibus, qvorum 1. *de Lumine.* 2. *de Camerâ obſcurâ naturali, vel Oculo.* 3. *de Camerâ obſcurâ artificiali.* 4. *de Megalographicâ, vel inverſa Camerâ obſcurâ* agit. (4¾ pl. in 4.)

*Johanne* Upmarck/ Eloqv. & Polit. Prof. Regio & Skyttiano, Præſidis munus ſuſtinente, *Johannes* H. *Vallerius*, Diſſertationem Philoſophicam *de Aurora*, pro Gradu ventilavit; ubi eorum, qvæ ex Poëtis mutuatus, brevem primo delineationem, poſteà phyſicas rationes, ac ultimò nonnulla ex Matheſi depromta in medium profert. (5½ plag. in 4.)

Sub Præſidio *Jacobi Arrhenii*, Hiſtor. Profeſſ. Regii (ſupra pag. 17. laudati) *Carolus* Enhörning/ Eloqv. & Poëſ. Lect. in Gymn. Streng. *de Congiariis & Donativis* Diſſertationem Gradualem publico examini ſubmiſit. (2. plag. in 8.)

Moderatore *Johanne* Upmarck/ Eloq. & Pol. Prof. Reg. & Skytt. aliqvoties paulò antè memorato, *Sveno Flodman*, Helſingus, *Rationis excultæ uſum*, Exercitio Academico breviter comprehenſum, publicè diſputando tractavit. (2⅝ plag. in 8.)

## HOLMIAE

Prodiit hic ex Officinâ *Olai Ænæi*, Reg. Arch. Antiqv. Typogr. *Carmen Seculare, Academiæ* Sveonum *Upſalienſi*, ineunte Seculo Chriſtianorum octavo decimo, dicatum à S. R. M. in Facultate Jurid. Alumno, *Gabriele* Brinck. Holmienſ. (9. plag. in fol.)

Item ex ejusdem Officinâ: *Detail de la Victoire remportée par le Trespuiſſant & Sereniſſime Prince* CHARLES, *Roy de Svede, de Gothie & de Vandalie &c. &c. ſur l' armée des Moſcovites, qu' il a batus & obligés à lever le ſiege de Narva, forçant avec huit milles Svedois pres de cent milles Moſcovites dans leurs retrenchemens, fait par F. A. R. D. F.* (2½ plag. in fol.)

*Eberhard Chriſtianus Spöring*, Con-Rector, Lycéi German. Holm. nomine, *triumphalia gaudia ob victoriam Narvenſem*, Carmine coluit.

BERGIS

*Continuatio Pii Deſiderii M. Severini Lintrupii, Def. Prof. Hafn. & Cathedr. Scholæ Bergenſis Rectoris, de Selectioribus Eruditorum Opuſculis & Diſſertationibus Academicis ab interitu vindicandis &c.*

(vid. Menſ. præced. p. 115.)

Eqvidem haud unqvam defuere Viri literarum atqve artium Principes, qvi egregio publico & poſteritati, melius hac parte proſpectum, & damnoſo fatorum temporumqve diluvio, tot pulcherrimos ſummorum ingeniorum fœtus identidem abſorbenti, validum aliqvando aggerem cuperent objectum. Extant patheticæ eruditorum ſuper illo meliorum literarum fato qverelæ, ad Senatum literatorum ſæpius relatæ, qvalis illa *Naudæi, de inſt. Biblioth.* p. 76. 99. minutiora hæc doctorum opuſcula, magno Reipublicæ literariæ diſpendio in Bibliothecis vulgò negligi, prolixè & graviter dolentis, ab *Hottingero* p. 5. *VVittenio in præf. Diar. Biograph.* aliisqve poſtmodum iterata. Extat grave laudati *Hottingeri* judicium p. 95. modicum qvem poſſidebat, *diſputationum per univerſam Europam habitarum theſaurum, non unam* ſc. *Chiliadem* 34 *& amplius Tomis comprehenſam* (34. verò *Chiliades* mendosè habet, e *Creenio* Celeb. *Colloqv. menſtr.* Auctor 92. p. 162.) *eò majori habentis loco, qvò ſemel amiſſus poteſt incommodiùs reparari.* Extat ſolenne judicioſiſſimi *Schertzeri* votum in *præf. progr. ut tandem aliqvando publica vel lege, vel conſvetudine, ſingularum Academiarum programmata, orationes omniumqve facultatum diſputationes, qvolibet ſaltem luſtro, diverſis in publicum prodirent faſciculis!* Extat luculentum *Morhofii*, peritiſſimi ſane, ſi qvis alius, harum amœnitatum cenſoris, cum exemplum, *minutioribus libris coëmendis & in Bibliotheca locandis præcipuè intenti, eamqve interſerentis cauſam, qvòd parvi libri & facilius & ita ſæpe divendantur, ut nullo deinceps pretio ſint redimendi, cum majores haud facile Bibliopolarum forulos plane deſerant,* ceu in *Vita* ejus p. 42. legas, tum conſilium Pol. p. 23. *minutiores libros rariores ſingularis argumenti, qvi ſe oculis emptorum facile ſubducunt, præ cæteris comparare* ſvadentis; tum deniqve monitum l. c. p. 245. *Diſputat. & Diſſertationes in univerſum diligenter collectas, locorum*

Com-

*Communium vicem præſtare poſſe.* Atqve eapropter *accuratius notari volentis*, *exemplo Cinelli.* Extant crebra Cl. *Creenii* & Conſilia, laboranti hac parte rei literariæ data in *præf. faſc.* I. & nuperi *Theſauri librer. Philolog. & hiſtor. de ab interitu retrahendi eruditorum ſcripta ſtudio &c.* & auxilia, tot *faſciculorum*, *faſcium*, *Syntagmatum*, *Analectorum*, *Muſei*, *Theſauri*, *Methodorum* &c. publicatione lata: Extat juſta Archi-Theologi Saxoniæ S. B. *Carpzovii* θύμωσις in erudita ad Fratris J. B. *Carpzovii Diſp. Academicas præfatione*, *indignantis, cum videt qvandoqve qvasdam non maximi momenti ſcriptiunculas ſub incudem aut prelum potius revocari*, *qvæ ut argumento ſe probent forte*, *nil in ſe continent*, *qvod legere operæ pretium ſit*, *ſummo* autem *ſtudio ac eruditione elaboratas commentationes, qvæ diſpoſitionum nomine veniunt, negligi & oblivione ſepeliri*: Extat votiva in eundem ſenſum famigeratiſſ. Hamburgenſium Theologi *J. F. Mayeri* parænefis, peculiari expoſita Programmate Hamb. 1697. *Thurmanno* l. c. ſæpius laudato: Extant innumera his parallela vel Encomia diſputationum, vel eruditorum deſideria, *Finvvetteri* in *Biblid.* p. 46. G. *VVegneri* in *præf. ſpec. qvæſt. Exeg. de ſpecim. Acad. Vogleri & Meibomii in Notit. Auctor.* c. 4. *Eruditorum Lipſienſium* paſſim, Auctoris item *præf ad faſc. Diſp. S. Schmidii* M. S. H. (niſi mea fallat conjectura *M. Sigfr. Hoſemanni*) aliorumqve plura, qvàm ut his anguſtiis tempeſtivè qveant repræſentari. Verùm intra vota ferè res hucusqve ſtetit, paucis adeo repertis hodie Æſculapiis, qvi disjecta Hippolyti membra manu medica colligere voluerint, novoqve ſpiritu animata in corpus ſolidum compingere, puta qvi palantes diſputationum Academ. ſporades, nec ad unum corpus homogeneum ſpectantes, e fuga revocaras injuſta volumina redegerint. Ut pauca illa qvæ extant collecta hierogymnaſmatum ſelectorum volumina, deſiderium orbis eruditi excitaſſe magis cenſeri debeant, qvam impleviſſe; velut e gemino, qvi ſubjicitur, *Diſputationum* in præcipuis Europæ Evangelicæ Academiis vel editarum hactenus vel deſideratarum *Catalogo*, *Thurmannia* juridico p. 34. parallelo facile diſpalleſcet. Nimirum habemus ex *Academia Noric. Alttorffina* Chr. *Crineſii* Exerc. Ebraic. 5. Norib. 1625. & *Gymnaſmata Theol.* 5. ib. 1626. 4. *J. Fabritii* F. Amœnitates Theol. Helmſt.

Helmſt. 699. 4. Theod. *Hackſpannii* Syllogen Diſp. Theol. Philolog. Altorf. 1663. 4. Ex *Argentoratenſi* J. H. Bœcleri Diſſ. Acad. 8. Arg. 658. ſed aliis auctas 2. Vol. in 4. prodituras, ſi catalogo nundinali fides. J. C. *Danhavveri* homilias Academicas, 2. Vol. 8. *Duqviſition. ſacrarum faſcic.* Lipſ. 4. 1699. ed. ſed minus accuratè, ac proinde nova in catalogo autumnali Lipſ. 1700. promiſſa 2. Vol. editione corrigendum, J. G. *Dorſchei Pentadecada* Diſſ. Theol. cum prælim. & auctario ib. 654. *Septenarium ſingularium Angelicorum*, 12. ib. 642. *Septen. admirandorum Chriſti*, 12. ib. 642. *Miſcellanea hiſtorico-Theologica*, Roſt. 659. 4. at qvàm pauca ex plurimis Theologi diligentisſimi Lipſanis! Iſ. *Fröreiſenii Hierogymnaſmata* Acad. Arg. 4. 1623. S. *Schmidii faſcic. diſſ. Philol. Theol.* 4. ib. 665. alium *faſcic. Diſſ. Philol. Theol.* 8. ib. 676. rurſus alium cum præf. M. S. H. Franc. 696. 4. *Orationes* item *& programmata, primo Myſterii gratiæ*, mox. *Diſſ. Academ.* titulo Hamb. 695. 4. ed. *Senarium Angelicum* (potius qvinarium) 12. Helmſt. 695. *Decada Diſp. Selectior. Repetitioni F. C.* a Cel. *Zentgrafio* adjectam, ib. 696. 4. *faſcic. Diſp. Analytico-paraphraſticarum*, ib. 685. 4. &c. digna certè omnia, qvæ aliis Theologi ſummi operibus comitata & in volumina juſto ordine compoſita in ſeculum irent; Ex *Baſileenſi*, (*Baſil. Theologorum Diſp. tripertitas* Baſil. 1618. 8. ed. citat. *Lippen.* Bibl. Theol. T. I. p. 132) J. *Buxtorfii F. Exerc. S.* Baſil. 659. 4. & *Diſſ. Philol. Theol.* ib. 4. 662. J. J. *Grynæi theorematum & problem. Theolog.* P. 3. ib. 1588. &c. Arn. *Polani Syllogen theſ. theol.* P. 3. ib. 8. 603. &c. Theod. *Zvvingeri* Syntagma Exerc. Theol. 4. ib. 657. &c. Ex *Dienſi* A. *Creguti* Biurim, ſeu elucidat. de apicibus Theol. Diæ 4. 1660. Et *Dorpatenſi* J. *Gezelii P. σύλλογον θεολογικὸν* Dorp. 644. 4. ap. Scheffer. p. 170. Geo. *Mancelii* faſcic. diſp. Theol. in Academ. Guſtaviana habit. ap. *VVitten.* T. 2. Diar. A. 1654. A. *Virginii* Manipulum Diſp. Theol. Dorp. 635. 8. ſed non niſi 19. cum ultra 180. ediderit ap. *VVitten* memor. Theol. dec. II. p. 1525. & primo officii triennio 45. vulgatas ipſe ſcribat in dedic. manip. ap. Moller. hypomn. ad Scheffer. p. 453. Ex *Duisburgenſi* J. *Claubergii* & M. *Hundii* Diſp. ſelectas Duisb. 4. 665. Ex *Franco-*

*fur-*

*furtenſi* ad Viadrum J. C. *Becmanni* Diſſ. Acad. hiſtor. & polit. Theol. Vol. 2. Francof. 684. & 699. 4. J. *Bergii* decad. Diſp. ib. 4. 621. &c. Chr. *Pelargi* Diſp. Theol. Decades 8. ib. 595. & Diſp. qvæ in Decadibus non continentur 603. 4. ap. *Lippenium* T. 1. p. 529. J. *Simonis* Diſp. Theol. ib. 4. 666. G. *VVegneri* Diſſ. S. ib. 4. 695. & Lipſ. 696. Ασκήματα Philoſophica ib. 4. 697. Ex *Franekerana* J. *Cloppenburgii* Syntagma Exerc. ſelect. 4. Franek. 655. & opera Theol. 2. Vol. 4. a *Joh. Markio* ed. Amſt. 684. S. *Lubberti* Exerc. Theol. 8. ib. 621. *J. Maccovii* theſ. Theol. ib. 4. 649. it. diſp. miſcell. qvæſt. 8. 643. J. *Markii* exerc. juv. Grön. 8. 686. *J. Valckenier* qvæſt. philol. theol. 654. N. *Vedelii* opuſcula theol. Fran. 12. 641. C. *Vitringæ obſervationum* ſeu ut ipſe in præf. l. 3. vocat *Diſſert. S.* lib. 3. Franek. 689. & 691. 4. qvibus qvartum ſe promiſit additurum; J. van der Wagen varia S. ib. 693. 4. ſed in qvibus nonnullæ deſiderantur. &c. Ex *Genevenſi* præter opuſcula *Calvini* ipſius f. Gen. 575. Th. *Bezæ* ib. f. 566. *Danæi* f. 578. A. *Sadeelis* 4. Tom. &c. *Bezæ & Fayi* theſ. Theol. ib. 4. 591. Dav. & Steph. *Clericorum* qvæſt. S. cum not J. Clerici 8. Amſt. 685. Fr. *Spanhemii* P. ſyntagma Diſp. 2. Part. Gen. 4. 652. F. *Turretini* Diſp. Miſcel. Decad. tr. de neceſſ. ab Eccl. Rom. ſeceſſione adj. ib. 4. 687. & opera 3. Vol. 4. Ultraj. 698. Ex *Giſſenſi* Diſp. Theol. *VVinckelmanni Mentzeri* utriusqve, H. *Eckhardi*, C. *Helvici*, *Finckii*, J. *Giſenii Fevvrbornii*, *Haberkornii*, *Misleri*, *Siricii* tomos 9. Giſſ. ab A. 607. ad 671. 8. *Fevvrbornii* faſcic. 6. & ſyntagm. 2. poſtea *operum* nomine recuſa, ib. 671. 4. C. *Finckii* ſchediasmata philoſ. theol. ib 8. 607 &c. P. *Haberkornii* ſyntagmata diſſ. de Trinit. 8. ib. 650. 52. & 59. aliaqve contra Walenburchios, Keddium, Forer. &c. J. H. *Maji* Diſſ. S. 8. Franc. 690. B. *Menzeri* P. op. 2. Vol. 4. ib. 669. J. N. *Misleri* diſp. 14. Giſſ. 4. 675. M. *Siricii* Decada diſp. ib. 4. 669. & diſp. theol. ib. 4. 667. Ex *Gröningana* veſperas Gröninganas, ſeu colloqvia privata de rebus S. Amſt. 698. J. *Altingii* Diſſ. Acad. heptades 7. & oration. hept. 2. 4. Grön. 671. & opera Vol. 5. fol. Amſt. 687. *Braunii* Selecta S. 4. Amſt. 700. qvibus *Diſſ. de Phariſaiſmo Eccl. Rom. Benthemb Stat Eccl. Belg.* p. 2. p. 279. memoratam mi-

 reris

reris excluſam. Fr. *Gomari* Synt. Diſp. theol. 8. Roterod. 675. & oper. Vol. 3. fol. Amſt. 654. S. *Mareſii* ſyllogen Diſp. ſelect. 2. Part. 4. Grön. 660. & 63. tertia parte in præf. 1. promiſſa ex aliis ejus Diſſ. facile augendam. H. *Ravenſpergeri* florilegium theol. de ſubtilior. theol. qvæſtion. εἰκαδα qvæſtion. globum ſacrum &c. M. *Scoockii* Exerc. S. 8. Grön. 657. & Miſcellan. Ultraj. 663. 4. ſed 688. recuſa ſaltem titulo Amſt. ſub *Mart. Themidis* nomine venditatas. Ex *Gryphisvvaldenſi*, ſi Lippenio credas p. 528. b. B. *Krakevvizii* Diſp. theol. de præcip. doctr. Chriſt. cap. Hamb. 612. 4. ſed nec *VVittenio*, nec ulli qvod ſciam alii memoratas, Alb. *Vogtii* Miſcell. Bibl. 4. Gryph. 670. &c. Ex *Halenſi* nova J. J. *Breithaupii* theſ. theol. & programm. 8. Halæ 697. &c. Ex *Heidelbergenſi* (Heidelb. Academiæ Diſp. Theol. ſine Auctor. aut Præſid. nomine Heidelb. 4. 1585. allegat. *Lippenius* T. 2. p. 19.) H. *Altingii* tom. 3. Script. Heidelb. 4. J. L. *Fabritii* op. Theolog. 4. Tiguri 698. & opuſc. Heidelb. 693. J. H. *Hottingeri* primitias Heidelb. 4. ib. 659. Smegma orientis ib. 657. 4. centur. qvæſtion. phil. theol. 2. ib. 659. faſcic. Diſp. philol. theol. 4. ib. 660. enneada Diſp. Theol. Phil. Tiguri 4. 662. D. *Parei* Diſp. Theol. vol. 4. Franc. 610. 18. &c. 8. & oper. fol. Genev. 642. &c. G. *Sohnii* theſ. theol. 8. 591. & oper. tom. 3. Dan. *Toſſani* Diſp. Heidelb. 590. Z. *Urſini* Exerc. Scholaſt. l. 2. Neoſt. 591. 8. & tract. Theol. Vol. 2. f. ib. 581. H. *Zanchii* Miſcell. l. 3. f. ib. 582. Ex *Helmſtadienſi* G. *Calixti* Diſp. 15. Helmſt. 658. 4. faſcic. Diſſ. de perſona Chriſti. ib. 4. 663. faſc. diſſ. de peccato. ib. 662. Orat. ſelectas. ib. 659. 4. qvæ ut aliis ejusdem ſelectioribus ſcriptis, Anglis jamdiu deſideratis, teſte Cl. *Benthemb* præf. ad Stat. Eccl. Anglic. ſtipata & in tomos, ſerie in catalago Filii præſcripta, congeſta prodirent, vel ob Eccleſiaſticæ antiqvitatis peritiam optandum, H. van der Hardt Ephemerides philolog. 8. ib. 693. easdemqve illuſtratas 4. 696. C. *Hornejі* Diſp. Theol. P. 2. ib. 4. 632. & 646. *diſp. & tract.* de neceſſit. ſtudii pietatis Franc. 4. 648. J. *Olearii* diſp. theol. p. 2. 8. Erff. 584. & Mülhuſ. 587. J. *Sauberti* palæſtram Theol. Philol. Norib. 4. 678. &c. Ex *Herbornenſi* J. *Melchioris* op. Theolog. p. 2.

Herb.

Herb. 4. 693. J. *Piſcatoris* theſ. Theolog. Vol. 2. ib. 8. 607. B. *Textoris* theſ. theol. vol. 2. ib. 8. 597.

(ulteriorem pii hujus Deſiderii Continuationem B. L.) futuro Menſe habebit.)

HAFNIAE

Die 7. Aprilis, Præſes *Johannes Steenbuch*, continuavit *Examen Verſionis vernaculæ ad Stateram Ebræi Codicis*, & illius Diſſertationem *tertiam*, Reſpondente *Matthiâ Ansgario*, ventilavit. (6. plag. in 4.) De *prima* hujus argumenti Diſſertatione vid. N. L. 1699. p. 148; de *ſecundâ* verò, 1700. p. 175.

Die 14. Aprilis, Præſide *Henrico Weghorſt*; Reſpondente autem *Joh. Thomâ Fiſchero*, Diſſertatio *prima* de *Differentiis Juris Danici & Romani* ventilata fuit. (2½. plag. in 4.) Cui Corollarii locô *de Cautione Mutii Scævolæ* Diſſertatio adjecta (1½. pl. in 4.)

Die 17. Aprilis, Dominicâ ſc. Jubilate, *Sigismundus VVilhelmus Toppius*, (de qvo ſupra p. 27.) *Mindenſis* antehac Eccleſiaſtes, & *Felix Chriſtophorus Mentzer*, ad Diaconatum Templi Germanici vocati, introducebantur.

KILONII

Die 30. Aprilis Præſide *Günthero Chriſtoph. Schelhammero*, Medicinæ D. & in Academiâ Kilonienſi Prof. Primario, Ser. Ducis Cimbr. Gottorpienſ. Archiatro, Societatis N. C. Leopoldinæ Adjuncto, & in Italia Recuperatorum Socio, *Chriſtoph. Martinus Burchardus*, *Exercitationum Medicarum ſeptimam*, *de Motu Animali* verò *ſecundam*, publicè defendit.

Die 25. Maji *Chriſtianus Krumbholtz*, S. S. Theol. Licentiatus, ad D. Petri Eccleſiæ Hamburgenſis Paſtor & Scholarcha, ſupremos honores Theologicos, atqve ſimul dignitatem Aſſeſſoris Facultatis Theologicæ conſecutus eſt. Actum hunc Doctoralem, Decanus Collegii Theologici in Academiâ Kilonienſi, *Joh. Fridericus Mayer*, Doctor & Profeſſor Theologus, S. R. M. Svec.

per Germaniam Svecicam, Sereniſſ. Ducis Sleſvvic. & Holſat. Reverendiſſ. Abbatiſſæ Qvedl. Conſiliarius in Sacris Primarius, Eccleſiæ Hamburgenſis ad D. Jacobi Paſtor & Scholarcha, publico programmate ſignificavit. (3. plag. in fol.)

Agit in illo *de Pontifice Romano Confesſionario*, & poſtqvam ſententiam ipſorum *Pontificum, Pontificiorumqve Scriptorum*, circa qvæſtionem hanc: *Num à Petro*, qvem primum ſibi Roma fingit Epiſcopum, *qvisqvam ex Pontificibus Romanis baculo uſus fuerit paſtorali*, tam Negativam, qvàm Affirmativam memoravit, & ſaluberrimum baculi illius *uſum* atqve *ſignum demonſtravit*; Romam præſenti tempore Epiſcopo *Albano* gaudere: Eccleſiam qvoqve Orthodoxam lætari affirmat, qvod neglectis putidis Anteceſſorum veſtigiis ad animarum curam hic Pontifex applicare animum, partesqve Paſtoris implere occipiat. Argumenta hujus Paſtoralis *Albani* ſollicitudinis eſſe dicit, *qvod ipſe Confesſiones audiat*, *ſuaqve manu Cardinalibus ſacra diſpenſarit*. Porrò non præſentem *Albanum* ſolùm, ſed alios etiam Pontifices, videlicet *Vrbanum* VIII. *Clementem* VIII. Confesſionibus audiendis, & Euchariſtiæ diſtribuendæ faciles ſe præbuiſſe, *Chriſtinam* etiam Sveciæ qvondam Reginam, cum Romam veniſſet, ab ipſo Pontifice abſolutionem, auſcultationemqve Confesſionis ſuæ poſtulaſſe addit. Occaſione hujus Reginæ ſe non poſſe non facere ait, qvin deteſtetur inſanam calami procacitatem animiqve impotentiam *Michaëlis Capellarii* Abbatis, qvi in Poëmate Venetiis ſuperiori anno edito, qvod *Chriſtinam Luſtratam* inſcripſit, impudentisſima mendacia, horrendasqve calumnias turpiter effuderit, qvo & illud pertineat, dum Glorioſiſſ. memoriæ Heroa *Guſtavum Adolphum*, *Chriſtinæ* Parentem, ſub *Plutonis* perſonâ inducat, cumqve à *Saga de belli exitu certiorem fieri voluiſſe*, *& conſilium petiiſſe* ſcribat. Ad *Albanum* Pontificem reverſus, diſcrimen qvod eſt inter illum & ſuprà memoratos Pontifices, uti & cauſas recenſet, ob qvas fieri non posſit, ut è Pontificum numero vel unus officio Confesſiones audiendi ſe ſubducat, illudqve negligat; cur verò pleriqve Pontifices hoc munus non exeqvantur poſtea docet. Tandem occaſionem, qvâ hæc commen-

mentari motus ſit, ſubjungit, ſcilicet *promotionem Doctoralem* ſupra laudati *Chriſtiani Krumbholtz*, S. S. Th. Licentiati, cujus commendationi reliqvum chartæ impendit curriculum vitæ ejus exponendo. Natus eſt ille *Neoſtadii* in Miſniâ an. 1665. Tyrociniis in humaniori literaturâ in *Patriâ*, nec non in Schola *Portæ* propè *Naumburgum* ſub dexterrimis Præceptoribus poſitis, an. 1682. *Lipſiam* adiit. Triennio ibi exacto Philoſophiæ Baccalaureus & Magiſter creatus fuit, atqve eruditionem ſuam variis probavit ſpeciminibus, qvæ inter Diſputatio publica, pro loco inter Magiſtros obtinendo, qvæ adverſus *Reformatos* & *Thomiſtas* oſtendit: *Qvod voluntas humana non determinetur ab ultimo judicio intellectus practici*, Reſpondente M. *VVilkio*, jam Theol. D. & Superint. *Miſnenſi*. Aliam porrò habuit Diſputationem pro loco in Facultate Philoſophicâ obtinendo, de hâc Theſi: *qvod præſcientia Dei actiones noſtras liberas non necesſitet*. An. 1688. Theologiæ Baccalaureus renunciatus eſt, & præſide D. *Oleario* hanc Diſſertationem ſpeciminis loco defendit: *Qvod neqve decreta, neqve Concurſus Dei necesſitent actiones noſtras liberas, tum in ſphæra naturæ, tum gratiæ*. Ex eo tempore juxta *Philoſophica* etiam *Theologica* & *Homiletica* diſcentibus aperuit Collegia, aſt per breve temporis ſpatium. Non enim ſolùm *Conciones Sabbatinæ in Templo Nicolaitano* apud *Lipſienſes* qvothebdomadis habendæ illi commiſſæ; ſed & brevi poſt *Poſonium* vocatus eſt. Ante eò qvam abiret, examini pro *Licentia* ſe ſubmiſit, atqve præſtanda præſtitit. Cum ibi per *qvinqve annos* animarum curam gesſiſſet, *ſexto* ab adventu ejus *anno* inde diſcedere coactus. Ejectum *Dresda* ſibi ad templum *D. Sophiæ* Eccleſiaſten expetivit obtinuitqve. *Triennio* hîc abſoluto *Hamburgum* ad Paſtoratum primarium ædis D. Petri ſuperiori anno 1700. vocatus eſt.

*Scripta ab eo in lucem emiſſa ſunt ſeqventia.*

(1) Volumen concionum annuarum *Dresdæ* habitarum, qvibus ex ſingulis Evangeliis oſtendit *fidem veram Apoſtolicam* non apud *Pontificios*, ſed in *Evangelicâ noſtrâ Eccleſiâ* reperiri; titulus Operis eſt *Catholicumus*.

(2) *Qvæſtiones octo Theologico-Practicæ*.

(3) *Compendium Homileticum.*

(4) Conciones binæ; altera *Valedictoria*, altera *Inauguralis*, ſupra pag. 94. memoratæ.

Sub prelo ſudat aliud *Paracleticarum ejus Concionum Volumen*, & *Pædevticas, Epanorthoticas*, ac *Didaſcalicas* ſimiliter publico pollicetur.

Qvum modò laudatus *Chriſtianus Krumbholtz* axiomate Doctorali ornaretur, *Sebaſtianus Kortholt*, Poëſ. Prof. Publ. Carmine Votivo, vitæ Doctorandi & ſtudiorum hiſtoriam recenſente, ipſi applaudebat. (1. plag. in fol.)

## *Excerpta ex Literis Jo. Ludov. Hannemanni. D. & P. P. Picam & Malaciam concernentia.*

Haſce claudenti literas mirum qvid de *Picâ* gravidæ mulieris narratur. Mulier qvædam gravida miro ducitur deſiderio comedendi angvillas. Maritus ejus, ut appetitui ſuæ uxoris faveat, vadit piſcatum. Ipſo abſente angvillæ venales afferuntur, has emit fœmina, emtas non coctas ſed crudas devorat, magno cum appetitu. Et qvas maritus domum reverſus ceperat, qvoqve crudas comedit.

Ecce aliud exemplum *Malaciæ*. Cujusdam Mariti uxor non gravida, aſt hoc depravato appetitu laborans, videt rabioſum bovem, accenditur deſiderio comedendi de hujus bovis rabie infecti carne. Trucidatur, & terræ tumulo demandatur. Anteqvam hoc fieret, mandat ſuis domeſticis, fruſtum de bove afferant, coqvant. Vix tam diu exſpectare poteſt, cocta ſit, edit de hac carne, & rabie inficitur, qva & exſtincta.

Alia fœmina eſt gravida, aliqvot haleces crudos *picâ* laborans comedit.

Vt hæc dicam, ſalvo aliorum judicio, vitium non eſt in ventriculo, ſed phantaſiâ oberrante.

## *Scholion Jo. Jac. Stelterfothi. D.*

Infinita hujus farinæ exempla præter tot jam literis conſignatas cu-

curioſorum obſervationes, (qvas inter haud vulgaris qvoqve eſt qvam habet *Excell. Neſtor IIdus de Pica Picis M. N. C. Dec. II. A. II. obſ. XLVII. p.* 77. qvotidiana depromit experientia. Ipſe *Victor Trincavellius* de ſua confitetur Matre, qvod tempore Graviditatis crudos Gammaros fluviatiles devorare conſveverit, juxta *Joh. Schenckium L. IV. obſ. Med. CXXXV.* mirumqve dictu, qvod prægnans fœmina 1400. Haleces conſumſerit, apud *Nicol. Tulpium L. II. Obſ. Med. XXIV.* ubi plura de Halecum natura eiuſqve illarum ſalubri addit. De Muliere XLV. annorum & XXIV. liberorum Matre Pica hereditaria laborante vid. *Roſin. Lentil. Ep. ad Dn. D. M. Ph. St.* qvæ præfixa eſt *Miſcellaneis Medico Practicis*. Pica ab Infantia laborantis puellæ anatomen inſtituit Dn. *D. Sylv. Sam. Anhorn, M. N. C. Dec. II. A. I. Obſ. XXXIX. p.* 110. conf. *Fonſeca L. II. Conſil. XXIX. Roſin. Lentil. M. N. C. Dec. II. A. II. obſ. CL. p.* 317. Plura Malaciæ & Picæ exempla habent *Bartholom. de Moor. cogitat. de Inſtaurat. Medicin. L. III. p.* 396. *Langius in Valetudinario Gravidarum c. II. §. V. ſqq Dn. D. Joh. Jac. Cnopff. in Diſſert. inaugural. de Pica cap. IV. p.* 11. *ſqq. Dn. D. Tob. Dehne Diſſ. inaugural. de Appetitu ventriculi depravato in Pica & Malacia. cap. V. D. Sam. Ledel. Diſſ. inaugural. de Pica Artic. III. D. Frider. Schrader. Diſſ. de Idioſyncraſiis §.* 8. *Donatus ab Altomari de med. Human. corp. mal. cap. LXII. Joh. le Bon. Therap. Puerperar. c. 1. part. VI. p.* 391. *Roderic. à Caſtro de Morb. Mulier. L. III. Sect. II. c. IX. Jul. Cæſar. Claudin. Empyric. rational. L. IV. Tract. II. P. II. c.* 3. *Ludov. Bonnaciol. Ennead. Muliebr. c. V. Martin. Kerger. Tr. de Fermentat. Sect. III. c. III. Levin. Lemnius de occult. nat. miracul. L. I. c. V. Ludov. Mercatus Tom.* 3. *de Steril. & Prægnant. Affect. L. III. c. X. Joh. Langius L. II. Ep. Med.* 12. *Zacut. Luſitan. Tom. II. Prax. Hiſt. L. III. c. XVI. Dominic. Panarol. Jatrol. ſ. obſ. med. Pentec. II. obſ.* 50. *Joh. Dan. Mylius Baſil. Chimic. L.* 2. *c.* 8. *Gothofred. VVelſch.* in Hebammen Buch *P. I. c.* 22. *Joh. Varandæus Tr. de Affect. Ventric. c. IV. Joh. VValdæus Medic. Pract. L. II. c. XVI. Chriſtoph. à Vega de Arte Med. L. III. Sect. VII. c. IV. Dan. Sennert. L. III. Pract. P. I. Sect. II. c.* 5. *Hercul. Saxonia Pract. Medicin. L. III. c. VII. Nicol. Piſo de cognoſcend. & curand. morb. L. III. c.* 4. *Lazar. Riverius Prax. Med. L. IX. c.* 3. *Bernhard. Svvalve qverel-*

*vel. ventric. p.* 291. *Nicol. Rochæus de Morb. Mulier. curand. c. XXIV. Felix Platerus Tract. de Functionib. læſ. L. II. c.* 13. *Nicol. Tulpius L. IV. obſ. Med. XXIII. Caſp. Theoph. Bierling. Theſaur. Theoretico-Practic. p. m.* 606. *M. N. C. Dec. I. A. II. obſ. CCIX. p.* 311. *ſqq. Phil. Salmuth. Cent. I. Obſ. Med. XLI. Cent. II. obſ. LXIII. Dav. Græbner. Medicin. vet. reſtit. p.* 580. *Joh. Dolæus Eyncyclop. Med. Dogmatic. L. V. c. VI. p.* 283. *ſq. Joh. Helvvig. Obſerv. Phyſico-Medic. CXXXVII. p.* 374. *D. Joh. Mich. Fehr. M. N. C. Dec. I. A. I. obſ. LXXXIII. p.* 184. *D. Phil. Jac. Sachs in Schol. ad l. c. D. Georg. Seger. D. I. A. IV. & V. Obſ. CXLIII. p.* 140 *Roſin. Lentil. in Paraliſm. ad h. l. D. III. A. III. App. p.* 106. *D. Joh. de Muralto Dec. II. A. VII. obſ. CCXXIII. p.* 420. *D. Chriſtian. Franciſc. Paullin. in App. ad Dec. II. A. V. obſ. XX. p.* 16. conf. *l. c. obſerv. V. p.* 8. *Dn. D. Michael. Bernhard Valentin. D. II. A. III. obſ. LXXXVI. p.* 187. *D. Salom. Reiſel. D. I. A. II. obſ. CCXVI. p.* 316. *Excell. Dn. D. Georg. Franc. de Frankenau D. II. A. IX. Obſ. CCI. p.* 361. *Dn. D. Joh. Jac. VVepfer. D. II. A. IX. obſ. LXVIII. p.* 171. *D. Joſeph. Lanzoni D. III. A. III. obſ. XXVIII. p.* 31. *ſqq. D. Petr. Rommel. D. III. A. IV. obſ. XV. p.* 35. conf. *Obſ. XVII. p.* 37. *Vit. Ridlin. D. III. A. V. & VI. p.* 258. *&c.* Qvænam exinde Fœtui, Gravidis qvando contingit, immineant Fata, exemplis aliqvot demonſtravimus in Diſſertatione noſtra de *Idea errante in Monſtrorum generatione* §. 28. qvid itidem periculi ipſis miſerculis tali appetitu inordinato raptis metuendum, funeſto ſatis exemplo teſtatur mulier tam inſatiabili deſiderio comedendi carnem bovis rabie infecti, ardens. Cum enim Idea iſta furibunda, ſpiritibus ex rabioſo cadavere nondum diſſipatis, vix extingvibilem impreſſerit characterem, non potuit non peregrinum inducere fermentum ſibi analogum in maſſam mulierculæ ſangvineam, in eaqve hoſpitanti Archeo eandem communicare ideam; id qvod infinita Hydrophoborum, qvibus vel per ſalivam animalis rabidi character furoris imprimitur, exempla evincunt. Talem qvoqve idealem transmigrationem confirmat Puella iſta Uratislavienſis, cujus ex *VVeinrichio* mentionem facit *Beckherus in Microc. Medic. L. I. c. XIV. p. m.* 129. Huic pro exſtirpanda Epilepſia ex conſilio cujusdam Felum ſangvinem propinaverant, unde factum, qvod fe-

ſtelum naturam ac mores voce, ſaltu ac geſtu imitaretur, mures venaretur, anguſtisſimisqve foraminibus muriu n adſtaret. Ratio hinc itidem reddi poſſet probabilis, qvare *Fauſtina M. Antonii* Philoſophi uxor Filium enixa ſit in omnem ferociam ac crudelitatem proclivem. Cum enim Gladiatoris cujusdam admodum crudelis, qvem deperibat, ſanguine calido hauſto ſtatim cum Marito rem haberet, *Commodum* peperit, crudelis ac Gladiatorii animi hominem, qvi cruentis pugnis Romanam fere attrivit Rempubl. Plura huc facientia habent *Langius L. I. Ep. p.* 385. *Dav. Beckher. l. c. Dav.* von der Beck *Experiment. & Meditat. circa naturalium rerum principia L.* 3. *p. m.* 258. *ſqq. Th. Bartholin. Cent. II. Hiſt. Anat. LXXXIX. p.* 332. *D. Joh. Schmid. M. N. C. Dec. I. A. IX. & X. Obſ. XLIII. p.* 116. *ſq.* & qvotqvot præter Excell. Dnn. DD. *VVedelium, Gerdeſium, Limmerium, Losſium, Albinum, Tappium, Lentilium* &c. materiam hanc ſpecialius in Cathedra Academica expoſuerunt. De comeſtione noxia carnis animalium ægrotantium vid. *Roſin. Lentilius Miſcell. Medic. Practic. P.* 2. *p.* 509. *ſqq. Joh. Mich. Fehr. M. N. C. Dec. I. A. VI. & VII. obſ. CXCI. p.* 266. *Joh. Chriſtian. Frommann. l. c. obſ. CLXXXIX. p.* 252. *ſqq.*

Cauſam depravati hujus appetitus phantaſticam eſſe Kilonienſium Æſculapius non ſine ſale credit, eruditisſimis argumentis ſententiam ſuam roborando *M. N. C. Dec. II. A. II. Obſ. XLVII. p.* 77. qvamvis enim peregrinum fermentum nervos ventriculi afficiendo huic malo anſam dare posſit, adeo ut vel ex ſcabie retropulſa originem duxerit *Pica*, notante *Fehr. Tr. de Abſynth. p.* 98. conf. *M. N. C. Dec. I. A. I. Obſ. LXXXIII.* item ex ulcere faucium, juxta *Hildan. Cent. I. Obſ. XXXVII.* qvinimo & cum ſcorbuto interdum *Pica* & *Malacia* complicari ſoleant, docente *Horſtio L. VII. Obſ. XXXV.* occaſionaliter tamen his in caſibus fermentum ſtomachi utplurimum venit accuſandum & inſtrumentaliter, negotium dirigente Archeo, Idearum Fabro. Si enim ad fercula appoſita, vel menti ſaltem objecta, ſpiritus animales ſecretionem lymphæ accelerant, & ad ductus ſalivales propellunt, adeoqve das Mund-Wäſſern cauſantur, vel in robuſtis qvoqve juvenibus, qvid mirum, qvod appetitus

monſtra generentur in ſeqviori ſexu, præſertim utero qvando gerit? Harum qvippe imaginationem impresſione cœli eſſe potentiorem, evincere conatur *Marc. Marci à Kronland Philoſ. vet. reſtit. Part. 2. Sect. IV. p. m.* 130. cauſam addere videtur Excell. *Dn. D. Dolæus Encyclop. Med. Dogmat. L. V. c. VI.* §. 22. *p.* 287. qvia à ſpiritu „ſeminis virilis multum alterantur ſanguinis fermentationes, atqve „fermentum acidum peregrinum ventriculo committitur, atqve „ſic fit, ut illæ fermentationes multum immutent ipſas cogitationes, „dum putant mulierculæ, ſibi illo tempore, qvo gravidæ ſunt, ni„hil non licere. Spirituum qvoqve, ad formationem fœtus non exigua alias copia concurrentium, inopiam, hic qvoqve ſymbolam ſuam conferre, erudite ſentit Excell. Dn. *Neſtor IIdus*: Si qvo enim ullibi omnes ſuas conferunt vires, certe in negotio formationis id agunt, unde defectu laborantes extinctioni Idearum pere„grinarum eos eſſe impares certum eſt. Notandum vero huic „malo illas potisſimum expoſitas eſſe mulieres, qvæ cæteroqvin „impotentis ſunt animi, qvæqve delicatiores & otio deditæ im„prægnatæ perſvaſum habent, ſe totius rei œconomicæ, & ipſius „etiam patrisfamilias caput eſſe, ita ut omnia ab ipſarum depen„deant nutu atqve imperio, qvarum inſuper memoriæ ſemper ob„verſatur illud tyrannicum: *qvod libet, licet*. Cum itaqve ſuas „locent horas in eo, ut ad unius cujuslibet fermentum cum aliis „componentis, impulſus & vellicationes attendant, earundem„qve motus diſtincte percipiant, hinc & à primo etiam earun„dem impetu, ob animi imbecillitatem, in abſurda ſæpius abripi„untur: ut ſcite loqvitur B. *Dn. D. Joh. Jac. VValdſchmid. Diſſert. de Ventriculi ac inteſtinorum Morbis Artic. IV.* §. 2. conf. *Theodor. Craan. Tr. Phyſico-Medic. de Homine cap. CXXII. p.* 651. Qvis vero inde non animi qvandam imbecillitatem, errorem vel delirium arguit, ſvavitatem aliqvam in rebus inſvavisſimis ſibi imaginantis? cum Excell. Dn. D. *Luc. Schröckin Schol. ad Joh. Hellvvig. obſerv. CXXXVII. p.* 375. Non absqve ratione igitur *B. Dn. D. Michael. Ettmullerus in Colleg.* „*Pract. f. m.* 50. Picam & Malaciam Melancholiæ Hypochondria„cæ ſpecies eſſe credit, qvin ejusmodi homines alia utplurimum „Me-

„Melancholiæ ſigna præ ſe ferunt, in qva ad certum qvoddam „phantaſma, occaſione fermenti ſtomachalis p. n. alterati, di„rigitur imaginatio; unde & tam delirus appetitus & deſiderium „ad certum qvoddam edulium, vel hujus loco aliud qvid inuſita„tum aſſumendi, ſupervenit. Uti enim Melancholici tales ferun„tur in certum objectum, ſi putant ſe eſſe v. g. Cucurbitam, ita „Picantes habent phantaſma depravatum, qvod velint habere a„tramentum, corium cum lana &c. hinc & cura eadem, phan„taſiam nempe ſaltem demulcendo, ac in Melancholicis nonnun„qvam fieri ſolet, in hoc malo facile inſtituitur. Modum corrigendi ejusmodi fermentum depravatum, ſuppeditant juxta artis regulas paſsim Practici, pro varietate circumſtantiarum conſulendi. Id malum Belgicæ nationis Matronas magna ex parte corripere, vult *Levin. Lemnius de occultis Nat. Miracul. L. I. c. V. p. m.* 33. cur Fœminæ freqventius Pica laborent? vid. *Sam. Ledel. Disp. inaugural. Artic.* 3. Non ſolum vero Mulieribus id accidit, ſed & Viris. Mariti enim pro uxore gravida Pica laborantis meminit D. *Salom. Reiſelius M.* N. C. *Dec. I. A. II. Obſ. CCXVI.* conf. *Marcell. Donatus in Hiſt. Med. L. V. c.* 1. *Schenkius L. III. Obſerv. I. Th. Bartholin. Cent. 5. Hiſt. Anat. LXXIX.* Pueri qvoqve Picantes ſubinde obſervantur, inprimis ex Matre Chloroſi laborante, qvod teſtatur *Riverius in Praxi*, nec non *Petrus Joh. Faber* de proprio filio 3. annorum. conf. *Foreſtus L. XVIII. Obſ. VII. Fonſeca L. VII. obſ. XCI. in Schol. Dn. D. Sim. Schulz. M. N. C. Dec. I. A. VI. & VII. obſ. CXXXIX. p.* 199. Qvod & Bruta animantia laborent Pica, de Felibus confirmat *Lazarus Riverius Cent. IV. obſ. XLIII.* conf. *Græbner. Medicin. vet. reſtit. p.* 580. De Pica Canum, Porcorumve vid. *Act. Anglic. Vol. I. p.* 742. Picam morbum ideo ab ave denominatam eſſe, qvod hæc ſimili Affectu laborare deprehenſa fuerit, credidit jam olim *Paul. Ægineta L.* 1. *c.* 1. qvamvis ei ſe opponat *Dan. Sennert. L. III. Prax. P.* 1. *S.* 2. *c.* 5. *conf. Chriſtian. Franc. Paullin. obſerv. Medico-Phyſic. ſelect.* V. *in App. M. N. C. Dec. II. A. V. p.* 8. Pica & Malacia qvomodo à ſe invicem differant, vel ex compendiis Inſtitutionum Medicarum notum eſt.

## D. *Jo. Jac. Stolterfohti Obſervatio de Piro immaturo Anorexiæ & Vomitus medela.*

QVod nulla Diæta interdum qvoqve ſit Diæta qvotidiana docet Praxis, ut verum eſſe fatearis tritum illud: *qvod ſapit, conducit & nutrit.* Cum luſtrarem *Excellentiſſ. Dni. D. Joh. Lud. Hannemanni Obſervationes rariores, Picam & Malaciam concernentes*, qvid ipſe viderim initio æſtatis præteritæ in mentem recurrebat. Puer undecim annorum Cachecticus laborabat *Anorexia* cum crebriori vomitu, adeo ut nec ipſa Medicamenta, qvæ aliàs non ſolebat averſari, retinere poſſet; ex odoratu enim ciborum vel nitidisſimorum, qvos inter delicias antea numeraverat, oriebatur vomitus, ita ut jam qvarto die inediam pateretur. Svaſi, ut qvicqvid poſceret, qvamvis etiam valdè noxium ipſi videretur, porrigerent. Et ecce videt alium puerum comedentem pira immatura, qvæ ipſi ſalivam movebant, & ut unum ex his ſibi comedendum traderent, petit. Parentes conſilii noſtri memores petito lubentes aſſurgunt, comedit pirum puer optimo cum appetitu, & retinet ſumma cum *εὐφορίᾳ*. Ceſſarunt inde vomitus, rediitqve pedetentim appetitus antea plane proſtratus. Fruſtra inde præſcribi ſæpiùs regulas Diæteticas docemur; qvis crediſiſſet non accumulari potuiſſe exinde cruditates in ſtomacho pueri, qvod medicamen ipſi fuit? *En* veritatem dicti, *medicè vivere eſt peſſimè vivere.* At abſurda inde conſeqventia reſultaret, pirum hoc individuum ab Anorexiâ liberavit, ergo eſt optimum ſtomachicum. Duo cum faciunt idem, non eſt idem. Fermentum ſtomachale habet in ſe illud animalitatis, ut feratur in ſimilia, & determinet ſæpius aſſumenda, ut qvod ſapit non noceat; at cave ne pecces in doſi; qvemadmodum enim optima alimenta inordinatius ac copioſius ingeſta incommodorum myriades conciliant ventriculo, multò magis id metuendum ex noxiis ac cruditatibus plenis, ut ipſe habeas qvod fatearis; Ich eſſe was mir ſchmecket/und leyde was dafür gehöret. qvadrant huc, qvæ pro more ſuo erudite diſſerit *Excellentiſſ. Dn. D. G. VV. VVedel. in propemtic. inaugural. de uſu cucumerum innoxio p. 4. ſeq.* Qvod abſurda non noceant Pica laborantibus, ex ſuprà dictis patet, ut vel araneas aut bufones optimè digerant. Stupendum

dum ſanè eſt exemplum, qvod habet *Felix Platerus L. 1. Obſervation. p. m.* 223. Ad maturationem bubonis peſtiferi cum cepam ſub cineribus aſſam, Theriaca infarctam, illi imponeret Chirurgus, indiesqve novam apponeret, priore abjecta, puellula unam caſu inveniens, qvam Chirurgus à bubone modò amoverat, clam eam devoravit, nec qvicqvam mali indè paſſa eſt. Mirari ſane hic licet, *qvi homines cum tanti victus erroribus vivere poſſint incolumes?* Reſpondet *Henric. Bezo Diſſ. Med. inaugural. de Pica, videtur ſane Appetitus vincere ac omnem naturalem potentiam tranſcendere. Vnde facultas rationalis res illas vehementer deſideratas, etſi deterrimæ ſint, diligentius coqvit, earundemqve vitia corrigit. Notum eſt aliàs, omnes cibos, qvi cum appetitu aſſumuntur, facilius digeri, & in laudabilius fermentum transmutari. Cum itaqve inexplebilis ibi ſit appetitus, etiam, qvod poſſibile eſt, bona ſit coctio, bona inutilium ſecretio, bona pravitatum correctio. Si verò qvædam relinqvantur noxæ, natura, qvæ ex re petita inſignem percipit voluptatem, atqve hoc pacto ſubinde recreatur roboraturqve, eas qvaſi ſopit, ac paulatim emendat, &c.* conf. *Caſp. Theoph. Bierling. Theſaur. Theoretico-Practic. p. m.* 605. *Theodor. Craan Tr. Phyſico-Medic. de Homine cap. CXXII. p.* 652. *Dav. Græbner. Medicin. Vet. reſtit. p.* 581. An in Appetitu depravato ſimilia an disſimilia appetantur, ſcienter decidit *B. Dn. D. Joh. Jac. VValdſchmid Diſſert. XX. Artic. de Ventriculi & inteſtinorum morbis. Joh. VVierus in Obſervat. Medic. de Qvartana p.* 46. cujusdam meminit, qvi viginti uno halecibus ſemitoſtis ſimul ante qvartanæ accesſionem in univerſali declinatione voratis, intercedente gravisſimi paroxismi inſultu liberatus fuit. Soror *D. Joh. Hellvvigii* ex eſu halecum tempore æſtivo febrem ſibi cauſavit tertianam, ſed cum per dies aliqvot febricitans aliqvando fratrem vidiſſet halecem eſitantem, appetitu inſigni infeſtabatur, cui ſe adverſantem ſimulans clandeſtine famulis concesſit, particulas qvasdam halecis eſui ei porrigere. Qvo facto febris omnino deceſſit, & ſanitatem ægra priſtinam recepit, *Obſerv. Phyſico-Medic. CLV. p. m.* 410. Qvadrat huc illud *Divi Senis Aphor.* 2. XXXVIII. Τὸ σμικρῷ χεῖρον καὶ πόμα καὶ σιτίον, ἥδιον δὲ, τῶν βελτιόνων μὲν,

*ἀηδεςέρων δὲ, μᾶλλον αἱρετέον. Paulo deterior & potus & cibus, verùm jucundior, melioribus qvidem, ſed injucundioribus præferendus eſt.* Qvænam ſit imaginationis virtus in curandis morbis eruditè docet *Excell. Dn. D. Luc. Schröckin Schol. ad Hellvvig. Obſ. Phyſico-Med. LXXXVI. p.* 264. In hiſce caſibus ſæpè qvoqve experieris veritatem dicti Celſiani, *ſæpè qvos ratio non reſtituit, adjuvat temeritas,* ſed qvo ſæpius ſucceſſu idem tentare conentur alii qvod non eſt idem, tot loqvuntur ſiniſtri eventus exempla, qvæ numerare ſuperſedemus. Patet ex dictis, qvod nulla Diæta interdum qvoqve ſit optima Diæta, ſed cum ſalis grano accipienda, valet hic qvoqve *Valleſii* judicium non contemnendum, qvando *Meth. medendi L.* 4. *c.* 2. ita loqvitur: *multa ſunt in arte medicâ, in qvibus urgentiæ cauſâ ab arte recedere ars eſt. Nam cum ſint in ea multa præcepta legitima & regularia, perpetua tamen nulla ſunt, & qvi ulla habet properpetuis & inviolabilibus, methodicus dici poteſt, rationalis autem minimè. Nam rationalis non curat ex libello aut commentario, ſed ut in re qvavis exercitata ratio dictat, & nullis ſe legibus, tanqvam pragmaticus, obligat.* Notandum prætereà, qvod & Idioſyncraſia valdè modificet Praxin. *vid. B. Dn. D. Mich. Ettmüll. Opp. T. II. ſ. m. 259. & Frider. Schrader. D. de Idioſyncraſiis Hinc B. Dn. D. Paul. Ammannus in Parœneſi ad Diſcentes Libro 4to. Part. I. de Methodo tuendæ ſanitatis* nihil addit, qvam illud Juvenalis:

Ne cupias Mullum, cum ſit tibi Gobio tantùm
In loculis - - -

Metire, *pergit*, tuam crumenam, conſule tuam naturam & conſuetudinem, vita fruges horarias, & in omnibus, qvæ adſumis, nullum committe exceſſum, ſic neqve caſeus ſuâ neqvitiâ, nec vinum, nec halec nocebit, multò minus formidabis Melancholiam à carne leporinâ, aut Podagram à Caponibus. Ego ſpondebo.

## HAMBVRGI

Gymnaſii Hamburgenſis Profeſſores typis Neumannianis imprimi curarunt *Catalogum Prælectionum & Exercitiorum*, qvæ

qvæ in Gymnaſio hoc indè à Verno Initio An. Chr. 1700. usqve ad Veris Initium 1701. publicè & privatim ſunt habita, qvæqve deinceps annuo ſpatio, usqve ad idem Initium proximè ſeqventis anni 1702. habebuntur. (1½. plag. in 4.) Dictus modò Catalogus faciem Gymnaſii modernam exhibet, ſeriemqve Docentium ſiſtit, qvi ſunt:

*Sebaſtianus Edzardus*, Logicæ & Metaphyſicæ Prof. Publ. & h. a. Rector.

*Eberhardus Anckelmann*, Lingv. Hebr. P. P.

*Georgius Eliezer Edzardus*, Græc. Lingv. & Hiſtor. Prof. Publ.

*M. Balthaſar Mentzerus*, Prof. Math. Publ.

*Johannes Müllerus*, Phil. & Med. D. Phyſ. & Poëtic. Prof. Publ.

*Joh. Albertus Fabricius*, S. S. Theol. D. & Philoſophiæ Moralis atqve Eloqventiæ Prof. Publ.

Cum Examen publicum & ſolenne *Johanneï Hamburgenſis*, diebus 19. & 20. Menſis Aprilis, conſuetis ante & poſt meridiem horis, habendum eſſet, *Catalogus Lectionum & Exercitiorum*, qvæ in iſto literarum domicilio per proximè elapſam hyemem habitæ ſunt, prodiit; Ubi omnes & ſinguli hujus ſcholæ Præceptores laborum ſuorum ſcholaſticorum rationem reddiderunt. (2. plag. in 4.) Ejusmodi Catalogi, jam antehac editi, mentionem fecimus in N. L. anni 1700. p. 184. Poſtridie dicti Examinis, die nimirum 21. Aprilis, cum *Johannes Winckler*, Rev. Miniſt. Senior, ad S. Michaelis Paſtor, & Scholæ, qvæ ad D. Johannis eſt, Ephorus, Orationem *ſecundam, de Senioratu Hamburgenſi* habuiſſet, *Johannes* Schultz, Rector, *de Cebetis Philoſophia Morali egit, &, qvotâ ex parte illa ſit Scripturæ Sacræ conſentanea, oſtendit.* Hac oratione finitâ, Brabëisqve per Ampliſſ. Reip. Hamb. Secretarium diſtributis, *Laurentius Dietericus Richertz*, ſuperiori anno 1700. p. 185. nobis laudatus, Latino Carmine hexametro *Laudes Veris* decantavit; in ejusqve locum & exemplum ſuccedens *Petrus Oſſe, Æſtati primas partes* Latina Oratione vendicavit, Germanicoqve Carmine gratiarum actionem ſubjunxit.

## LUBECAE

Die 23. Apr. vitam cum morte commutavit, & die 29. ejusdem Menſis ſepultus eſt *Joachimus Fridericus* Carſtens / I.V.L. Senator & Camerarius Junior Lubecenſis. Natus eſt is Lubecæ an. 1632. d. 20. Martii, Patre *Joachimo* Carſtens / J.V.D. & Sereniſſ. Ducis Lauenburgo-Saxonis primùm Pro-Cancellario: Reip. Lubecenſis poſtmodum Syndico. Qvum *Chriſtiani Voſſii, Johannis Conradi*, & *M. Pfützneri* operâ artium linguarumqve ſcientiâ inſtructus eſſet, Academias adiit, & *Helmſtadii* per integrum annum; *Argentorati* verò per biennium juris ſtudium excoluit, qvod ipſum & in Almâ *Baſileenſi* non continuavit ſolùm, ſed & feliciſſimè abſolvit. Hinc, *Generâ* visâ, *Galliam* petiit, ac ampliſſimas Regni illius urbes curioſis luſtravit oculis, præcipuè autem in Academiâ *Aurelianenſi* & in *Monte Peſſulano* per aliqvot tempus ſubſtitit. Peragratâ deindè *Italiâ, Româ, Genua, Patavio*, aliisqve locis viſis, per ſuperiorem *Germaniam* in *Belgium* ſe contulit. Indè an. 1654. in patriam rediit. Poſtqvam ductu paterno, & D. *Joh. Sibrandi*, apud *Roſtochienſes* qvondam P. P. uti & D. *Chriſtiani Cochii*, Dicaſterii Regii in Academia *Gryphiswaldenſi* olim Aſſeſſoris (apud qvos per vices commorabatur) ea cognoverat, qvæ perorandis forenſibus cauſis inſervire poſſunt, an. 1657. *Roſtochii*, habitâ priùs Diſputatione Inaugurali, *de Decretis in Contractibus Minorum*, utriusqve Juris Licentiatus renunciabatur. Poſtea an. 1662. Eqveſtris ordinis illuſtris provinciæ inferioris Saxoniæ cauſarum patronus conſtitutus eſt. An. 1669. verò in urbe patriâ Secretarii, & an. 1687. Senatoris dignitatem obtinuit, cui dignitati ſeptuageſimo ætatis ſuæ anno immortuus eſt, & tres filios reliqvit, qvos inter maximè conſpicui, *Joachimus Lüder* Carſtens / Reip. Lubecenſis Protonotarius, & *Thomas Fridericus*, Illuſtrium Comitum de Bielken adhucdum in Galliâ moderator.

# NOVA LITERARIA
## MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS,
*Edita Menſe Junio M DCCI.*

### WISMARIAE

Die 8. Aprilis in vivis eſſe deſiit *Chriſtianus Adamus* Schleüſing/ Summi R. M. Svec. qvod Wiſmariæ eſt, Tribunalis Aſſeſſor, pridie Apoplexiâ correptus. Natus eſt ille Dobrilucæ Luſatorum an. 1648. Menſe Septembri, Patre *Adamo* Schleuſing/ Toparchiæ Dobrilucenſis Præfecto. Hôc præmaturâ morte extincto, curam illius ſuſcepit maximam, ac verè paternam *Georgius* am Ende/ Eccleſiæ Torgavienſis in Miſniâ Diaconus. Poſitis in Lycéo Torgavienſi, in Scholâ Electorali, qvæ Grimmæ eſt, ac in Gymnaſio Coburgenſi literarum fundamentis, qvæ & poſteriori loco Diſputatione qvadam, Præſide D. *Henrico Baumanno*, de *Politicâ in genere, & de Societatibus ſimplicibus & compoſitis*, ſub abitum habitâ, probavit, Wittebergenſem petiit Academiam, ibiqve per longum ſatis tempus ſubſtitit. Et ne malè tempus collocaſſe videretur, publicâ interdum in Cathedrâ diſputavit. Sic an. 1673. ſub Præſidio D. *VVilhelmi Leiſeri*, ex Jure Feudali de *Expectativâ in caſum mortis conceſſâ*, Diſputationem propoſuit, & deindè Præſide D. *VVernero Theodoro Martini*, Jus, *qvod ratione Feudi Domino & Vaſallo competit*, aſſeruit, habitâ poſtmodùm an. 1676. Diſputatione Inaugurali ſub Præſidio *D. Leiſeri* de *Excuſatione Tutorum propriâ & impropriâ*, paulò poſt J. V. Licentiatus creabatur. Cum an. 1677. *D. Georgii Maremannii*, primarii apud Hexapolitanos Syndici & ſcripto non uno in orbe erudito celebris, filiam matrimonio ſibi junxiſſet, eodem anno inter ordinarios Dicaſterii ſuperioris, qvod Budiſſæ eſt Advocatos nomen dedit. An. 1680. in Ducatum Bremenſem concedens, cauſis forenſibus apud Stadenſes

patrocinio ſuo præeſſe cœpit. An. 1683. Syndicus Buxtehudenſis, & an. 1684. Judicii Provincialis & Aulici, qvod Stadæ eſt, Aſſeſſor conſtitutus eſt. Tandem an. 1691. Menſe Januario inter Summi R. M. Svec. in Germania Tribunalis Wiſmarienſis Aſſeſſores cooptatus eſt; Cui muneri usqve ad diem emortualem præfuit.

Die 30. Maji ſub moderamine *M. Johannis Kindleri*, Rectoris, *Facies Eccleſiæ Moſcoviticæ*, in Auditorio novo, *tribus Orationibus* exhibita eſt, qvarum *primam*, *de Vigilantia Moſcovitarum circa ſacra*, *Michaël Conradus Ludvvig*, *VVismarienſis* (qvi ſimul Scholæ valedixit) *ſecundam*, *de Erroribus Moſcovitarum circa doctrinam ſacram*, *Johannes Caſpar Claſen*, *VVismarienſ.* & *tertiam*, *de Ritibus & Ceremoniis Moſcovitarum ſacris*, *Joachimus* Neüendorff/ *Lychenſis Marchicus*, habuit.

ROSTOCHII

Die 17. Apr. diem obiit ſuum *D. Joh. Sibrandus*, Decretalium Prof. Publ. Ducalis & Facultatis Juridicæ totiusqve Academiæ huc usqve Senior, & ſeq. d. 26. Apr. præviis programmatibus, qvæ Rector Acad. *D. Joh. Nicol. Qviſtorpius*, S. Th. P. P. ad D. Nicol. Paſtor, & Rev. Miniſterii Director, uti & *Joh. Joachimus* Schöpffer/ J. V. D. Prof. P. Comes Palat. Cæſar. Conſiſt. Ducal. Conſil. nec non FCtis Juridicæ hodiè Pro-Decanus, propoſuerunt, terræ mandatus eſt, qvi an. 1637. die 13. Martii *Roſtochii* natus, Patre *Henrico Sibrando*, J. V. D. Statuumqve Provincialium Meckleпb. Syndico, Avoq; *Johanne Sibrando*, J. V. D. & Codicis in Almâ Roſtochienſi Prof. Publ. Optimarum ſcientiarum fundamentis imbutus anno 1657. *Gryphicas* ſalutavit Muſas, ac duce inprimis D. *Pomereſchio* in Jure addiſcendo initium fecit. In patriam reverſus, inceptum ſtudiorum curſum, præeunte *Henrico Rudolpho Redeckero*, continuavit. Anno 1658. *Lipſiam* inviſit, & inde in *Argentoratenſem* migravit Academiam, ubi inprimis famigeratisſimum D. *Johannem Rebhanium*, & celeberrimum *Bœclerum* Doctores habuit, ſub hujus præſidio etiam anno 1660. Diſputationem *de Qviete*

in

*in turbis* publicè defendit. Bienniô hîc transactô Helvetiam, Galliam, & Belgium perluſtravit. Ex peregrinatione hac in patriam an. 1661. redux factus, illuſtris Dominus *Gyllenſtierna*, Regni Sveciæ Senator, curæ ac gubernationi illius agnatum ſuum generoſum tradidit, cum qvo, poſtqvam in Academiis, *Francofurtenſi* & *Regiomontanâ*, per aliqvot temporis ſpatium ſubſtitiſſet, in Sveciam an. 1664. ſe contulit. Hinc viſâ Vpſaliâ ad ſuos reverſus eſt, & præviâ Diſputatione Inaugurali *de Electione Epiſcopi* ad l. 31. C. de Epiſc. & Cler. an. 1669. utriusqve Juris Doctor in Acad. patria creabatur, ubi & eodem anno profesſionem moralium Senatoriam obtinuit. Poſtea defunctô D. *Chriſtiano VVoldenbergio*, Decretalium Profesſionem Ducalem tunc Guſtrovienſem an. 1674. adiit, & D. *Radovio* ad Lubecenſes abeunte, Senioratus dignitatem in Facultate Juridica an. 1686. conſecutus eſt; ſed his omnibus honorum titulis mors illum nuper ſexageſimo qvinto ætatis anno exuit, tribus filiabus & duobus filiis relictis. Ex his natu maximus, ſc. *Joachimus Henricus*, J. V. Ddus, moralium Profeſſor Senatorius vocatus eſt.

Die 28. Aprilis, hactenus Academiæ Rector *D. Joh. Nicolaus Qviſtorpius*, S. Th. P. P. & Paſtor Nicolaitanus, nec non R. Miniſterii Director, paulò antè memoratus, præviâ legum Academ. recitatione & Oratione *de Academiarum Contemtoribus & turbatoribus*, Sceptra Academiæ depoſuit, & ſucceſſori *D. Joh. Joach.* Schöpffer / Codicis Prof. Publ. Ducali, cujus jamjam mentionem fecimus, tradidit, qvi ſimul orationem habuit *de Jure Rectoris Acad. electi, ſed nondum introducti.*

Die 10. Maji Serenisſimi Principis ac Domini ADOLPHI FRIDERICI II. Ducis Mecklenb. *Strelizii* hactenus reſidentis, (cui his ipſis diebus Dynaſtia *Stargardienſis* & Principatus *Razeburgenſis* cum annexis ex avitâ hereditate, compoſitâ ſuccesſionis lite, ceſſit) Conjugi deſideratisſimæ, Serenisſimæ Principi *Mariæ*, nativitate & nuptiis Megapolitanæ die 6. Jan. h. a. extinctæ, & 20. April. intumulum Principalem, qvi *Guſtrovii* in Templo Cathedrali eſt, illa-

tæ, parentavit *M. Franciſcus Albertus Æpinus*, Theol. Candidatus, ſuprà menſe Apr. p. 98. laudatus, prævio programmate ab *Henr. Chriſt.* Zielcken/ D. P. P. *de benè vivendi & piè moriendi ſtudio*, conſcripto. (1. plag. in fol.)

Die 11. Maji Præſide *Joh. Petro* Grünenberg/ SS. Theol. D. ac P. P. Conſil. Duc. Conſiſt. & per Diſtr. Mecklenb. Superintendente, *Joach. Prüſſing*, Warenâ-Mecklenb. SS. Theol. Stud. S. *Matthæi Fidem Genealogicam in Mediâ Teſſeradecade*, ad Matth. I, 6-11. placidæ Diſqviſitioni ſubjecit (4. plag. in 4.) Ex verſibus 8. & 11. dicti capitis ſeqventia tractat problemata. I. *An omiſſa ſint qvædam genealogiæ membra à Matthæo genealogiam Joſephi exponente, nec ne?* II. *Qvomodo Joram Oziæ pater?* ſive *An Joramus Oziæ pater Matthæo dicatur per generationem mediatam, nec ne?* III. *An Jojakim ſit omiſſus à Matthæo nec ne?* IV. *Qvare* v. 11. *fiat mentio* τῶν Ἀδελφῶν Ἰεχονίȣ; ſive, *An Fratrum Jechoniæ falsò ac temerè* v. 11. *fiat mentio, nec ne?* V. *Qvare fiat mentio* τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος, ſive, *An Matthæus ſapienter hæc verba appoſuerit*, nec ne?

Die 12. Maji Academia Roſtochienſis, prævio programmate à Rectore *D. Joh. Joachimo* Schöpffer/ J. V. D. & Prof. Com. Palat. Cæſar. ac Conſiſtor. Ducal. Megap. Aſſeſſore conſcripto (qvod 2. plag. in fol. conſtat) Sereniſſimo Principi ac Domino FRIDERICO WILHELMO, Duci Megapolenſi Regenti, &c. &c. *de recuperata, ex Avitâ hereditate, Vandalia, & concreſcente, felicibus auſpiciis, Regimine Megapolitano*, Oratione ſolenni, interprete pauló antè dicto Eloqventiæ Profeſſore, nimirum *D. Henr. Chriſtiano* Zielcken/ inter applauſus muſicos ſolenniores in Auditorio maximo, præſentibus utriusqve Reip. Primoribus Civibusqve gratulari voluit.

Die 13. Maji ſub Præſidio *M. Adami Wildii*, Durlaco-Marchici, Exercitium Academicum *de Rationalium cognoſcendi Principiorum Natura, Uſu & Fatis, qvæ hodierno inprimis tempore ſubire*

*ſubire oportuit*, *Joh. Bartholomæus* Bluhme/*Tonderâ-Holſatus* in Aud. maj. defendit. (4. plag. in 4.)

Die 15. Maji paulò antè memoratus Academiæ Rector, *D. Joh. Joach.* Schöpffer/ programmate Pentecoſtali omnes Academiæ Cives *ad Ritus, qvibus ad Magnalia Dei celebranda inaugurati in primo Pentecoſtes N.T. feſto fuerunt* Apoſtoli, piè & religiosè conſiderandos invitavit. (1. plag. in 4.)

Die 28. Maji, qvi *Wilhelmo* in faſtis ſacer eſt, *M. Johann.* Ehrenfried *Pfeifferus*, ſuprà ſæpiuſculè memoratus, prælaudato Principi Sereniſſimo, Domino FRIDERICO WILHELMO, Duci Regenti Megapolitano, *de Sociatis Terris Megapolenſibus, & exin proveniente Regimine adaucto*, Carmine Germanico, in Auditorio maximo recitato, gratulatus eſt, prævio programmate *Eloqventiæ Profeſſoris* ſemel iterumqve jam dicti. (1. plag. in fol.) Carmen ipſum typis excuſum eſt, conſtatqve 4. plag. in fol.

Typis Wepplingianis exſcripta eſt *M. Johannis* Ehrenfried *Pfeifferi Diſſertatio Epiſtolica, Obſervationes ſuas* ad libellum noviter editum; Unterſuchung etl. Oerter des neuen Teſtaments/ denen übele Uberſetzung bißher die Warheit auffgehalten/ anno ſuperiori Menſe Novembri propoſitas, ab Epiſtola *Ludovici Burgatis* ad *Theophil. Strombergium*, qvæ ipſa in gratiam legentium præmiſſa eſt, adſerens & vindicans. Cum conſenſu ac Cenſura Venerandi Ordinis Theologici Roſtochienſis. Diſſertationi etiam huic præmittitur Epiſtola qvædam *D. Jo. Fechtii*, P. P. Conſiſt. Ducal. Aſſeſſoris & Diſtr. Roſtoch. Superint. ad *Henricum Jonath. Wehrenbergium*, S. S. Theol. Lic. & Eccleſiarum Luneburgenſium Superintendentem. (6. plag. in 4.)

## STRALESVNDAE

Typis evulgata eſt *Oratio* qvædam, qvam *Suchorzewsky*, à Poloniæ majoris Palatinatibus ablegatus, ad Polonorum Regem die 20. Martii an. 1701. habuit. (½. plag. in 4.)

Die 20. Maji vitam cum morte commutavit *M. Petrus Vehrius*

ad S. Jacobi Paſtor. Natus eſt ille Berolini an. 1644. die 30. Septembris Patre ejusdem nominis, Conſiliario Conſiſt. & Eccleſiarum Lutheranarum, qvæ ibi ſunt, Præpoſito. Studiorum fundamentis in Gymnaſio patrio probè jactis, Academiam Jenenſem adiit, ibidemqve an. 1667. dignitate Magiſteriali ornatus; ſeqventi autem anno in numerum Adjunctorum receptus eſt, Diſputatione *de Signo*, pro loco in Facultate Philoſophicâ obtinendo, præcedente. Non multo poſt Gymnaſio, primùm Berolinenſi, deinde Stralcſundenſi Con-Rector; *Laurentio Bünſovio* autem vivis erepto, huic poſteriori etiam Rector præficiebatur. Tandem an. 1693. ad Paſtoratum Jacobæum vocatus, ſimulqve Conſiſtorii Aſſeſſor conſtitutus eſt. Cum huic muneri per qvinqve annos, & qvod excurrit præfuiſſet, omni memoriâ & loqvendi facultate abhinc triennium unâ necte privatus, anno ætatis qvinqvageſimo ſeptimo vitam deſeruit.

*M. Lucas* Schröder/ *Güſtrovii* hactenus Templi Parochialis Paſtor, in locum B. D. *Baudevvien*, (cujus obitum in his N. L. Anno ſuperiori memoravimus) ad *Superintendentis* munus in hâc Civitate obeundum vocatus eſt.

## GRYPHISWALDIAE

Die 31. Martii *Judæus* in Capite I. *Zephaniæ* ἐλεγχθεὶς, ac *in Textu* qvidem præter ceteros R. *Iſaac Abarbenel*, *in uſu verò cujusvis verſus* R. *Iſaac Ben Abraham*, contra qvem aſſeritur *ex verſ.* 14. *In Judicio Dei abnegandas eſſe vires proprias*, *& per veram fidem ad Jeſum confugiendum*, promiſſum Gen. XXII. 18. *Ex verſ.* 15. *Meſſiam jam eſſe exhibitum*, *qvia ſceptrum de Juda jamdudum eſt ablatum* Gen. XLIX. 10. *Ex verſ.* 16. *Sublata politia Judaica etiam ciborum diſcrimen ceſſare*, Deut. XIV. 3. olim injunctum. *Ex verſ.* 17. *Vel unum præceptum violantem æternam manere pœnam*, Deut. XXVII. 26. *Ex verſ.* 18. *Qvia finale politiæ Jud. excidium jam eſt immiſſum*, *nullam Judæis ſperandam eſſe reſtitutionem politicam*, qvibus aſſertis *Rabbi* Cap. 13. 14. 15. 16. 17. *Partis prioris Muniminis* contradicit; ſub Præſidio ſæpiuscule præterito Menſe Majo, p. 134. ſq. memorati S. Lingvæ &

The-

Theol. Profeſſoris *M. Brandani Henrici Gebhardi*, à *Philippo Chriſtiano Crazio*, Baltenhagâ-Pomerano, ulteriori Eruditorum disqviſitioni ſubmiſſus fuit. (3½ plag. in 4.)

Fratrem modo nominatus *M. Gebhardi* ante menſes nonnullos amiſit natu maximum, *Vitum Chriſtianum*, Paſtorem *Honlagii* & *VVenthuſæ* propè *Brunſvicum*, cujus hîc meminiſſe æqvum cenſuimus, cùm ob navatam utilem Eccleſiæ edendis ſcriptis operam; tùm ob admirandum memoriæ donum. Feliciſſimam *Petri Comeſtoris* memoriam deprædicant Hiſtorici, illum inde cognomentum ſortitum eſſe autumantes, qvod Dicta Biblica ita memoriter proferret, qvaſi ea in ventrem memoriæ eſu condidiſſet, uti ex *Trithemio Micrælius in Syntag. Eccl. L. III. Sect. I. qv.* 8. citat. Aſt B. *Gebhardi* non qvævis Dicta Biblica tantum, cum illorum ſedibus ad nutum reddere valebat, ſed & omnes libros Biblicos in lingvâ Originali, cum omnium ſtupore memoriâ comprehenſus eſt. Teſtem hujus rei adducimus beatè defuncti Fratrem, ſuprà ſæpius nobis laudatum, cui qvodam tempore integrum *Prophetam Eſaiam* in linguâ Hebraica, intra trium horarum ſpatium, à ſeptima ſcilicet ad undecimam, è memoriâ recitavit.

Libros edidit ſeqventes

1. *De propinqvitate diei extremæ.*
2. *Vberiorem hujus materiæ deductionem:*
3. *Reſponſionem ad dubia qvæ huic materiæ objiciuntur.*
4. *De Chiliasmo.*
5. *De Bello hodiernorum temporum.*

*ἀνέκδοτα.*

1. *De tributis ſub regimine Ezechiæ & Jojachimi Libri II.*

*Libri I. cap.* I. oſtendit, *qvod pœna præcedentis peccati ſit, qvando nec Magiſtratus tributa neceſſaria a ſubditis accipere, neqve hi eidem illa largiri poſſint.* In ſpecie autem exponitur *qvalenam iſtiusmodi peccatum hoc tempore inter Judæos extiterit.* Simul etiam *in antiqvuſſima Regibus Judaicis debita tributa & alios eorundem reditus hoc capite inqviritur.*

Cap. II. Qvod tributa ſæpe oriantur *ex defectu fiduciæ in*

*De-*

*Deum* Reipublicæ nec neceſſaria nec utilia. In ſpecie autem exponitur *qvot & qvalia tributa* his temporibus exacta ſint.

Cap. III. Qvod *tributa male cœpta male tandem terminentur.* Specialiter verò *qvot & qvales effectus* tributa horum temporum ſecuti ſint.

Cap. IV. Qvod tributa *inconſulta* imo *ipſo effectu irrita* aut *noxia* deprehenſa Deus nihilominus norit in bonum finem dirigere, & qvinam fines illi hoc tempore fuerint.

*Libri II. Cap.* I. Oſtendit qvod ad tributorum multiplicationem plurimum ſæpe conferat *ſummi Magiſtratus judicium varie variis occaſionibus corruptum.* In ſpecie autem exponitur qvaliter ex *iſtiusmodi principio* ſub *Jojachimo* tributa multiplicata ſint.

Cap. II. Qvod tributa multum alleventur *frugalitate ad exemplum Majorum inſtituta,* fruſtra qvidem hoc tempore *Jojachimo* ut obſervanda propoſita.

Cap. III. Qvod tributa *male cœpta male tandem terminentur.* In ſpecie autem iterum oſtenditur *qvot & qvales effectus* tributa horum temporum comitati ſint.

2. Interpretatio permultorum locorum, qvi in Prophetis occurrunt.

Ut Benevolo Lectori plenius paulò de *Auctore memoratorum ſcriptorum* conſtet, ſubjicimus ejus epitaphium:

D. O. M. S.
Situs hic eſt
*Vitus Chriſtianus Gebhardi,*
natus anno 1646. d. 9. Aug.
Patre *Ardreâ Gebhardi,* Paſtore
Martiniano Brunſvicenſi,
Matre *Roſinâ Margaretâ Troſtiâ.*
*Vir*
Antiqva virtute ac fide,
Doctus, candidus ac pius,

Et

Et verus Iſraelita, in qvo nullus dolus erat:
ad juvandum unumqvemqve propenſiſſimus:
Divini honoris ſtudioſiſſimus:
Ac vere Bibliotheca ambulans:
qvi
poſt comparatam rerum omnigenarum eruditionem
& locupletatam incredibiliter memoriam
comprehenſosqve memoriter Hebræos
Græcosq; S. Scripturæ libros omnes,
poſt educatos altosqve fratres Germanos
publicatosqve utilisſimos libros
exactis officii annis XXVIII, vitæ LIV.
nec pecuniæ nec honorum appetens
in occurſum diei extremi
qvem jugiter prædicabat
properavit
vitamqve cœlibem & integerrime actam
beato exitu finivit
3. Jan. 1701. hora 4. mat.
Optimo Fratri vel Parenti potius ſuo
Mon. poſ.
fratres ſuperſtites.

GEDANI

In Athenæo D. *Samuel Schelgvigius* diſputando continuavit Qvæſtionum Theologicarum Pugillum XXXIIX. Reſp. *Jacobo Matthæi*, Gedanenſi d. 6. April. An Baptiſmus, ut medium regenerationis viſibile, adeoqve Sacramentum propriè ſic dictum, jam in V. T. apud Judæos in uſu fuerit? *Neg.* An in Euchariſtiâ Spiritus S. nobis porrigatur bibendus? *Neg.* An cuilibet Chriſtiano, citra vocationem ab Eccleſiâ obtentam, fas ſit aliis porrigere Euchariſtiam? *Neg.* An ſola illa Eccleſia, pro Apoſtolicâ, & qvâ doctrinam vitamqve Chriſtianâ, haberi mereatur, qvæ in omnibus partibus, regulæ Chriſti conformis eſt: in qvâ omnes Miniſtri officio ſuô rectè & ex impulſu Spiritus S. defun-

guntur: & Auditorum ad minimum pars major adeò *Chriſtianè* ſe gerat, ut Chriſtianismus eorum videri aliisqve de eo qværentibus,oſtendi qveat? *Neg.*

Pugillum XXXIX. Reſp. *Balthaſare Joachime Suhrio*, Renâ Megapolit. d. 13. Apr. An qvemadmodum ſub Papatu fuerunt tenebræ,ita in Eccleſiâ noſtrâ,propter plenæ lucis defectum,neq;dies,neq;nox ſit, ſed crepuſculum? *Neg.* An Cœtus Evangelico Lutheranus,reſpectu ipſius etiam doctrinæ,vel ad minimum reſpectu ſolius vitæ, ſit Babel Myſtica,cujus Apoc. XIV. & XIIX. mentio fit?*Neg.* An communionem intimiorem cum Babele, in ſenſu myſtico,qvem Scriptura, maximè in Apocalypſi, ſuggerit, ſic dictâ habeamus? Imò an ipſum cor AntiChriſtianismi Babelici, nempe Spiritus *Papalis in nimia Doctorum* præſertim qvâ controverſias fidei definiendas, autoritate,apud nos reperiatur? *Neg.*

Pugillum XL. *Reſp. Paulo Holſtio*, Haderslebiâ Cimbro d. 20. April. An omnes Eccleſiæ noſtræ ſtatûs extremè peſſum iverint? an Eccleſia noſtra horrendum in modum, imò funditus (zu Grunde) corrupta ſit? an eadem extremum agonem agat (in letzten Zügen liege)? an nullum ampliùs ſignum veræ Eccleſiæ apud nos ſuperſit? *Neg.* An cœtus noſter, ratione ſtatus moderni conſideratus,rectè comparetur Eccleſiæ (ſaltem qvoad vitam doctrinæ oppoſitam) plantandæ? *Neg.* An qvi ex prætensâ conſcientiæ teneritudine, ne communione impiorum contaminentur, ſe ab externâ Eccleſiæ noſtræ ſocietate ſeparant, pro tentatis habendi & ut infirmi fratres tolerandi ſint?*Neg.* An ipſa Eccleſia noſtra indigeat Reformatione & qvidem magnâ ac qvamprimum expectanda?*Neg.* An Lutherus Antichriſtianiſmum ſolummodò ex mediâ parte, nempe qvâ doctrinam,reformavit,ita, ut qvâ vitam, novâ Reformatione opus ſit? *Neg.* An cuivis Chriſtiano,etiam Laico,ſpecialiter non vocato,fas ſit, media reformandæ Eccleſiæ conducentia proponere & confratres ad reformandum excitare, imò actu ipſo reformare?*Neg.*

Pugillum XLI. Reſp. *Leonhardo Gebauero*, Steinâ Sileſio d. 27. April. An Reformatio Eccleſiæ plena & univerſalis, ſtatuiqve paradiſiaco conformis ante diem extremum exſpectanda ſit? *Neg.* An omnes Sacerdotes Spirituales, qvales Chriſtiani qvicunqve, ſine

di-

diſcrimine ætatis, ſexus & ſtatûs ſunt, etiam extra caſum neceſsitatis, actûs ſacerdotio Eccleſiaſtico competentes v. g. publicè prædicando, Sacramenta adminiſtrando, confeſsionem pœnitentium audiendo, & confitentes abſolvendo, &c. exſeqvi poſsint? *Neg.* An interna, qvæ jactatur, vocatio, cuiqvam, extrinſecus non vocato, jus det, extra neceſsitatis caſum, aliis, ſibi à Deo haud qvaqvam ſubordinatis, prædicandi? *Neg.* An Chriſtiani indifferenter omnes, ne fœminis qvidem exceptis, ex Jure Sacerdotii ſpiritualis, internæqve vocationis, facultatem habeant, abſqve præſcitu, conſenſu & cenſurâ ordinarii Miniſterii, libros de rebus ſpiritualibus, ipſisqve fidei articulis, ſcribendi & edendi? *Neg.*

Pugillum XLII. Reſpond. *Carolo Erneſto Ketnero*, Gedan. d. 25. Maji, An diſtinctio Chriſtianorum in Clericos & Laicos inter Evangelicos ferenda ſit? *Aff.* An Miniſtri Eccleſiæ, in oppoſitione ad alios, qvi Miniſtri non ſunt, jure meritòqve vocentur ſpirituales (die Geiſtliche vel die Geiſtlichkeit?) *Aff.* An Miniſtris Eccleſiæ in N. T. à Germanis rectè Titulus Sacerdotum (der Prieſter) tribuatur? *Aff.* An Novatoribus, ſi vel maximè pietatis, aut ſpiritualitatis qvantæcunqve ſibi conſcii forent, fas ſit, Miniſtros Eccleſiæ indifferenter omnes, qvotqvot illorum partes averſantur, pro carnalibus, naturalibus irregenitis, ne qvid gravius dicam, habere atqve apud alios, in ipſis etiam ſcriptis publicis, venditare? *Neg.*

*Ex Typographia prodiit.*

*Chronicon Textuale Biblicum*, in qvo omnes Textus, qvi in ordinariis ac extraordinariis feſtivitatibus pœnitentialibus aut Euchariſticis, *Gedani* à 3. Junii 1650. usqve ad 3. Maji 1701. in concionibus explicati ſunt, continentur. Germanicè: Bibliſche Text-*Chronica*, worinn alle und jede Schrifftſtellen/ welche in denen Evangeliſchen Kirchen der Stadt Dantzig vom 3. Jun. 1650. biß den 3. Maji 1701. auff veranlaſſung derer gewöhnlichen oder auſſer ordentlichen angeſetzten Bet-Buß und Danck-Tage/ in öffentlicher Gemeine erkläret ſind/ nacheinander dargeſtellet werden. Dantzig druckts und verlegts Johann Zacharias Stolle. (8vo pl. 13.)

## REGIOMONTI

Die 7. Maji *M. Arnoldus Henricus* Sahme/ Regiomontano-Pruſſus, Reſpondente *Johanne Arnoldo Pauli*, diſputavit *de Veterum Chriſtianorum Agapis*, vulgò den Liebes-Mahlen.

Die 9. Maji Præſide *Friderico Deutſch* S.Theol.D.&Prof.Ord. Paſtore Löbnicenſ. & Conſiſtor. Aſſeſſore, Reſpondens *Simon Chriſtoph. Bohlius*, Raſtenburg. Exercitationem Theologicam *de Adoptione fidelium in Liberos Dei* publicè propoſuit. (*6*. plag.)

Die 10. Maji *Balthaſar Tileſius*, Goldb. Pruſſus, ſuperatis anteà examinibus, Tentamine ſcilicet & Examine rigoroſo, ut & habitis lectionibus curſoriis, Diſputationem inauguralem *de Sorte*, pro Licentia ſummos in utroqve jure honores capeſſendi, absqve Præſide, horis ante & pomeridianis habuit. In qva *Sortem* diſtribuit *in divinatoriam*, *Conſultoriam* & *diviſoriam*, & refutatâ *divinatoriâ*, *conſultatoriâ* verò temperatâ & ad Theologiam relatâ, ſolam adſtruit *diviſoriam*. Finita Diſputatione, à *Carolo Henrico Chariſio*, J. V. D. & P. P. FCtis Juridicæ ad hunc promotionis actum Decano, publicè in V. J. Licentiatum promotus & renunciatus eſt. Diſp. conſtat 2½ plag. in 4.

Die 24. Maji ſub Præſidio *Bernhardi* von *Sanden*, Sen. S. Theol. D. & Prof. Ord. Concion. Aul. & Conſiſt. Aſſeſſoris Primar. Facultatis Theologicæ Senioris, *Johann. Godofredus Haſſ*, *Regiomont.* Pentadem illuſtrium qvæſtionum Theol. *de Paſſione & morte* J. C. publico examini expoſuit. Qv. I. eſt, *An Sudor Domini in monte Olivarum profuſus verè ſanguineus fuerit*, *& an excretio ejus naturaliter vel miraculosè contigerit?* II. *An Chriſtus in paſſione ſua ſenſerit dolores inferni?* III. *An Chriſtus in triduo mortis verè homo permanſerit?* IV. *An Chriſtus ſuâ obœdientiâ ſibi aliqvid promeruerit?* V. *An Chriſtus pro peccatis noſtris ſatisfecerit?* (3. plag.)

Paulò antè laudatus *D. Fridericus Deutſch*, *Programma Penteceſtale* ex Joh. XIV. 16. 17. propoſuit. (1½. plag.)

THO-

THORUNII

Præſide *Martino* Böhm / Prof. P. Auctor & Reſpondens *Johannes* Hintz / Tempelburgenſis Pomeranus, *duabus* vicibus Diſſertationem ex Hiſtoriâ Pruſſicâ defendit, qvâ oſtendere conatus eſt, *Boruſſos ad generalem Expeditionem extra fines ſuos non eſſe adſtrictos*, (4. pl. in 4.)

*M. Martinus Bertleſſius*, Prof. P. & Viſitator Gymnaſii Thorunienſis, Reſpondente *Georgio Büſelio*, Thorun. Boruſſo, *Dubium Chronologicum, de Sæculi XVIII. exordio*, diſputavit, & Qvæſtionem: *An Sæculum XVII. cum ſcribebatur M. DCC. ſit finitum, tempusqve à Calendis Januarii præteriti ad Calendas Januarii ſecuturi fluens in Sæculum XVII. finiendum, vel in Sæculum XVIII. inchoandum fluat?* ſeqventi Theſi decidit: *Sæculum decimum ſeptimum dum ſcribebatur M. DCC. Annus, completum ac finitum eſt, tempusqve à Cal. Jan. præteriti ad Calend. Jan. ſeqventis fluens, non in Sæculum XVII. finiendum, ſed* XVIII. *jam inchoatum, fluit.* (1½. pl. in 4.)

Præſide *M. Georgio Wendio*, Gymnaſii Thorun. Rectore & Prof. P. Obſervationes Hiſtorico-Politicas, circa Locum *Joh. Conſalv. Mendozæ*, Hiſp. (Part. 1. de Regno Chinæ, Lib. 3. c. 13. p. 202. ſq.) de *Sinenſium Ludis Litterariis*, ad placidum colloqvium propoſuit *Chriſtophorus* Eißwagen / Thorunienſis, Opponentibus: *Iſaaco Hoffmanno*, Colbergenſi Pomerano; *Paulo Dubermanno*, Polono; & *Godofredo Eitnero*, Ravvic. Polono. (1. plag. in 4.)

Sub *Ejusdem* Præſidio *Georgius Fiſcherus*, Mariæburgenſis Pruſſus, Auctor & Reſpondens, Diſputatione Theologico-Philoſophicâ, die 2. Martii præſentis Anni habitâ, evicit, M. Tullium Ciceronem à D. Eraſmo Roterodamo perperam Cœlo adſcribi. Occaſionem uberius colloqvendi porrigentibus: *Levino Friderico de* Hahn / Eqvite Curlando; *Gabriele* Holſt / Mariæburgenſi Pruſſo; & *Henningio Francisco de Möncho*, Eqvite Pomerano. (1½. pl. in 4.)

Idem *M. Georgius Wendius*, Exercitationem Hiſtorico-Politicam, disqvirentem *an Cæſares aliqvi Romani, per diſcor-*

*diam fortè in S. R. Imperio electi, Francofurti olim ſe ſiſtere, armisqve adeo Anti-Cæſarem repellere ſoliti fuerint, nec ne?* An. 1683. d. 15. Septembr. Olsnæ, præſente t. t. Sereniſſimo Principe VVürtembergico-Olsnenſi SYLVIO FRIDERICO, & frequentisſimâ Eruditorum Coronâ, publicè habitam, certas ob cauſas denuò in lucem edidit. (2. plag. in 4.)

## RIGAE

Die 13. Aprilis viventium numero ereptus, & 24. dicti Menſis tumulo illatus eſt *M. Adrianus* Preuſʒmann/ Regii Lycéi Rector, cum Rigæ an. 1670. d. 7. Auguſti lucis uſurâ cæpiſſet frui, in Lycéo memorato inprimis ſub M. *Vppendorffio*, t. t. Rectore, poſteà in Academiâ *Dorpatenſi* Profeſſ. νῦν ἐν ἁγίοις, tyrocinia poſuit. Academias abhinc adiit, & primùm *Kilonii* per triennium, deinde in Alma *Gieſſenſi* ultra annum literis incubuit, ubi etiam an. *1696.* ſupremos honores Philoſophicos conſeqvutus eſt, præviâ Oratione *de promotionibus apud Hebræos Veteres Academicis*, & publicâ Diſputatione de *Clave Cognitionis*. Reditum in patriam parans, varias in itinere Academias, *Lipſienſem, VVittebergenſem, & Jenenſem* ſalutavit. Domum autem reverſus, Regio Lycéo, qvod Rigæ eſt anno 1698. loco M. *Vppendorffii* Rector dabatur. Non diu vixit in illa functione, ſed in ipſo ætatis & meritorum flore denatus eſt, cum annum trigeſimum primum ageret.

Die 24. Aprilis in vivis eſſe deſiit *Chriſtophorus Zeigenerus*, Eloqv. & Hiſtor. nec non Græc. Lingv. P. P. Natus eſt ille in Vrbe Riga an. 1655. die 4. Januarii Patre *Johanne Zeigenero*. Literis probe imbutus an. 1677. primùm in Academia *Kilonienſi* per biennium, *in Jenenſi* poſteà per integrum ferme annum, in *Helmſtadienſi* deniqve per ſeptennium ſtudio Mathematico, Philoſophico, Hiſtorico, Poëtico, Politico & Juridico operam dedit. Hinc *VVolfferbytum* ad Oratoriæ & Matheſeos Profesſionem vocatus eſt; an. 1691. autem dimisſione impetratâ in patriam revertebatur, atqve an. 1697. in Eloqv. & Hiſtor. nec non Græc. Lingv. Profesſione,

A



B.



C



one, habita prius Oratione *de Fatis Gymnaſii Rigenſis*, B. Wittio ſucceſſit. Huic muneri præfuit ad diem emortualem, qvi obtigit illi anno ætatis qvadrageſimo ſeptimo. Ex vidua ſuperſtite duos filios & unicam filiam reliqvit.

## REVALIAE

### *Phœnomena Anno 1700. & 1701. in Eſthonia obſervata.*

Ann. præterito 1700. die 20. Junii, circa horam ſeptimā matutinam in toto *Felinienſi Diſtrictu*, ejusmodi Phœnomenon cœleſte, qvale ſub lit. C in Tabulâ adjectâ adumbratur, fuit viſum. Horâ octavâ *Circulus major* in Septentrione aperiebatur, ſimulqve *Corpus lunare*, qvod ibidem erat, & brevi poſt *altera ignita ſtatua* in regione Euri evaneſcebant. Horâ nonâ *duo Parhelii*, uti & *Chasma* cum *alterâ ignitâ ſtatuâ* oculis ſubducebantur. Circa horam decimam *duo illi Circuli*, major & minor, maximam partem abſceſſerant; *Corpus Lunare* autem Circium verſus ad mediam undecimam usqve videbatur. Tab. V. fig. 3.

Ad hanc figuram C.

N. 1. Chaſma.
N. 2. Sol.
N. 3. Parhelii ſole minores.
N. 4. Duo Corpora ad figuram pallidæ Lunæ.
N. 5. Binæ ſtatuæ ignitæ figuram Iridis adumbrantes.
N. 6. Circulus candidus minor ſolem ambiens.
N. 7. Circulus candidus major Solem cum Parheliis & Corporibus Lunaribus tranſiens.
N. 8. Duo Circuli ex Chaſmate provenientes, & in Circulo majori deſinentes.
N. 9. Septentrio.
N. 10. Eurus.
N. 11. Circius.

Præſenti hoc anno 1701. die 15. Martii, qvi diem illum, ob Victoriam Narvenſem ſolennem, præcedebat, Phœnomena alia notatu dignisſima, qvorum figuræ ſub lit. A & B in Tabulâ additâ exhibētur, fuerunt Tab. V. fig. 1. 2.

fuerunt obſervata: Illa figura ſub lit. A. *Revaliæ* à duodecimâ ad mediam qvartam; hæc ſub lit. B. autem *Pernaviæ* circa horam duodecimam conſpiciebatur.

Ad figuram A.

| | |
|---|---|
| N. 1. Circulus verticalis. | N. 5. Circulus Horizontalis. |
| N. 2. Sol. | N. 6. Semicirculus Verticalis. |
| N. 3. Parhelii. | N. 7. Circulus Horizontalis. |
| N. 4. Circulus Verticalis. | N. 8. Parhelii. |

Die 3. Martii vivis exceſſit D. *Joachimus* Salemann/ Epiſcopus Eſthonienſis & Revalienſis, Præſes Conſiſtorii & Gymnaſiarcha; die 20. ejusdem Menſ. autem ſepeliebatur, ubi Concio Funebris (ſub prelo unà cum Epicediis jam ſudans) à *M. Blanckenhagen* fuit habita. Natus eſt Revaliæ an. 1629. d. 9. Febr. Patre *Georgio* Salemann/ ad Spir. S. Paſtore, & cum in Gymnaſio patrio ſtudiis ita auctus eſſet, ut publicis ſuperiorum artium & diſciplinarum lectionibus cum fructu intereſſe poſſet, ad Academiam primùm *Gieſſenſem* an. 1651. conceſſit, & poſtea an. 1653. *Argentoratum* ſe contulit. Seqventi anno *Tubingenſem, Jenenſem, Lipſienſem & VVittebergenſem* inviſens, in hac poſteriori ſub Præſidio D. *Abrah. Calovii* contra Arminianos diſputavit, Diſſertationem etiam Philologico-Theologicam ſuper 1. Tim. IV. 3. Præſide *Joh. Erico Oſtermanno* defendit, atqve an. 1655. ſupremis in Philoſophia honoribus ornatus eſt. Tandem, poſtqvam *Roſtochienſes* Muſas an. 1656. ſalutaſſet, & Ephori munus apud Generoſum *Ottonem à VVackerbart*, in Ducatu Megapolitano geſſiſſet an. 1658. die 9. Auguſti ad Diaconatum templi S. Olai in patria ſua vocabatur; anno 1662. verò Compaſtoris, & 1673. Superintendentis ſparta ipſi fuit commiſſa. Acceſſit an. 1693. Doctoralis & Epiſcopalis dignitas: illa die 3. Martii; hæc verò d. 1. Septembr. dicti anni ipſi fuit collata. Sed omnibus his officiis ac dignitatibus mors illum privavit, qvam ſeptuageſimo tertio ætatis; qvadrageſimo tertio Miniſterii & octavo Epiſcopatus anno obiit. Sex Liberos reliqvit & XXII. nepotes; illorum duos filios, ad munus Eccleſiaſticum à ſe ordinatos, Collegas habuit. Varias præterea edidit Conciones Funebres, variaqve & numero ſat multa ſcripſit

Poe-

Poëmata Latina adhuc inedita, qvorum publicatio ſuo tempore non denegabitur.

BERGIS

Die 14. Aprilis anniverſaria Diſputationum Progymnasmata, à ſe primum in hanc Scholam, in gratiam Candidatorum Academiæ olim introducta, denuò auſpicabatur *M. Severinus Lintrupius*, deſignatus Profeſſor Havnienſis & Scholæ Bergenſis Rector, ventilatis de *Gratiâ univerſali* & *Prædeſtinatione* theſibus, Reſpondente *Johanne Dan. Ramo*, Nidroſienſi; qvibus Orationem de *uſu ac neceſsitate Diſputationum Theologicarum* contra Fanaticos, præmiſit.

Die 20. Aprilis *Idem* exercitiis pariter Oratoriis præluſit ſolenni, de *Infelicitate Sæculi nuper elapſi literariâ*, Oratione, qva præcipuos rei literatæ nævos atqve abuſus modernos in genere, tres tamen inprimis perſtrinxit, utpote (1.) profanam Pſeudo-Philoſophorum, *Hobbeſii, Spinozæ, Cherbury*, anonymi auctoris Exercitat. paradoxæ de *Philoſophiâ Scripturæ interprete, Bekkeri, Th. Burnetii, Naturaliſtarum* item ac *Mechanicorum*, &c. in philoſophando licentiam; (2) ſupercilioſam Criticorum qvorundam, v. g. *Capelli, Morini, Iſ. Voſſii, R. Simonis, J. Clerici, M. Meibomii*, &c. audaciam, ipſis etiam θεοπνεύστοις Scripturarum oraculis vero critico figentium; 3. Scepticiſmum Hiſtoricum *Chr. Sandii, Pallavicini, Varillaſii, Maimburgi*, & novisſimè *Gothofr. Arnoldi*, ſacram Eccleſiæ veteris & modernæ hiſtoriam, perpetuis dubiorum ac fabularum tricis ubiqve obſcurantium. Qvæ uti appendix qvædam fuit *Orationis auſpicalis*, jam an. 1696. d. 3. Aug. cum faſces Scholaſticos capeſſeret, habitæ, qvæ *felicitatem ac prærogativam Sæculi ejusdem literariam*, *variaqve melioris literaturæ incrementa* fuſius enarraverat. Sic gemina claudebatur Oratione metricâ, à duobus recitatâ Phrontiſterii hujus Alumnis, Academiæ candidatis, alterâ qvidem ab *Eraſmo Schielderupio*, Nordlando, de *Paſſione & morte Chriſti*; alterâ

*a Nicolao Fuhrmanno*, Sundſiordenſi, de *Reſurrectione & Adſcenſione Chriſti*, utrâqve ad imitationem Æneidos Virgilianæ.

## *Vlterior Pii Deſiderii M. Severini Lintrupii Continuatio.*

Ex *Jenenſi* J. G. *Bajeri* Part. ſeu Decades Diſp. 2. Jen. 4. 696. & 698. qvos utinam & reliqvæ propediem ſeqvantur! J. M. *Dilherri* Diſp. Phil. Theol. tom. 2. Norib. 4. 652. J. *Gerhardi* Diſp. theol. P. 3. Jen. 655. 4, Diſp. Iſagogicas ib. 663. 4. J. E. *Gerhardi* faſcic. diſp. ib. 4. 658. & Decad. diſp. 2. ib. 664. Alb. *Gravveri* polemica S. ib. 4. 656. diſp. Anti-Jeſuitic. tomum ib. 8. 614. qvæſtiones theolog. ib. 4. 635. J. P. *Hebenſtreitii* πένταδα diſp. 8. 694. J. *Himmelii* ſyntagma diſp. 4. J. *Muſæi* diſp. theol. P. I. Jen. 8. 648. G. *Mylii* Vol. 2. diſp. ib. 597. & 598. 4. J. Chriſtf. *Sagittarii* otium Jenenſe ib. 4. 671. J. A. *Schmidii* otium Jenenſe & variorum Philoſoph. decad. ib. 4. 691. diſſert. S. trigam 8. 692. diſſ. pentada 4. 695. P. *Slevogti* diſp. Acad. a Velthemio ed. ib. 679. 4. qvibus G. W. *VVedelii* Exerc. philolog. Medic. decades 8. vel ſacra adſperſa licebit addere &c. E *Kilonienſi* J. F. *Mayeri* diſſ. ſelect. Kilon. & Hamb. 8. Franc. 693. alias haud dubiè poſt ſe tractura plures. *Morhofii* orat. & programm. 8, 698. & diſſ. Acad. 4. Hamb. 699. P. *Muſæi* diſp. theol. Kilon. 4. 667. &c. E *Lipſienſi* (A. *Aleſii* diſp. theol. cit. *Lippenius* T. 1. p. 526.) J. B. *Carpzovii* Jun. diſp. Acad. cum præf. S. B. *Carpzovii* Lipſ. 4. 669. qvibus alias Celeb. Auctoris in *Lib. Ruth, de vaccâ rufa* 2. *Anti-Jeſuit.* 2. *ad N. Arnoldi lucem in tenebris* 3. *orat. inaug. de R. Simonis Hiſt. Crit. V. T. &c.* additas mecum forte optaſſent plures. M. *Gejeri* opuſcula, ut vocantur, philologica Lipſ. 8. 691. in qvibus tamen diſqv. de ſuperſtitione & ratione cœnandi Ebræa &c. omitti videas. B. M. *Hartarti* & Z. *Schiltheri* diſp. junctim ed. ib. 4. H. *Höpfneri* diſp. cum præf. Rappolti 4. ib. 672. G. *Mœbii* diſp. ſelect. 694. ib. Fr. *Rappolti* op. Tom. 1. a Carpzov. ed. ib. 4. 693. qvibus *Philoſophica* itidem in volumen collecta & prælo parata addi jam A. 692. optarunt Celeb. Collect. Lipſ. p. 285. A. *Rechenbergii* diſſ. hiſt. polit. vol. 8. ib. 698. cui aliud *de rebus Philolog. & Eccleſiaſt. Vol.* ſubmiſſurum ſe promiſit in præf. J.

A.

A. *Schertzeri Program. & Orat.* 8. 679. & *faſcic. diſſert.* 4. ib. 683. J. *Thomaſii* orat. ib. 8. 683. præfation. diſp. ib. 8. 683. diſſert. ſeu program. Halæ 8. 693. diſſ. de Stoica mundi exuſt. 4. &c. qvibus diſputationes viri πολυμαθ. 86. qvarum catalogum origin. Philoſophicis nuper attexuit Fil. C. *Thomaſius* adjungi, jam A. 682. p. 52. rei literariæ conſultum judicarunt Collectores Lipſienſes. &c. Ex *Lugdunenſi Batav. diſp. Leydenſ. Gomari, Arminii, Trelcatii* Syntagma Leovv. 8. 615. *Synopſin purioris theolog. Leydenſ. Polyandri, VValæi, Riveti, Thyſii* 8. Leyd 658. J. *Arminii* diſp. Amſt. 8. 609. & oper. 4. Franc. 635. J. *Cocceji* opera nuper recuſa 8. vol. f. C. *L'Empereur* diſp. theol. Lugd. 8. 648. S. *Epiſcopii* diſp. theol. tripertit. 8. Amſt. 646. & oper. f. ib. 2. vol. 650. 665. J. *Hornbeckii* Miſcell. S. 4. Ultraj. 677. F. *Junii* op. fol. 2. Vol. J. *Kuckhini* diſp. theol. Lugd. 4. 611. J. *Marckii* Exerc. textuales 50. Amſt. 4. 694. & *Exegeticas* 50. ib. 4. 697. J. *Polyandri* Syntagma Exerc. Theol. 8. 621. A. *Riveti* oper. f. 3. Vol. F. *Spanhemii* Fil. qvaternion diſſ. 8. & oper. Vol. 2. f. A. *Thyſii* Exerc. miſcell. in faſc. Creenii 3. G. J. *Voſſii* theſ. theologicas 4. Hagæ 658. opera f. vol. 5. A. *VValæi* opera fol. Chr. *VVittichii* Exerc. theol. 4. 682. &c. Ex *Marburgenſi diſp. Marburgenſ. Æg. Hunnii, Arcularii, VVinckelmanni, Moltheri, Menzeri, Fevvrbornii, Steuberi, Schollii*, tomos 5. cum append. 8. Giſſ. 668. R. *Goclenii* miſcell. theol. & philoſoph. P. 3. Marb. 8. 607. &c. J. *Heinii* Exerc. philoſ. theol. vol. 8. 666. (an alterum ibi promiſſum Vol. prodierit ignoro) J. *Moltheri* diſp. theol. 21. Franc. 604. G. *Schönfeldii* theſ. theol. centur. 4. G. *Stannarii* faſcic. diſp. cont. libertinos, Præadam. Neſtorium orthod. & Independentes Caſſ. 12. 665. J. *Steuberi* diſp. theol. Marb. 646. &c. Ex *Montalbanenſi* diſput. Theol. Acad. Montalban. &c. E. *Regiomontana* J. *Behmii* diſp. theol. Regiom. 4. 620. it. de promiſſ. Evangel. & voluntate Dei &c. Chr. *Drejeri* diſp. Anti-Papiſt. 34. ib. 4. 688. J. Chr. *Iſingii* Exerc. Philoſ. Geograph. hiſt. in Pentat. & Joſu. Franc. 4. 683. G. *VVegneri* primitias Regiomont. Franc. 4. 697. &c. E. *Rintthelienſi* J. *Kahleri* diſp. in Aug. Conf. & diſſ. πνευτ. de imputatione peccati, Rinthel. 4. 696. &c. E *Roſtochienſi* J. *Affelmanni*

Syntagma Exerc. Acad. P. 2. a G. Mœbio ed. Lipſ. 4. 674. cum Ap. pend. ib. 677. *Calovii* disp. Roſtoch. 4. Witt. 637. D. *Chytræi* opera vol. 2. f. 599. Nic. *Petræi* disp. theol. &c. Chr. *Sledani* disp. 4. 607. J. *Tarnovii* Exercit. Biblic. l. 4. Lipſ. 640. 8. &c. qvibus tamen multæ ejus haud comprehenſæ; (in iis qvas P. *Tarnovio* tribuit *Lippenius* p. 530. credo mendum eſſe) E *Salmurienſi* disput. *Salmurienſ.* L. *Capelli*, *Amyraldi*, Joſu. *Placæi*, P. 4. Salmur. 4. 664. J. *Cameronis* τὰ σωζόμενα ſua op. fol. *Capellorum* opera poſthuma f. Amſt. 689. St. *Gauſſeni* diſſ. theol. 12. Ultraj. 677. & nuper 8. Joſu. *Placæi* opera Franek. 3. Tom. publicari cœpta 4. &c. E. *Sedanenſi* theſaurum diſput. Sedanenſ. P. *Molinæi*, J. *Capelli*, A. *Ramburtii*, S. *Mareſii* A. *Colvini*, Joſu. *le Vaſſeur*, Jac. *Alpæi* Tom. 2. Gen. 4. 661. Lud. *le Blanc* theſes Theol. f. Lond. 683. D. *Tileni* Syntagma diſp. 8. Hardervv. 656. &c. Ex *Tigurina* J. H. *Heideggeri* diſſ. ſelectarum tom. 4. τριάκαδα 673. ἐννεάδεκαδα 680. εἰκάδα 690. δωδέκαδα cum proſographiis & oration. 697. 4. Tiguri, in qvibus tamen non paucas ejus deſiderabis, *Hottingero* in *Bibliothec.* memoratas J. H. *Hottingeri* Analecta diſſ. hiſtor. theol. 8. ib. 653. & πέντάδα diſſ. miſcell. 8. 654. Ex *Tubingeſi* J. *Andreæ* disp. theol. ab Heerbrando edit. J. *Heerbrandi* diſp. Witteb. 4. 589. St. *Gerlachii* diſp. tom. 2. Tub. 8. 588. M. *Mulleri* teſſeradecad. evolutionum ſacr. & triada diſput. ib. 4. J. A. *Oſiandri* vol. diſp. Tubingenſ. 4. Tub. 691. ſed paucarum oppido pro inſigni diſſ. a Theol. πολυγραφωτάτω editarum numero, Ejusd. Syntagma Exercit. Thummianarum ib. 4. 664. J. G. *Sigvvardi* disp. de Artic. fidei omnibus &c. Ex *Ultrajectina* F. *Burmanni* Exerc. Acad. P. 2. Roter. 4. 688 & orat. 4. 700. J. *Leusdenii* Philologos Ebræum, Græcum, & Mixtum Vol. 3. &c. Car. *de Maets* ſylvam qvæſt. theol. 4. 650. G. *Voetii* diſp. ſelect. P. 5. Ultraj. 4. 648. 655. 659. 667. &c. G. *Vries* Exerc. Rationales 4. 685. & 95. H. *Witſii* Miſcell. S. Vol. 1. Lugd. 695. & 2. Amſt. 700. 4. Ex *Upſalienſi* J. *Rudbeckii* lectiones, declamat. diſput. & exercitia alia &c. conſignata & Guſtavo Adolpho dedicata Upſal. 4. 610. ap. Scheffer. p. 79. E. *Wittebergenſi* disp. Witt. Æg. *Hunnii*, G. *Mylii*, *Geſneri*, *Rungii*, *Hutteri*, *Balduini*,

*duini,Franzii,Forſteri, Meisneri* &c. tomos 3. Witteb. 8. 623. 625. (4. perperam addidit *Lippenius* l. c. qvas a variis ibid. in 8. voluminibus A. 1560. editas ait, hactenus non vidi.) A. *Buchneri* diſſ. & orat. 4. Franc. 677. & Dresdæ 682. A. *Calevii* ſcripta Anti-Sociniana f. Ulm. 684. *Forſteri* Exerc. Theol. 4. 618. &c. *Geſneri* diſp. Witt. 611. Æg. *Hunii* diſp. 8. ib. 610. & Vol. 5. oper. f. *Lutheri & Melanchthonis* diſp. graduales 13. cum *Hartmanni* de elencho morali Giſſ. 4. 679. W. *Lyſeri* diſp. catechetico-Poſtillar. dec. Witt. 4. 629. J. *Martini* partit. theol. 4. ib. &c. B. *Meiſneri* Scholas Academicas 8. Franc. 625. J. *Meisneri* faſcic. diſp. Witt. 4. 661. J. G. *Neumanni* primitias diſſ. Academ. 8. 700. (fide catalogi nundin. nuperi refero) A. *Pfeifferi* faſcic. philol. ib. 4. 665. *Exercit. Biblicas* ib. 670. Dubiis etiam vexatis adjectas. J. A. *Qvenſtedii* Exerc. theol. de Theol. ejusqve principio 4. ib. 66. D. *Rungii* disp. 4. ib. 606. C. S. *Schurtzfleiſchii* disp. hiſtor. cum additam. 4. Lipſ. 699. orationes Witt. 679. & diſſertation. ib. 699. 4. qvibus disp. Philoſ. Philologicas propediem in adjectum ſperatur, A. *Sennerti* Exerc. theol. faſcic. tit. Chriſtiani ib. 688. Exercit. Crit. Philolog. heptades 3. ib. 678. 685. 4. 2. Exercit. trigas ib. 4. B. *Stolbergii* Exercit. 12. tract. de Soloeciſmis & Babariſmis N. T. addit. ib. 4. 685. M. *VValtheri* F. programmata ap. Thurman. p. 251. &c. qvasqve enumeranti forte plures vel paupertinæ ſupellectilis anguſtia vel ipſa earum non tam copia qvàm raritas ſubduxerit. Qvibus in qvalecunqve ſupplementum alias complures Exercitationum nomine ſaltem extra Academias hinc inde vulgatas per me liceat addas, utpote A. *Albizii* Exerc. theol. P. 3. Aug. 4. 617. J. *Bachmanni* Eexerc. theol. centur. 3. VVitt. 8. 597. J. *Basnegii* trigam diſſ. 8. 687. & 694. C. *Becmani* Exerc. theol. f. Amſt. 643. S. *Bocharti* diſſ. Geographiæ S. additas Lugd. f. 692. A. *Bulæi* operas horar. ſucciſivarum ſeu discurſuum miſcellan. decad. Bremæ 4. 639. *Creenii* faſciculos, faſces &c. H. J. *Elebrechtii* Exerc. theol. 4. Franc. 699. J. *Fechtii* noctes Chriſtianas & Schediasmata S. Durlaci 8. 688. Erh. *Lauterbachii* ſyllogen disp. Synodal. Lipſ. 629. Caſp. a. *Lilien* diſſ. S. Baruthi 4. 684. L. *Lomejeri* dierum genial. P. 2. Davent. 94. & Zutph. 96. 8. St. *Morini* diſſ. 8. Genev. 683. & Dordr. 700. *Niſſelii* Exerc. Miſcell. Brem. 12. 667. Gv. *Saldeni* otia theolog. 4. Amſt. 684. J. *Schrö-*

*deri* pugillum Aſceticum, ſeu libellum them. theol. Giſſ. 8. 611. VV. Ern. *Tenzelii* Exerc. ſelectas 4. Lipſ. 692. (qvibus ceteras in præf. memoratas eruditi optaſſent additas ) R. *Vogelſangii* Exerc. theol. Silvæ-Ducis 4. 664. J. *Vorſtii* ſyntagma Exercit. in faſc. *Creenii* & Diſſert. S. lib. 4. M. *VValtheri* P. Exerc. Biblicas 4. Roſt. 638. centuriam & qvadragenam Miſcell. tholog. Ulmæ 4. 646. 648. Par diſſ. & trigam orat. 4. VVitt. 688. alias cum tractatu de manna 4. Jen. 665. qvaternionem diſſ. theol. Rinth. diſſertationes etiam & programmata *Bohemi*, *Cellarii*, *Höberi*, *Liebens*, *Mitternachtii*, *Rabneri* &c. Scholaſtica. Veruntamen, qvid iſta, amabo, omnia, niſi ſterilia ac jejuna ſunt ſpicilegia, ſi ad uberrimam comparentur ἱερογυμνασμάτων ſegetem, qvalem fœcundisſimo ſæculi jam gemini proventu, tot florentisſimæ dederunt per Europam Evangelicam Academiæ? Qvantus, fidem veſtram, viri Celeberr. diſſertationum elaboratisſimarum jucundi non minus qvàm utilis argumenti, theſaurus, in iſtis vel periit dudum, vel latet hodie dum, qvibus tutò parum aſſervandus creditur, ſchedis ſparſim vulgatis, eruditorum paucioribus, vel notis hodie vel conſpectis! Qvàm copioſa ex iſtis utut minutisſimis eruditorum opuſculis, comportari poſſet Bibliotheca; ſi & memoratas paucorum collectiones, juſtis earum qvæ deſiderantur inibi omnium accesſionibus locupletarent, & ſuas deinceps ſingula orbis Reformati Athenæa *gazas* & *ſymbolas*, ſuorum ſingulas Antiſtitum & Doctorum ſelectas argumenti συμμίκτυ diatribas conferrent? Si ſuorum nempe (liceat illuſtri nonnullorum ſaltem mentiône ſalivam publico movere, ſalvo eorum tamen, qvi tacentur, honore) *Academia Aboenſis* ſuppeditaret G. L. *Alani*, P. *Bangii*, J. *Gezelii* utriusqve, Aeſch. *Petræi*, Iſ. *Rothovii*, E. *Svenonii*, J. E. *Terſeri*, N. *Tunandri* &c. opuſcula; Suorum *Altorffina Althofferi*, J. C. *Durrii*, *Fabritii*, P. *Felvvingeri*, *Hœnigii* utriusqve, J. M. *Langii*, C. *Matthiæ*, D. G. *Molleri*, *Omeiſii*, *Piccarti*, *Reinharti*, G. *Ritteri*, *Ruperti*, *Schopperi*, *Schvventeri*, *Snellii*, *Sonntagii*, *Vindungi*, *VVagenſeilii*, *VVegleiteri*, *VVeinmanni* &c. Suorum *Argentoratenſis Artopæi*, *Bebelii*, *Berneggeri*, *Bœcleri*, *Schalleri*, (trium poſteriorum editiones vel paraſſe vel optaſſe ſaltem Cl. *Hartnaccium* e Biblioth. polit. p.

78. colligas) *Fauſtii* utriusq; *Hardſchmidii, Hübnii, Marbachiorum, Pappi, Scheidii* J. *Schmidii* (cujus diſp. nuper denuò Cl. *Salzmanno* in præf. cit. ſeriò commendavit S. B. *Carpzovius*) *Zentgrafii*, &c. Suorum *Baſileenſis* S. *Bockii, Buxtorffiorum*, L. *Gernleri, Hoffmanni*, W. *Mayeri, VVerenfelſiorum, VVetſteniorum, VVollebii, Zvvingerorum*, &c. Suorum *Dorpatenſis* jam *Pernavienſis Dani, Elverlingii, Hermelini, Jernfeldii*, Z. *Klingii*, *Siöbergii*, J. L. *Staleni*, &c. Suorum *Duisburgenſis Dieſtii, Gantsvilleri, Henninii, Huguenii, Hulſii, Maſtrichtii*, &c. Suorum *Francofurtenſis* Ch. *Albini*, Fr. *Becmanni*, *Bergii* utriusqve *Bucchii*, G. *Franci*, *Grebenizii*, *Heidenreichii*, G. *Pelargi*. C. *Ravii*, *Reichelii*, *Stampelii*, *Strimeſii*, *Valandi*, &c. Suorum *Franckerana Ameſii*, N. *Arnoldi*, H. P. *Hautecourtii*. H. Ant. *Lindenii*, *Perizonii* utriusqve, J. *Rhenferdii* (cujus diſp. junctim prodituras jamdudum ſperare nos juſſit Cl. *Benthemb. St. Eccl. Holl.* p. 2. p. 321.) H. A. *Roellii*, J. M. *Steinbergii*, *Vedelii*, &c. Suorum *Genevenſis Fayi*, *Legeri*, *Meſtrezatii*, *Mori*, *Picteti*, *Fronchini* &c. Suorum *Giſſenſis Bileſeldii*, *Clodii*, *Chriſtiani*, *Dieterici*, H. *Eckhardi*, *Hannekeniorum*, *Helviciorum*, *Maji*, *Rudrauffii*, *VVinckelmanni* &c. Suorum *Gröningana Gouſſeti*, *Paſoris*, *VVidmarii* &c. Suorum *Gryphiswaldenſis* A. *Balthaſaris*, *Battorum*, *Beringii*, *Colbergiorum*, *Daſſovii*, *Gebhardi*, *Henningii*, *Hornii*, *Lagi*, *Maſchovii*, C. T. *Rangonis*, M. *Tabberti*, Mov. *Volſchovii* &c. Suorum *Halenſis* P. *Antonii*, *Buddei*, *Cellarii*, *Ludovici* &c. Suorum *Hardervicena Colonii*, *Dieſtii*, *Flockenii*, J. *Meyeri*, *VVilhelmii*, *VVolfferdi*, &c. Suorum *Havnienſis Aslaci*, *Bangii*, *Bartholinorum*, *Bircherodii*, (cujus diſp. jam tum in *Nov. veſtr. Liter.* An. 98. p. 97. promiſit Fil. Joh. *Bircherodius*) *Bottſacci*, *Brochmannorum*, *Dybindii*, *Hemmingii*, *Laſſenii*, A. *Laurentii* (cujus diſput. inter collectas perperam retulit *Lippenius*, abbreviata diſputat. mentione apud *Barthol. de Script. Dan.* deceptus) H. G. *Maſii*, (cujus diſp. Acad. Jam An. 92. in catal. Franc. promiſſas, confidimus aliqvando junctim prodituras) J. *Matthiæ* utriusqve, A.

*Nicolai, Noldii, Palladii, Petrai, Reſeniorum, Schandorphii, L. Scavenii, Slangdorffii, Svaningii, Steenbuchii* utriusqve, *Stubai, VVandalini* urriusqve, *VVindingiorum, VVizlebii, VVormiorum &c.* Suorum *Heidelbergenſis* B. *Baumbachii, Culamini, Coppenii, Hackenbergii, Miegii, Pitiſci, Reuteri &c.* Suorum *Helmſtadienſis Berckelmanni, Boethii, Busmanni, Calixti, Cellarii, Conringii, Fabritiorum, Hederici, Heigelii, Hesbuſii, Hoffmanni, Homborgii, Maderi, Martini,* G. T. *Mejeri, Niemejeri, Pfaffradii, Rixneri, Satteri, Scheurlii*, J. A. *Schmidii, Strubii, Titii; Vogleri, VVideburgiorum, VVeiſii, &c.* Suorum *Herbornenſis Alſtedii, Biſterfeldii, Guthberlethi, Horchii, Lentii, Netheni, Poſthii, Zepperi, &c.* Suorum *Jenenſis Bechmanni, Boſii, Chemnitii, Cundiſii, Danzii, Debelii, Friſchmuthii* (cujus disp. 6. Decades ab ipſo jam A. 686. epiſt. ad *Carpzov.* promiſſas & pleraſq; in 2. Vol. ſupplem. ad Critic. Angl. Francof. editas, ut junctas ederent, Hæredes denuò monuit laudatus *Carpzovius* præf. cit.) *Glaſſii, Gvaltheri, Majoris* utriusqve, P. *Mulleri, Niemanni,* P. *Piſcatoris,* E. *Sagittarii,* (cujus disp. volumen jam A. 694. in catalogo Introduct. in hiſt. Eccl. addito promiſſum legitur) *Velthemii, VVigandi, Zeſchii &c.* Suorum *Kilonienſis Franckii, Kortholti,* (cujus disp. uno volumine junctas jam A. 694. ſub prælo ſudare Celeberr. credebant Collect. Act. Erud. p. 288.) *Mublii, Opitii, Tribbechovii, VVaſmuthii &c.* Suorum *Leydenſis Erpenii, Heidani, Hommii, Hulſii, Ryckii, Friglandii* utriusqve *Yolderi &c.* Suorum *Lipſienſis* V. *Alberti, Baueri, Beckeri, Burchardi, Carpzovii,* Sen. *Cypriani, Erneſti, Felleri, Frankenſteinii, Friderici, Henrici,* J. *Hopneri, Hulſemanni, Ittigii, Kromajeri, Langiorum, Lehmanni,* P. *Lyſeri, Mulmanni,* J. *Olearii, Reinharti, Schmuckii, VVeberi, VVeinrichii, &c.* Suorum *Londinenſis* Scaniæ P. *Holmii, Papkii,* J. *Schvvartzii, Stobai, Stridzbergii, VVinſtrupii &c.* Suorum *Marpurgenſis* S. *Andreæ, Angelocratoris, Combachii, Crociorum,* J. *Curtii, Duyſingii, Egbini, Heinii,* G. *Ottonis,* R. *Pauli,* P. J. *Tilemanni Schenck &c.* Suorum *Regiomontana Behmiorum, Colbii, Deutſchii, Drejeri,* H. *Erneſti,* S. *Grabe*

*Grabe, Hartmanni, Latermanni, Mislentæ, Mylii, Peſarovii*, J. P. *Pfeifferi* (adhuc noſtri) *Pouchenii, Rabii, Sandii* utriusqve, *VVegeri, Zeidleri* &c. Suorum *Rinthelienſis Bodini*, H. M. *Eckhardi, Giſſenii, Henckelii, Henichii, Kikeri, Menzeri, Molani, Stegmanni*, &c. Suorum *Roſtochienſis Bacmeiſterorum, Bindrimii, Bohlii*, St. *Clotzii, Cobabi, Cothmanni, Fechtii, Frederi, Grapiorum, Habichhorſtii, Kleinii, Könîgii, Legdæi, Lindemannorum, Lobechii, Lubini, Lütkemanni*, C. *Mauritii*, D. *Michaelis*, H. *Mulleri*, J. C. *Ottonis, Paſchii Qviſtorpiorum, Schachtii, Schomeri, Schuckmanni, Schvvantenii, Sledani, Taddelii, Tarnovii, Varenii, VVeisſii, VVolffii* &c. Suorum *Tigurina Beumleri, Breitingeri*, H. *Ernii, Hoffmeiſteri, Hoſpinianorum, Huldricorum, Lavateri, Mulleri, Sviceri, Temanni*, C. *VVaſeri*, J. *VVirzii*, Jac. *VVolffii* &c. Suorum *Tubingenſis Binderi, Færtſchii, Grafftii*, , *Häberlini, Haffenrefferi, Hilleri, Jægeri, Kelleri*, Mel. *Nicolai*, (cujus diſſ. etiam MSS. plures dignas judicavit *VVagnerus* ap. *VVitten* mem. Theol. p. 1323. qvæ in volumina collectæ prodirent) *Oſiandrorum, Pregizeri*, B. *Raithii*, H. *Schmidii*, E. *Snepffii, VVagneri, VVolflini, Zelleri. &c.* Suorum *Vltrajectana Eſſenii*, H. van *Halen, Leydekkeri, Maſtrichtii*, M. *Schotani*, &c. Suorum *Vpſalienſis Aurivillii, Benzelii, Brunneri, Columbi*, J. *Eœnii, Emporagii, Kenicii*, O. *Laurelii. Lenæi*, B. P. *Leuchovii*, C. *Lithmanni*, L. P. *Nericii, Normanni, Odhelii, Palmrothii*, L. *Paullini*, G. *Peringeri, Rudbeckiorum, Schunckii, Stalenii, Stitzgelii, Terſerii*, L. O. *Vallii*, Jon. M. *Vexionenſis*, &c. Suorum *VVittebergenſis Balduini, Calovii, Daſſovii, Deutſchmanni, Franzii, Greenii, Hannekenii, Hilligeri, Lœſcheri*, W. *Lyſeri* (cujus diſp. utinam a Cel. *Neumanno* liceret exſpectare, juxta cum *commercio Lyſeriano* ap. *Tenzel. Exerc. Sel.* P. I. p. 410. & *ἀνεκδότοις* aliis in præf. *Theologiæ Lyſeri* nuper promisſis) *Kirchmajeri, Kunadi, Liebetanzii, Mayeri, Meinhardi, Nigrini, Oſtermanni, Pomarii*, P. *Röberi, Röhrenſee, Scharffii*, Æg. *Strauchii, VValtheri, VVelleri, VVendleri, VVillemeri, Ziegleri, Ziegræ*, &c.

(*Pii hujus Deſiderii* Continuationem, volente Deo, futuro Menſe dabimus.)

## HAFNIAE

Die 2. Maji terræ creditus eſt *Petrus Brandt*, S. R. M. Dan. Conſiliarius intimus, Eqves auratus Ordinis Danebrogici, ad rem militarem, tam campeſtris exercitus, qvàm apparatus navalis curandam Deputatus. Natus eſt ille an. 1644. die 11. Julii, *Sunderburgi*. In Norvegia primùm ſub auſpiciis *Gaarmanni*, cujus curæ res provinciæ publicum commodum ſpectantes erant commiſſæ, firmam jecit ſolidoris ſcientiæ baſin. Deindè ab arcanis fuit ſummo Legionis Danorum Tribuno, *ab Ahlefeld*, qvam provinciam & poſteà apud *Hahnen*, *Chriſt. V.* à Venationibus ſummum, obtinuit. Ab an. 1676. Regi à ſummis rationibus fuit ad an. 1681, ubi, cum an. 1680. factus eſſet Conſiliarius Cameræ, ſparta Soceri ſui, *Henrici* von *Stöcken*, *Coldingæ* ornatus eſt, Regiqve fuit à reditibus Regiis, & in Generali Commiſſariatu Deputatus. An. 1684. Reditibus Regis ſummis præeſſe cœpit. An. 1688. in Eqveſtribus collocatus, ac tandem an. 1692. Conſiliarius intimus conſtitutus eſt. Deceſſit die 2. Januarii c. a. qvinqvageſimo ſeptimo ætatis ſuæ anno, tres filios unamqve filiam ex Conjuge ſuperſtite relinqvens.

Die 1. Maji, Auctore *Joh. Bircherodio*, Prof. Hiſtor. habita fuit Diſputatio I. circa *Diſqviſitiones Antiqvitatum patriæ Daniæ gentilis*, Reſpondentibus *Candidatu Philoſ. nunc Baccalaureis centum & qvatuordecim*. (6. pl. in 4.)

Die 19. Maji, Præſide *Jeſſenio Jeſſen*, Reſpondens *Florentius Bloomgreen* Diſputationem Philologico-Criticam, *de Onomatologiâ Pauli*, ſeu *de duobus Pauli nominibus*, *Saulo & Paulo*, publicè ventilavit. (2½. pl. in 4.)

Die 24. Maji ſub Præſidio *Chriſt. Reizer*, Prof. Juris, *Joh. Muſt de Conſanguinitatis & Affinitatis proprietatibus, graduumqve computatione* diſputavit. Diſputatio conſtat 4½. pl. in 4.

*Henrico Hierild* munus Præſidis ſuſtinente, *Chriſtianus Henricus* Diſſertationem Hiſtorico-Criticam *de Vite aurea in*

*Tem-*

*Templo Hieroſolymitano* publicæ diſqviſitioni ſubmiſit in Collegio Mediceo. (pl. 2. in 4.)

*M. Severinus Glud*, Scholæ Hafnienſis Rector, *Logicam Erotematicam* publicæ luci expoſuit. (18. plag. in 8.)

KILONII

*D. Joh. Ludovici Hannemanni Meletema, explicans & corrigens illud Experimentum de ſpiritu ex Rore Majali deſtillando.*

Hoc, qvod cum Novis Literariis Maris Balthici communicavi Experimentum, qvædam in ſe complectitur, qvæ explicatione, & qvæ emendatione indigent. (1) Dixi, qvod tandem illa terra volatilis fiat, ſeqve cum aliqvoties à terrâ abſtracto menſtruo uniat, adeò ut tota aqva rubicunda inſtar rubini fiat. Qvod mirum phœnomenon; ſiqvidem experientiæ fide conſtet. Qvod omnia etiam Natura colore aliqvo tincta in Deſtillatione ſui coloris jacturam patiantur. Exemplis hoc probem, non opus. Non ſecus ſe res habet cum rebus, qvæ artis beneficio, colore vel tinguntur, vel etiam coloratum, qvod medullitus in ſe recondunt, foras evocatur, tamen vel ignis beneficio, vel liqvore aliqvo affuſo, ſuo privatur colore. Sicqve minium rubicundisſimum, qvod ignis ex Saturno educit, affuſo acido perit, ut probat Saccharum Saturni. Verùm in hoc noſtro Experimento color rubicundus, qvo aqva tingitur, humanâ induſtriâ citra affuſionem alterius liqvoris mutari neqvit. Adeò ut hic liqvor rubicundus ſit ſanguis naturæ. Duos enim colores Naturæ Archæus *rubrum* videlicet & *album* habet, qvos ſibi vendicat & ſub qvorum charactere maxima Naturæ myſteria latent. Qvorum cognitionem mundus non adipiſcetur. Sicqve rubrum & intimus rerum omnium color, qvem res omnes in ſuâ medullâ habent, qvem conſpectui hominum ſiſtere, hoc opus, hic labor. Sicqve rubicundus color eſt ſignum, jam perfecte elaborati Elixiris Arabum. Illud autem abhinc ad primam albedinem deducere, paucisſimis datum. Et tunc eſt efficaciæ tam myſticæ, ut hominis in-

duſtria ad eum ſolis ſplendorem cœcutiat; de qvo myſterio plura fari non ſinit artis reverentia. Emendanda ſunt in hoc Experimento, qvæ ſunt ſphalmata typographica. (1) legitur Conturbatione; legi debet Cohobatione, qvæ eſt reiterata deſtillatio. p. 87. legitur conturbatione, legetur. ultima Cohobatione. p. 86. legitur affundas; ſic ſenſus eſt: in ultima Cohobatione, ſi in tenebris asſideas fornaci, qvælibet gutta in recipiens cadens fulgurat. Hæc ut corrigantur, animitùs peto. Hæc enim Vitia ſenſum vitiant. Dixi, qvod junctum hoc menſtruum, vel hic naturæ ſanguis cum ſanguine microcoſmi vitæ lampadem det nullo pretio æſtimabilem. Sed nota! liqvor, qvi ex ſanguine deſtillatur, toties etiam ſuo capiti mortuo reddi debet, ut etiam in rubicundum liqvorem transmutetur, qvod & fit octavâ vel nonâ cohobatione. Tunc hi duo ſanguines macro-& microcoſmi per blandisſimam deſtillationem jungendi ſunt; hoc facto obtines arcanum maximum ad omnia ea cognoſcenda, & excernenda qvæ de Biolichnio Auctores tradunt, & forſan eo qvid ſublimius & divinius. Sed qvid multis, Dii vendunt dona ſua laboribus & precibus. Qvod mundus hæc myſteria cachinnis excipiat, tolerandum eſt, nos ei ſuas nugas non invidemus. Nemo autem ſibi perſuadeat hunc ſanguinem naturæ eſſe menſtruum Philoſophorum, hoc alterius eſt proſapiæ; qvod in ſe ſpectatum nullius coloris, aſt tamen in ſuo viſcerum condo ſummam rubedinem habet reconditam, qvæ ſi cum ſuo pari in unâ eademqve periodo ſe exſerat, Elixiris Arabum primigenia lux eſt, qvam rectè gloriam mundi, artiumqve Triumphum appellaveris. Si autem ante ſui juncti maris ſolum rubeſcat, Vulcani intempeſtiva violentia eſt, &c, niſi recrudeſcere facias, abortivus partus futurus eſt. Sed hîc figo pedem. Hoc Meletema peperit ſphalmatum acervus, qvo meum experimentum deformatum eſt. Meditabar alia, & qvidem qvædam curioſa de primo frigido contra *Plutarchum*, ſed hæc poſtea.

NEOMONASTERII in HOLSATIA

*M. Conradus Oporinus*, Paſtor Novomonaſterienſis Prima-

marius, Scholarum Inſpector & Miniſterii Senior, Concionem Funebrem edidit, in funere *Annæ Mariæ*, natæ Gundelachs/ *Hans* Brehmers/Mercatoris ibidem, Uxoris, ex Pſalm. LXI. 1-5. habitam, cui Titulus: Die von denen Gerechten erbetene Hülffe / aus dem vielen Leyden/Hamburgi, typis Reumannianis (9. plag. in 4to.)

Idem Auctor, ante biennium edidit Concionem Funebrem, qvam in funere *Johannis* Ellermann/Mercatoris Novomonaſterienſis habuerat, ex Rom. VIII, v. 18. hoc Titulo: Die ſüßtröſtende Herrligkeit der Kinder Gottes. Kilonii, ex typographeo Reumanniano, (12. plag. in 4to.) Hanc an. 1682. præceſſit alia Concio Funebris, Kilonii typis ante dictis exſcripta, & ab ipſo habita, in funere *Annæ* Loden/ *Nicolai* Loden/ Mercatoris qvondam Novomonaſterienſis, relictæ Viduæ, ex 2. Cor. 5. v. 1. & 2. cujus Titulus: Der Lodin herzlich-und Chriſt-ſehnliches Todes-Verlangen. (9. pl. in 4to).

Autor hic (præter Scholam patriam, qvam in Femariâ, celebri Maris Balthici Inſulâ, freqventavit, nec non Lubecenſe Gymnaſium, cujus Alumnus, ab Anno ætatis 13. ad 16. extitit, in Academiâ Roſtochienſi, Wittebergenſi, Lipſienſi, Helmſtadienſi, Kilonienſi, aliisqve, Literis imbutus, ac per binos, & qvod excurrit annos, Novomonaſterii primùm Archi-Diaconus, jam verò per 22. annos Paſtor ibidem Primarius.) Roſtochii, Anno 1668. ſub præſidio *M. Matthæi Laurentii* Diſputationem Ethicam *De Principiis Actionum humanarum*, Marte proprio elaboratam habuit. (4. plag. in 4to.) Wittebergæ dein, Anno 1669. ſub præſidio *Balthaſar. Stolbergii*, Prof. Publ. Diſputationem Philologico-Criticam, ad Evang. Matthæi c. 2. comma 23. publicè defendit (2½ plag. in 4to) In Kilonienſem verò Academiam revocatus, Cathedram Theologicam aliqvoties conſcendit, nec tantum ſuper Theſes Theologicas *D. Petri Muſæi*, ſub ejusdem præſidio publicè diſputando, plus decies, ſe exercuit; ſed & ſub umbone Dn. *D. Chriſtiani Kortholti*, S. Theol. Prof. P. tùm *de Lectione Scripturæ ſacræ, in lingvis vulgò cognitis* Anno 1670. (7½. plag. in 4to) tùm Anno 1673. contra *Chriſtianum Fabrum*, Gallum, pro *Valeriano Confeſſore D. Kortholti*, ſolenniter di-

ſputavit ( 3½. plag. in 4to) ac eopſe anno, Præſide *M. Georgio Erneſto Heldberg*. Moralium Prof. Publ. pro capeſsendis ſupremis in Philoſophiâ honoribus, *Theſes ex univerſâ Philoſophiâ*, *à ſe deprompta*, publicæ ventilationi expoſuit. (2½. plag. in 4to.)

HAMBVRGI

Die 1. Maji *Franciſcus Henricus Schönemann*, Hamburgenſis, Diaconus hactenus *Grodenſis* in præfecturâ *Ritzebuttelenſi*, electus fuit Paſtor ad D. Pauli in Monte Hamburgenſi (auff dem Hamburger-Berge) in locum defuncti *Magni Oelckers*.

Die 31. Maji diem obiit *Hermannus Langenbeck*, J. V. L. qvi lucem aſpexit Hamburgi an. 1637. & ſtudio Juris dicatus, huic in Academiis Altorfinâ & Argentoratenſi incubuit, & Baſileæ abſolvit, Diſputatione prius de Citatione, pro Licentia, an. 1658. habitâ. Exteros poſteà adiit, atqve *Galliam*, *Hiſpaniam*, *Italiam*, *Germaniam*, *Belgium*, *Angliam*, *& Septentrionem* deniqve inviſit. In patriam reverſus, per 34. fermè annos in conjugio cum Vidua relicta vixit, & ex illa duos filios, totidemqve filias adhuc dum ſuperſtites ſuſcepit. Filii ſunt, *Hermannus*, J. V. D. nec non Reip. Hamburg. Secretarius, & *Georgius*, J. V. L. Ille Diſputationem inauguralem *Altorffii*, an. 1692. *de Caſtigatione moderata*, occaſione art. 48. part. IV. Stat. Hamb. hic verò an. 1694. *Gieſſæ*, *de Tranſactione Calumnioſâ* habuit.

Sub prêlo typographico ſudat *Hiſtoria Verſionis Bibliorum Germanicæ Lutheri*, deſcripta à *Joh. Frid. Mayero*, S. S. Theol. Doctore, & Prof. P. Eccleſiæ Hamburgenſis ad D. Jacobi Paſtore atqve Scholarcha, apud Gothofred. Liebezeit. (in 4.)

Editione tertiâ prodiit *Johannis* Schulzen/ Johannéi Hamburgenſis Rectoris, libellus, cui titulus: *M T. Ciceronis Librorum de Officiis Hominum Anatome Philoſophica*, ſive *Diqviſitiones Ethicæ, in Johanneo Hamburgenſi ſcholaſticis congreſſibus inſtitutæ*, ut juventus, in vitæ ac morum uti ſcientiâ & ſtudio, ita decorô etiam uſu, publicè exerceretur, (1. Alph. ½ plag. in 12.)

Im-

Impenſis *Gothefred. Liebezeit*, Bibliopolæ Hamburgenſis, in publicum prodiit Tractatus qvidam, cujus titulus ita legitur: *Aſſertio ampliſſima Divinæ Gratiæ, ad amicam Reſponſionem celeberrimi Genevenſis Theologi, Benedicti Pictett, ex amore veritatis & pacis amicè repetita à Daniele Severino Sculteto.* Annectitur *Epicriſis* ad ejusd. Viri celeberr. novisſimum, de conſenſu *Lutheri & Calvini*, ſcriptum, cum obſervationibus ad D. *Strimeſii* Criticam Concionatoriam Irenicis. 1701. (1. Alphab. 2. plag. in 8.) XVII. Tractatus hujus ſunt Capita, in 1. probatur, Doctores, particularismi patronos, vexare annonam cœleſtem. In 2. Suffragia aſſertionis henoticæ primæ ab exceptionibus liberantur. Cap. 3. agit de Apoſtaſia Sanctorum. Cap. 4. de ſacro Chriſti Epulo. Cap. 5. de Fide Temporariorum. Cap. 6. de Electione. Cap. 7. Nova aſſertionis primæ henoticæ ſuffragia, ex amicâ reſponſione petita ſiſtit, Cap. 8. Præſidia Particulariſmi dejecta exhibet. Cap. 9. de pace Proteſtantium agit.

His Capitibus ſeqventia ad novisſimum *Picteti* ſcriptum de *Lutheri* & *Calvini* conſenſu ſubjiciuntur, & qvidem Cap 10. Genuinam tetricam particulariſmi faciem, ejusqve Cenſuram generalem ob oculos ponit. In Cap. 11. De ſententia B. *Lutheri* probatur, eum non fuiſſe Particulariſtam. In Cap. 12. de ſententia B. *Melanchthonis* probatur, illum qvoqve à Particulariſmo fuiſſe qvam alienisſimum. In Cap. 13. de ſententia *Calvini* agitur. Cap. 14. Suffragia aſſertionis primæ henoticæ recentiora, ex novisſimo *Picteti* ſcripto petita recenſet. Cap. 15. Præſidia & effugia Particulariſmi, qvæ in novisſimo illo ſcripto offenduntur, everſa enumerat. Cap. 16. de Symmixi Proteſtantium agit. Cap. 17. Obſervationes ad D. *Strimeſii* Criticam Concionatoriam Irenicas exhibet.

*Diſputationum*, ut vocant, *Catalogi Continuatio ſecunda* anni præſentis 1701. typis excuſa habetur apud *Joach. Reumannum*, qvi etiam novisſimas, easqve optimas omnium Facultatum Diſputationes divendit.

*Henricus* Meiſſner / Scholæ ad S. Jacobi Arithmeticus &c. *Problema* iſtud *curioſum*, menſe Aprili p. 127. 128. memoratum, ſolvit,

vit,atqve (α) ſummam, qvot ſinguli Scholarium accipiant? ab Auctore Obſervationum Hiſtoricarum d. 21. Junii 1701. communicari voluit; nimirum à natu minimo incipiendo, juxta harmonicam proportionem, A. 2520. B. 1260. C. 840. D. 630. E. 504. F. 420. G. 360. H. 315. & I. 280. Imperiales accipit. (β) Legati ſumma dat 7129. Thaleros. (γ) Septimanis 52. & diem unum, in annum computatis, ætas Scholarium fuit hæc; A. annos 2. ſeptimanas 35. dies 5. B. annos 3. ſeptimanam 1. & dimidiam diei partem. C. ann. 3. ſeptimanas 23. dies 4. D. ann. 4. ſeptim. 1. dies 3. E. ann. 4. ſeptim. 43. dies 3. F. ann. 6. ſeptiman. 2. diem 1. G. ann. 8. ſeptim. 2. dies 6. H. ann. 12. ſeptim. 4. dies 2. I. ann. 24. ſeptim. 8. dies 4. natus fuit; Hebdomadibus 52. autem ſolùm in annum computatis, ætas illorum ita conſtituitur, A. annos 2. ſeptimanas 36. B. ann. 3. ſeptim. 1. dies $3\frac{1}{2}$. C. ann. 3. ſeptim. 24. D. ann. 4. ſeptim. 2. E. ann. 4. ſeptim. 44. (ſive 252. ſeptimanas) F. ann. 6. ſeptim. 3. G. ann. 8. ſeptim. 4. H. ann. 12. ſeptim. 6. I. ann. 24. ſeptim. 12.

Plenaria problematis ſupra dicti ſolutio ad nutum benevolorum Arithmeticæ æſtimatorum atqve fautorum non denegabitur.

Laudatus modò *Henricus* Meißner/ſuis ſumtibus edidit etiam *Arithmeticam Tyronicam*, ſive, Ein neu und gantz leichtes Rechenbüchlein/darinn die Rechenkunſt (ſo viel nemlich der täglich-gemein/ auch Kauffmanniſche Gebrauch anfänglich erfordert) gantz gründlich und mit ſolchen Exemplis vorgetragen wird / daß auch Knaben und Mägdlein/welche tardioris ingenii ſind/ ſelbige leichtlich und balde daraus erlernen oder begreiffen mögen/&c. &c. Hamburg/ 1701. bey dem Auctore. (11. plag. in 8.)

## LUBECAE

Die 12. Maji *Gothofredus Beiſner*, Eccleſiaſtes ad D. Mariæ fuit vocatus, & d. 22. ejusdem ad officium Eccleſiaſticum ordinabatur.

# NOVA LITERARIA
## MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS,
*Edita Menſe Julio M DCCI.*

### ROSTOCHII

Die 4. Junii *Nicolaus Lütkens*, Hamburgenſis, Diſſertationem Philologicam habuit, qvâ ex Talmudicis & Rabbinis oſtendit, *qvod ſolus Davidis Filius ſit Meſſias*, Reſpondente *Dieterico Hermanno Kemmerich*, Palæo-Marchico. (4. plag. in 4.)

Circa finem Menſis hujus *M. Chriſtophorus Conradus Goerizius*, S. Theol. Candidatus, qvippe qvi ſub initium Menſis hujus Decano *D. Andrea Daniele Habichhorſtio*, FCtatis Theol. & Collegii Ducalis totiusqve Academiæ Seniore, examina non tantùm pro Baccalaureatu, ſed & Doctoratu in Theol. cum laude ſuſtinuit, & anno ſuperiori 1700. *Diſcusſionem Theologicam rationum irrationalium Chriſtiani Helvvichii*, Med. D. ad Papatum transfugæ, edidit, (de qvâ vide N. L. ſuperioris anni 1700. p. 11.) cujusqve non ſolùm præterito anno in N. L. p. 141. & 239; ſed & hoc anno p. 66. & 130. meminimus, publicavit *brevem Sciagraphiam*, qvæ continet *Syllabum Reſponſionum & Rerum pertractandarum in proditurâ Confutatione editæ Diſſertationis* dicti modo D. *Chriſtiani Hellvvichii* perſonati ad Papatum Transfugæ. (1. plag. in 4.)

### STRALESUNDAE

Ex Typographiâ Mederianâ prodierunt Qvæſtiones, numero 30. in Confirmationis actu adhibendæ, vel: Einfältige Confirmations-oder Einſegnungs-Fragen/ zum nöthigen Unterricht für Chriſtliche Kinder/ die auff vorher befragte und ziemlich dargezeigte Wiſſenſchafft des H. Catechiſmi / nach Pommerſcher Kirchen Ordnung/

 öffent-

öffentlich eingeſegnet werden wollen; Wie auch zur guten Erinnerung und Nachricht für gottſeelige Eltern / daß ſie wegen der H. Handlung des Einſegnens mit den noch allzujungen und unverſtändigen Kindern nicht zu ſehr eilen mögen; aus guten Wohlmeinen entworffen von einem Gottfürchtenden Catechiſmus-Liebhaber. Stralſund/ zu finden in der Buchdruckerey / 1701. ($\frac{1}{2}$. plag. in 8.)

GEDANI

Ex Typographiis prodierunt.

*M. Erneſti Gottlieb Lüſchneri*, Gedanenſis, Verbi divini in vico *Ranzoviorum* Imperiali *Elmshorn* Miniſtri, concio, anno 1700. Dom. I. p. Trinit. habita, Germanicus titulus eſt: Chriſtlich-weiſe Anmerckung der eigentlichen wahren und nechſten Urſachen des in letzter Holſteiniſcher Krieges-Unruhe hin und wieder verwüſteten Landes/ Anno 1700. den 3. Junii am 1. Sonntage nach Trinitatis aus dem darauff von Alters her verlegten Evangelio Luc. XVI, 19. 31. in Gegenwart Ihr. Ihr. Hochfürſtl. Hochfürſtl. Durchl. Durchl. von Würtenberg/ des Herrn Feldmarſchalcks/ dero Herren Brüdern/ Herren Vettern/ und Ihr. Hochſ. Durchl. des Printzen von Heſſen/ wie auch anderer hohen Generals Perſonen / und vornehmen Krieges Officirer / ſeiner lieben Elmshorniſchen Kirchſpiels-Gemeine/ welche dieſen Landſchaden hauptſächlich mit empfunden/ zum Hertzbeweglichen Buß-Spiegel in einer einfältigen Rede fürgeſtellet/ und auff vieler dadurch gerührten frommen Seelen inſtändiges Begehren zum Druck ausgefertiget von M. Ernſt. Gottlieb Lüſchner/ unwürdigen Diener am Worte Gottes in dem Gräffl. Rantzowiſchen Reichs-Flecken Elmshorn. Dantzig / nachgedruckt durch Simon Reinigern. (8vo plag. 6.)

*Thomæ Gouge Paterfamilias Chriſtianus*, Germanice: Der Chriſtl. Hauß-Vater / oder wolgemeinte Ermahnung an alle gottſeelige Haußväter/ wie ſie ſollen täglich mit ihrem Hauſe GOtt dienen / aus dem Engliſchen verdeutſchet/ und auff etlicher Begehren zum Druck gegeben/von *Antonius Brunſen*. (12mo pl. $5\frac{1}{2}$.)

*Joh. Jacobi* Woyten / Med. D. *Lexicon Medicum* ſeqventis tituli; Deutſches vollſtändiges Mediciniſches Lexicon, in

wel-

TAB. VI.




1701. Jul.

welchem alle Anatomiſche/Chirurgiſche/Chymiſche/ Pharmacevtiſche Kunſt-Wörter; item der Thiere/Mineralien/Metallen/Pflanzen/ &c. welche zur Artzney-Kunſt gebraucht werden/Wachsthum/Herkommen/ Eigenſchafft und Güte/ deutlich erkläret werden/ ſo daß es ſtat eines vollkommenen Kräuterbuchs dienen kan. Denen Apotheckern/Wund-Artzten/ Laboranten &c. zu ſonderlichen Nutzen zuſammen getragen. Leipzig und Dantzig/ verlegts Johan Hinrich Fiſcher/Buchhändler. 1701. (1. Alphab. 7. plag. in 8.)

Prodierunt etiam Eröffnete Heimligkeiten des gantzen Weiblichen Geſchlechts/ oder Mediciniſcher Bericht aller Weiblichen Kranckheiten/mit ihren dawider befindlichen bewährten Artzney-Mitteln / der ſo wohl im Ehſtand lebenden Frauen/ als Wittwen und Jungfrauen. Alles mit Fleiß zuſammen getragen/ und in richtiger Ordnung gebracht von D. J. J. W. Leipzig und Dantzig/ verlegts Johann Heinrich Fiſcher/1701. (18. plag. in 8.) in *tres* hic Tractatus dividitur *Partes*, qvarum I. agit de morbis totius fœminei ſexus. II. de morbis viduarum & virginum. III. de morbis mulierum in Conjugio viventium. IV. deniqve *Pars* Affectus & Accidentia Puerperarum enarrat.

## REGIOMONTI

Die 19. Maji à *Gothofredo* Sand/ Phil. & Med. D. & P. P. Reſpondente *Georgio Alberto* Stoltz/ Inſterb. Pruſſo, Med. Stud. ſupra Menſe Febr. p. 39. ſeq. nobis laudato, in Aud. majori Diſſertatio Medica habita fuit, qvà *rarus Ventriculi Abſceſſus* in plurimùm Reverendo Viro *Georgio* Roſchey / Eccleſiæ apud Regiomontanos Cathedralis Archi-Diacono , Anno 1695. Menſe *Julio* obſervatus, poſt beatum verò Viri hujus obitum, Medicè conſideratus, pro loco Profesſionis Ordinariæ qvartæ in Facultate Medicâ obtinendo. (7. plag. in 4.)

Qvomodo Exenteratio Viri modò dicti inſtituta ſit, qvæ item notatu digna circa eam occurrerint, bonâ Lectoris gratiâ ipſisſimis verbis D. *Gothofredi* Sand/ referemus, Tabulâ ſimul adjectâ: Tab. VI.

Anno 1695. die 30. Julii ſt. n. horâ primâ poſt meridianâ, nos infra ſcripti Medici petitu Dominæ viduæ & Cognatorum beati Domi-

ni Roſcheyi, hactenus Archi-Diaconi Eccleſiæ noſtræ cathedralis, in ædibus ejus comparuimus, ut Exenterationi in piè defuncto Domino, à Domino *Chriſtiano Hammel*, Reip. Kniphoſianæ Chirurgo Ordinario perficiendæ intereſſemus, & ſi qvid circa eam notandum occurreret, in id curatiùs inqvireremus. Qvoad ſpeciem itaqve corporis externam, purum id & intaminatum invenimus, qvamvis valdè collapſum & emaciatum; facie, manibus pedibusqve exceptis, qvæ partes magnam partem tumentes fuerunt & turgidæ, ac ita qvidem, ut ubi digito premerentur, ſcrobiculi ſeu veſtigia impreſſa remanerent. Deinceps, poſtqvam cutis cum ſubjacente paucâ, eâqve flaveſcente pinguedine, inciſione, à claviculis ſub Collo ſuper Sternum & Abdomen (ventrem infimum) per Peritonæum ad Inguina usqve per crucem factâ, ſeparata eſſet, Sternum unà cum coſtis ſpuriis, à coſtis veris, defectione cartilaginearum Productionum ſolutum atqve ſurſum reclinatum fuit, ubi Situm, Figuram & Colorem Viſcerum contentorum, ſive partium internarum, tam medii, qvam infimi ventris conſideravimus, cunctaqve perfectè bona, præter Ventriculum, in qvo inania ſiniſtra (ſiniſtrum Hypochondrium) verſus, ingens tuberoſus atqve cerebro non abſimilis gibber Abſceſſus, ſeu potiùs Apoſtemâ; & Hepar, qvod colore ex rubro flaveſcente, crepidine ſuâ ſive parte tenui, concavâ anticâ (qvâ, latus ſiniſtrum verſus Ventriculo incumbit) vix pennam communem ſcriptoriam craſſum, ipsâ etiam eâ parte Ventriculo adnatum, inventa fuerunt. Qvò autem commodiùs cuncta, qvæ de re eſſe videbantur, inveſtigare poſſemus, Diaphragma à Coſtis & Dorſi Spinâ circum circa ſolutum, tum & Oeſophagus unà cum Tracheâ (qvâ Pharyngem & Laryngem, ſupra, Inteſtinum rectum (Longanon) verò infrà, duabus his extremitatibus duplici ligaturâ injectâ, abſciſſa, ſicqve viſcera, ſeu partes internæ, Cor ſcilicet, Pulmones, Ventriculus, Hepar, Inteſtina, cum vaſis & ligamentis ſuis exempta fuerunt. Poſtea partem unamqvamqve ſingulatim examinavimus perqviſivimusq;, à Ventriculo (a) qvia hic omnium vitioſiſſimus apparebat, initio facto. Hic, qvà Colorem, Conſiſtentiam, Figuram & Magnitudinem aliàs inculpabilis fuit, præterqvàm qvod

ad

ad & ſuper eum admodum rarus Abſceſſus ſeu Apoſtema(b) adfuerit, qvi ad finem Oeſophagi (c), id eſt Orificii Ventriculi ſiniſtri, vulgò ſuperioris ſeu majoris dicti, latus dextrum, ab interiore parte incipiendo, lævorſum, per totam partem gibbam ad fundum usqve, in orbem exporrectus erat; Hepar, qvâ partem ſuam ſimam (d) ſeu tenuem & concavam qvâ Ventriculo incumbit, apoſtemati adnatum erat, qvapropter Apoſtema hoc qvibusdam ex Hepate enatum videbatur, aſt Hepar unà cum tunicâ, ſive membranulâ ſuâ, illæſum ſe ſeparari, & digitis qvidem tantùm, citra ſectionem, patiebatur, circa qvam divulſionem aliqvalis ſtridor, acſi conglutinatus dropax aut veſica divelleretur perſentiebatur; Cùm Apoſtema hoc deſuper incideretur, inciſio ad cavitatem ventriculi (e) penetrabat, qvi aliàs nihil, niſi materiam atram, terræ vel tincturæ aqvâ dilutæ nigræ, non abſimilē, qvantitate minimum duas menſuras noſtrates, (vulgò Stoff, dictas) libras medicinales octo plus minus adimplentem, in ſe continebat: materiâ hac in paropſidem peculiarem immiſsâ, ſectio per Apoſtema & ſanam Ventriculi partem perficiebatur, ubi in interiore Ventriculi parte, Apoſtema qvâ ſubſtantiam ſuam perſimile veteri ſevo aut lardo rancido (qvaliter in Apoſtematibus ad purulentiam ſeu maturitatem tendentibus plerumqve comparatum eſſe ſolet) colore verò, tam extrinſecus qvâm intrinſecus, penitusqve ſubflavum reperiebatur, Palmum circiter latum, tresqve transverſos digitos plus minus craſſum, in conſpectum Apoſtema hoc veniebat, notandum etiam hic eſt, qvòd per totum hoc apoſtema nihil de ventriculi Tunicis, hoc eſt, membranis ſuis naturalibus, ſeu ſubſtantiâ deprehendi potuerit: unde non ad ventriculum id adnatum, ſed totam Ventriculi ſubſtantiam in apoſtema hoc converſam fuiſſe, perſpicuè elucet; Intus, & infra qvidem ad fundum Ventriculi, in fine apoſtematis ad perfectam jam illud pervenerat maturitatem, ruptumqve erat, qvare perfectum concoctum pus digito diverſis vicibus exemptum fuit: erat apertio (f) rotunda, duos præter propter transverſos digitos longa, totidemqve lata. Præter hæc tam in Rugis ſeu plicis, qvàm ambobus Ventriculi Orificiis, nihil vitioſi inventum fuit.

In Hepatis examinatione ſimiliter intra extraqve nec Induratio ſeu Scirrhus, nec tumor, aut Pus, aut aliud qvicqvam reperiri potuit, præter colorem, qvi aliqvanto pallidior naturali qvi in ſanis corporibus eſſe ſolet, apparuit; præterea ſima ſeu anguſta Hepatis pars (g), qvâ Ventriculo hoc viſcus incumbit, vix pennæ vulgaris ſcriptoriæ craſſitudine, ipſa porrò hæc pars, nihil tamen ultra Sterni cuſpidem, Mucronata Cartilago dictam, exporrecta, Ventriculo adnata fuit inventa, prout ſupra jam relatum fuit. In Poro bilario & Fellis Veſicula, nulla etiam obſtructio, nec aliud qvid obſervatum fuit. Ipſa bilis in Veſica bilaria, in modicâ qvantitate & colore praſina, cœterùm verò conſiſtentiâ tenuis reperta fuit. Ductus item Cholidochus ſeu meatus communis & Ductus, in & per qvem bilis, tam ex veſicâ bilaria, qvàm Poro bilario ad Inteſtina (Inteſtinum Duodenum) fluit, ſine omni mendâ inventus, ipſa etiam bilis, compreſsâ felleâ veſicâ non impedita, ad tenue inteſtinum delata fuit.

Inteſtinum totum, tam tenue, qvàm magnum (craſſum) plenè ſanum atqve ſine minimâ etiam mendâ, ut & interiùs omni materiâ vacuum & purum, ac qvaſi elutum fuit repertum: niſi qvòd ex humore qvodam nigro intrinſecus hinc inde, leviſsimè tamen, affixo rem talem nigricantem illud permeaſſe, colligi potuerit.

In ventre medio ſimiliter cuncta benè conſtituta atqve integra fuerunt: In Pulmone & circa eundem qvoqve minimè qvicqvam notari potuit, ſed colore ſuo, Lobis item atqve interiori ſuâ ſpongioſâ ſubſtantiâ &c. adeò bonus, uti vel ullo modo deſiderari potuiſſet, fuit repertus. Pariter qvod ad Cor attinet, nihil ſingulare obſervari potuit; aperto nempe Pericardio, Involucro iſto membranoſo, qvo Cor cingitur, humor in eo contentus, ſeu liqvor ejus naturalis, qvantitate mediocri, ſubalbidus deprehenſus fuit; Corde deinde extracto, dexter prius ſeu major, ac poſtmodum ſiniſter ſeu minor ejus Ventriculus, unà cum Auriculis appoſitis, diſſecti fuerunt, ubi proba cuncta venêre in conſpectum. In ipſis Ventriculis cordis, ſeu Cordis ſinibus, ſpeciatim verò ſiniſtro, cum Venâ Pulmonariâ & Arteriâ Aortâ, penitus atqve penitus rubra aderat materia, ut intuitu

ipſo

ipſo, polypi præſentes crederentur, nullâ tamen materia iſta prædita erat duritie, ſed mollis, perqvàm facilè digitis conteri poterat, qvapropter eam, ſanguinem grumoſum, qvalis demortuorum corporum communiter eſſe ſolet, nos eſſe exiſtimavimus.

Hoc inſuper notandum, qvòd per totum apertum corpus, licet vaſa ſanguifera majora fuerint diſſecta, ſanguis perpaucus, vix qvartarium, vel libram medicinalem faciens, contentus fuerit.

Pariter, ſimulac Corpus aperiebatur, & partes (viſcera) tractabantur, odor acerum acerrimum obolens fuit perceptus.

Gothofredus Sand/ Ph. & Med. D. P. P. (L. S)
Johannes Gotſched, Med. Lic. & P. P. (L. S.)
Chriſtian Hammel, Chirurg.

Die 2. Junii ſub Præſidio *Johannis* Amſeln / V. J. D. Prof. Publ. Judicii Aulici Criminal. Aſſeſſoris & Supremorum Judicior. in Pruſſiâ Advocati, *Daniel Conradi*, Elbing. Pruſſ. Auctor & Reſpondens Diſputationem Juridicam, *Con- & Diſconvenientias Juris Civilis ac Lubecenſis circa hereditatem qvæ ab inteſtato defertur*, exhibentem, placidæ Eruditorum disqviſitioni ſubmiſit. Qvatuor Diſputationis hujus ſunt capita I. Præliminaria qvædam ad totam materiam ab inteſtato ſpectantia tradit. II. Convenientiam & differentiam Juris Civilis & Juris Lubecenſis in ſucceſſione ab inteſtato, & qvidem Lineæ deſcendentium exhibet. III. Convenientias & differentias Juris Civilis & Juris Lubecenſis circa ſucceſſionem Aſcendentium monſtrat. In IV. Capite Convenientiæ & Diſconvenientiæ Juris Civilis & Juris Lubecenſis circa ſucceſſionem Collateralium ab inteſtato proponuntur. (7½. pl. in 4.)

Die 16. Junii Præſide *David Stavinski*, J. V. L. & P. P. Extraord. Diſſertationem Academicam *de juſta retentione rei alienæ* publicæ ventilationi expoſuit *Chriſtophorus Fridericus* Hübner / Ballet. Pruſſus. Tribus Diſputatio hæc conſtat Capitibus, qvorum 1. de juſta retentione rei alienæ; 2. de juſta retentione rei alienæ *ex jure in re*; & 3. de juſta retentione rei alienæ *ex jure ad rem* agit, ſingulis etiam capitibus ſummaria ſunt præfixa. (3½. pl. in 4.)

Die

Die 18. Jun. Diſſertationem Politicam *de Chrematiſticâ, qvæ eſt præter & contra naturam*, qvintam & ultimam, Præſes M. *Johannes* Engelbrecht/Schiffenburgenſis,& Reſpondens *Daniel Henricus* Krumbholtz/ Angerb. Pruſſus, publico Eruditorum Politicorum examini ſubmiſerunt. (3. pl. in 4.)

*Phil. Jac. Hartmann*, Phil. & Med. D. ab Hiſtoriarum Profeſſione ad tertiam Medicinæ ordinariam vocatus,ſolennisDiſputationis loco *Synopſin Primæ Partis Artis Medicæ*, *de Sanitate*, exhibuit, contra vulgatum inſtitutionum morem Artem Medicam in 4.*partes* dividens; *Finem*,*Inventionem*, *Inventorum Diſpoſitionem*, *& Diſpoſitorum mediorum applicationem.* Rejectâ qvoqve *Phyſiologiæ*,*Pathologiæ & Semeiotices* malè divulsâ doctrinâ, genuinam methodum cauſales Definitiones Sanitatis & Morborum inveniendi hac ipsâ Synopſi exponit: Poſito enim qvod Sanitas ſit viventium propter functiones, Motus, Senſus, Generationis ſanitatem ex Nutritionis Sanitate dependere: *Nutritionis* verò ambiguitatem eſſe; qvum aliter de alimento externo; aliter de interno; aliter de ipſo habitu & auctione Corporis dicatur. *Cauſas Sanitatis* non in Nutritione qværi uti eſt habitus ſeu auctionis,ſed uti eſt alimentorum, qvorum iſta etiam eſt effectus. *Alimentum* verò internum eſſe vel *Novum* Chymi & Chyli nomine; vel *Vltimum* ſanguinei arterioſi & vaporoſi nervei; vel *Reſiduum* ab Vltimo, ſanguinei Venoſi & Chyloſo-Lymphatici diſcrimine. In Alimento externo remote, in interno novo & reſiduo propius, in Vltimo proximè Cauſas Sanitatis & Morborum reſidere,adeoqve omnes ad Vltimum eſſe reducendas. Poſtqvam Vltimi hujus temperiem ſecundum naturam indicavit, univerſim cauſas Sanitatis *in Originarias* & *Acceſſorias* dividit: oſtenſoqve qvantum momentum ſit in Originariis,à materno intra Vterum alimento, ad habitum & temperamentum corporis per omnem ætatem; *Cauſas Acceſſorias* ab interno alimento per ſe; per accidens verò etiam à reliqvis Hominis functionibus, motu, ſenſu, intellectu ac generatione, atqve ab externis qvibuscunqve obvenire,qvatenus

per

per hujuſcemodi adjumentum aut nocumentum iſti internæ præparationi & transportationi inferri poterit. Sed ut Methodi hujus illuſtrior eſſet ratio, qvomodo ultimum Alimentum proxima plurium functionum partibus morbi cauſa ſit, differit; Exceſſu *igneatum* particularum febris; *pituitoſarum* ac *aquearum* Cachexiæ & Hydropis; *acrium* & acidarum, Scorbuti nomine. Vti verò pluribus ſimul, ita etiam ſingulis functionibus ſeorſim idem morbi proximam eſſe cauſam; primùm qvid Nutritioni, ſeu habitui auctionive; hinc motui & ſenſui, adeoqve intellectui; tandem & generationi. Sed & ipſas functiones has ſibi aliqvando mutuo eſſe impedimento. Caput ultimum Synopſeos agit *de neceſſariâ partium Corporis humani per anatomen cognitione ad Sanitatem rectè intelligendam*: per anatomen, non tam *curioſam*, qvam *fructuoſam*, qvæ de actionibus partium pro ſingulis functionibus Nutritionis, Motus, Senſus & Generationis eſt ſollicita, oſtendendo, qvomodo ſecundum naturam ſe habeant; magis, qvomodo ſe præter naturam, in morbidis præcipuè Cadaveribus, habeant.

## REVALIAE

Die 16. Junii *Michaël Sigiſmundi*, Gymnaſii Reg. Reval. Rect. & Inſpector, Programmate publico invitavit ad audiendam Orationem, qvam in ipſo die natali Auguſtiſſimi Orbis Arctoi Monarchæ, CAROLI XII. qvi decimus ſeptimus hujus Menſis Junii erat dies, manuductore *Joh. Rud. Brehmio*, Eloqv. & Hiſtor. Prof. *Chriſtianus Bernhardus de* Drenteln habuit de qvatuor Regiis, Regi huic, inter alias maximè propriis Virtutibus, nempè *in Subditos benevolentiâ*, *vigilantiâ*, *Regni defenſione*, *& paternarum Virtutum imitatione*, ſub qvatuor hieroglyphicis ſc. *pelicani, gruis, gallinæ & phœnicis* præfiguratis. Programma ipſum conſtat 1. plag. in fol.

## BERGIS

*Continuatio Pii Deſiderii M. Severini Lintrupii de Selectioribus Eruditorum Opuſculis & Diſſertationibus Academicis ab interitu vindicandis.*

(vid. Menſ. præced. 185.)

Si ſuorum qvoqve Doctorum lucubrationes illuſtriora his ſociarent *Gymnaſia*, *Bremenſe* e. g. ſuorum *Crocii*, *Gurtleri*, C. *Haſii*, *Lampadii*, *Martinii*, *Mejeri*, *Schvvelingii*, *&c.* *Coburgenſe Eckhardi*, *Finckii*, *Kesleri*, *Seldii*, &c. *Gedanenſe Botſacci*, *Maukiſchii*, *Mochingeri*, *Molleri*, H *Nicolai*, *Roſteuſcheri*, *Schelgvigii*, *Strauchii*, *Titii*, *VVolffii*, *&c.* *Hamburgenſe* ſuorum *Anckelmanni*, *Edzardorum*, *Fabritii*, *Fogelii*, *Jungii*, *Mayeri*, *Mejeri*, *Vagetii*, *&c.* *Noribergenſe*, *Arnoldi*, *Dilherri*, *Heldii*, *Schröderi*, *VVülfferi*, &c. *Rigenſe Breveri*, *Dolmanni*, *Samſonii*, *&c.* *Stetinenſe* ſuorum *Crameri*, *Fabricii*, *Falckii*, *Grosſii*, *Micrælii*, *Schævii*, &c. Suorum deniqve & alia, qvæ longum foret recenſere omnia eruditorum meleremata e pluteis aut tenebris eruta, publicæ luci redonarent. Qvæ qvidem illuſtria certè omnia, ſed hodie proh inania fere ſummorum mortalium nomina ſollicito ſubinde oculo percurrens mirari facile deſino, perſpicacisſimum *Hottingerum*, *inſigne Bibliothecæ* κειμήλιον *exiſtimaſſe Collegium diſputationum inde à reformatione ad noſtra uſqve tempora deductum*; qvod ego certè ſi obtineri unqvam poſſet, vel ipſa qvantumvis *Maxima Patrum Bibliotheca*, nollem permutare. Tantò magis verò mirari illud vicisſim ſubit, qvòd cum ſuos omnes univerſim diſciplinæ repererint Curatores qvi in colligendis & conſervandis publico bono minutis aliorum laboribus nec operam nec ſumptum detrectarint; Suos *Hiſtoria civilis Freheros*, *Galéos*, *Goldaſtos*, *Lambecios*, *Leibnitios*, *Lindenbrogios*, *Loniceros*, *Maderos*, *Matthæos*, *Meibomios*, *Neſſelios*, *Paullinos*, *Piſtorios*, *Pithœos*, *Qvercetanos*, *Reineccios*, *Reubios*, *Schardios*, *Schandios*, *Schefferos*, *Spelmannos*, *Stephanios*, *Tnudenios*, *Urſtiſios*, &c. qvi varia priſci ac medii ævi monumenta e pulvere eruta & ſuis illigata voluminibus publicarint; *Suos Hiſtoria Eccleſiaſtica*, *Baluzios Beveregios*, *Bollandos*, *Caniſios*, *Coteletios*, *Dacherios*, *Grabios*, *Henſchenios*, *Janingos*, *Mabillonios*, *Moynios*, *Muraltios*, *Oudinos*, *Papebrochios*, *Zacagnios*, *&c.* qvi poſt tot laborioſos *Bibliothecæ Patrum Magnæ & Maximæ* compilatores, ceu meſſores perinduſtrios, diligentius reliqviarum Eccleſiæ veteris ſpicilegium inſtituerent; Suos literatura humanior *Critica Gruteros*,

qvi

qvi ſplendidam ex emortuis Criticorum cineribus *facem* accenderent, habitura etiam (ſi ſua promiſſo Cl. Auctoris diar. Berol. novi 697. p. 483. fides conſtiterit) qvi in pleniſſimo 9. *aut 10. voluminum theſauro Critico* propediem laborabunt, ſuos qvoqve trans Alpes *Gaudentios, Robertos*, qvi *Tomos Mucellaneorum Eruditorum Italiæ* non unos conſtiparint; ſuos Grammatica *Putſchios*, qvi *Grammaticorum veterum* Syntagma; ſuos *Græca Poeſis* R. *Bentlejos*, qvi ejus *reliqvias* congererent; Suos *Archæologia Romana & Græca* Theſaurios *Grævios & Gronovios*, qvi pretioſiſſima ex *Antiqvitatibus* utriusqve gentis inſtruerent Gazophilacia; Suos qvoqve *Themis* conſultos, qvi cultoribus ſuis *oceano juris* ex pluribus rivulis collecto, & *Tractatu tractatuum* conſulerent; Suos etiam *Medicina Bonetos, Clericos, Mangetos* &c. qvi locupletes in Philiatrorum gratiam *Bibliothecas Medicas, Anatomicas, Chymicas* &c. inſtruerent, nec defuerit deniqve qvi ex ludicris etiam Scriptoribus integrum adornarit *Sapientiæ Socraticæ Amphitheatrum*: Sola tamen ſacratior *Theologia* pauciores (ſi a ſumptuoſis *Criticorum Anglicanorum* Voluminibus ad pompam verius qvàm uſum, judicio M. *Meibomii* ap. *Benthomb Stat. Eccl. Holl.* P. 2. p. 378. *Leydekkeri* ib. p. 461. M. *Kempii* Bibl. Th. Angl. p. 19. *Tenzelii* A. 94. p. 679. comparatis qvidem diſcedas) hactenus repererit Piſiſtratos, qvi ſacra operarum Theologicarum fragmenta utiliori longè rhapſodiâ, qvam iſte apud Helianum, disjectas carminum Heroicorum reliqvias, in corpus redigerent, aut ſimilem ex aureis Theoſophorum lipſanis Theſaurum comportarent. Nec temere mireris Theologorum pauciſſimos adeo repertos φιλοςοργȣς, ut vel ipſi de proroganda his fœtibus ſuis vita conſilium inirent ſuperſtites, vel Amicorum curæ ſaltem ſeriò commendarent orphanos; pauciores vero pios Æneas, qvi decrepitos Anchiſas ac ſemiuſtulata Patrum Avorumqve membra ferali incendio ereptum eant & conſervatum, aut orborum fœtuum curam ſponte ſua ſuſcipere velint, poſthumisqve partibus manus adhibere obſtetricantes. Enimverò ſi qvid φιλοτιμία valet, præcipuus alioqvin ſcribaci ſæculo ſcribendi ſtimulus, non video, cur operam hanc, ſcripta majorum ab interitu retrahendi, ceu ingloriam, generoſæ ac bene de publico merituræ mentes debeant aſper-

 nari;

nari; cum univerſi tamen ſenatus eruditi ſuffragio, non minor eos gloria & laus maneat, qvi fœtibus aliorum eruditis obſtetricantur, qvàm qvi proprio Marte utiles ingenii felicis partus enitantur; Imo ſi Vaticano ſtandum Alexandri VII. e cathedra pronunciantis oraculo, ſi qvod aliud, ſane veridico, Card. *Bona* interprete ep. ad *L. Dacherium* ap. *Colomes* ad calcem *ep. Clem.* p. 229. *utiliorem præſtent operam Reip. liter. qvi eruendis e ſitu Bibliothecarum veterum lucubrationibus incumbunt, qvàm qvi novos cudunt libros, qvòd librinovi ſi qvid boni contineant, ab antiqvis mutuari ſoleant*; Ut nec πολυμαθ. *Morhoſium* piguerit teſte ejus *vita* p. 30. *Volumen orationum Panegyricarum a Viris eruditis ſparſim antehac editarum* colligere, aut ſimile, *ſelectiorum dedicationum corpus ex variis Auctoribus collectum* conficiendi aliis conſilium ſubminiſtrare Pol. l. 1. c. 24. p. 297. Complures verò majorem ſcripti unius alieni qvàm ſuorummet plurium editione gratiam atqve applauſum a publico reportarint, ὁ πολυφύλλητος ſane *Bekkerus* gratiorem Eccleſiæ operam ſua operum *Altingianorum*, qvàm proprii *de mundo faſcinato* ad *faſcinandum* orbem unicè comparati publicatione præſtiterit. Adde, qvòd immenſa tot voluminum mole ſaburratus ſub onere ſuo fere ἀβυσσάκτῳ dudum ingemiſcat orbis eruditus, ut metuendum videatur, ſi ita ſcripturire pergat, ὐδὲ ταυτὸν τὸν κόσμον χωρῆσαι τὰ γραφόμενα βίβλια Joh. 21. v. 25. nihilqve adeo reliqvum, niſi ut in ſpem futuræ oblivionis poſthac ſcriptitent eruditi; Niſi de conſervandis qvæ extant, priùs qvàm accumulandis hiſce aliis ſolliciti, eam a bonis literis fatorum violentiam averruncaverint, ſpemqve adeo & exemplum ſecuturis fecerint, ſperandæ vagis etiam chartis vitæ ac memoriæ; Qvam nullibi ſanè faciliori ſumptuum laborumve compendio, qvàm in his ipſis fecerint opuſculis ac diatribis eruditorum Academicis, qvippe & voracis ævi injuriæ obnoxiis maximè, & grata ſui amœnitate faciles ſibi emptorum lectorumqve animos conciliaturis. Qvantumvis enim erudita hæc piè literatorum excitamina, ut omnes Theologorum ἐξετάσεις tam γυμναστικὰς qvàm ſerias, campano, qvod ajunt ſupercilio deſpiciant & criſpan-

te

te naſo faſtidiant moroſi e lymphaticorum grege Catones, vel ad nudum disputationum nomen, ceu caput Meduséum obrigentes, ſerio jam olim elencho, hujus vel *ἀπαιδευσίας* vel *ἀκρισίας* nomine caſtigati a L. *Bacmeiſtero*, & M. *Hüe* pec. *de diſp. theol. tract. Theol. VVitt. in præf.* T. I. *diſp.* G. *Stampelio* in præf. *ὑποτυπ.* Theol. & pridem a Cel. *Carpzovio* in præf. cit. *Heideggero* in *vit. Fabrit.* p. 40. aliisqve ap. *Thurmannum Bibl. Acad.* p. 27. ſ. Qvantumvis etiam delicatulis e ſuperciliosa Criticorum natione, (qvam deſcribit Cel. *VVitſius Miſc. S.* T. 2. p. 946.) neſcio qva ſuæ *ϖανσοφίας* opinione ſuffarcinatis, ac ſolis ſibi ſapientibus, illæ minus ſapiant Academiarum deliciæ, ſagacioribus tamen doctarum lucubrationum ruſpatoribus atqve incorruptis eruditæ pietatis æſtimatoribus, ita ſe probarunt ſemper, ut multorum eruditorum, qvorum Bibliothecæ vix tot codices, qvot diſp. ſelectisſimarum volumina exhibent, *cum Scherzero* l. c. exempla nunqvam non liceat allegare; Spesqve proindè ſit indubia, collectas utiqve iis arriſuras, à qvibus fruſtillatim jam antea ac membratim editæ, pronis pasſim amplexibus exceptæ feruntur: Utiqve qvi multiplicem æſtimare didicerint utilitatem, qvam ex iſta collectione publicum ſibi posſit polliceri. Nam ut illam ſileri patiar gratam atqve amœnam materiarum elegantium varietatem, qvâ ita oculos animosqve curioſi Lectoris effaſcinant, ut avidius ferè evolvi gaudeant, qvàm qvæ continuo unius ejusdemqve argumenti ſtamine deducuntur; Ut non alii proindè rectiùs qvàm iſtiusmodi Miſcellarum Exercitat. Volumini ſcitum accommodetur *Dareſii* emblema ſymbolicum, volumini ſuo menſam præfigentis, dapibus variis gravidam, cum epigraphe: *Et variè tale placet*, additâ ratione, qvod ſcripta diverſis eruditionibus & peregrinis materiis, veluti totidem cibis, intellectus humani orexin mirificè provocent, apud *Picinellum mund. ſymbol.* l. 15. c. 16. Qvis non fateatur cum *Scherzero* præf. cit. *Multam & exqviſitam in ejusmodi lucubrationibus præ ceteris ſcriptis latere eruditionem, cocta, matura, digeſta, & putaminibus rejectis, ſelecta in iis omnia, diligentiam ſummam*, ſive qvod, dicente M. S. H. præf. ad faſc. S. Schmidii, *illarum Auctores fuſos aliorum conceptus compendioſè & veluti*

*συμφερτὴν ἀρετὸν*, *atqve in nuce Iliada exhibeant*; *ſive qvod ſummo cum ſtudio in iſta qvaſi peculiari palæſtrâ & arenâ decertarint*, & *materiam qvam tractant*, *ſolidè explicarint*, *conqviſitis undiqve iis qvæ ad ornandam iſtam Helenam facere posſint*, *atqve iſti proinde libelli haud raro omnibus numeris abſolutam Paſicompſen Lectoribus ſuis ſiſtant*; Atqve argumentum, qvod occuparunt penitus exhauriant, Matinæ inſtar apis colligentes, qvicqvid ullatenus eò creditur pertinere, qvæqve adeò vel dicta alibi ſunt, vel dici fuſè posſint, *ὡς συλλήβδην* repræſentent univerſa; Vnde *Höttingero judice* l. c. p. 5. *unâ ſæpè illorum pagella plus ſucci & bonæ frugis habeat*, *qvam ſpisſum chartarum volumen*, ac proindè *Voetio* cenſente *Bibl. Stud. Theol.* l. 2. S. 2. c. 2. p. 630. *accuratiores meditationes & conceptus qvorumvis Theologorum* tanqvam in tabella in iis intueri ſacratioris doctrinæ candidatus posſit. Adhæc, cum ea ferè in Theologis vel conſummatisſimis *χαρισμάτων* ſit *διαίρεσις*, qvam in Theologis olim Leydenſibus vita *Walæi* in *Bath. vit. ſel. vir.* p. 636. in aliis verò plurimis *Hottinger.* l. c. p. 370. obſervavit, fieri ſanè haud poterit, qvin qvod de Theologis disp. Salmurienſium Auctoribus notat *Gauſſenus diſſ. de Stud. Theol.* rat. p. 56. ſcilicet, *qvod cum in universâ Theologiâ eſſent ſubactisſimi*, *una tamen pars eſſet*, *in qvâ ſinguli excellerent*, *factum ſit*, *ut ea*, *cui qvisqve maximè idoneus eſſet*, *tractandis theſibus eligeretur*, aliis etiam qvotidiè videas uſu venire, atqve adeò accuratiorem argumenti cujuslibet tractationem ab iſtiusmodi lucubrationibus, judicio liberrimo, pleno ferè apparatu, magnoqve ſtudio (H. *Höpfnerum* Theol. Lipſienſem præſtantisſ. integrum ſæpè anni qvadrantem in una diſputatione elaboranda conſumſiſſe refert *Neumann. deſ. lect.* p. 10.) elaboratis, qvam aliis qvibuscunqve voluminibus, per ampliora rerum ſpatia, ſed inæqvali plerumqve apparatu diffuſis, tibi posſis promittere.

(Proximo, ſi Deus voluerit, Menſe, ultimam *Pii hujus Deſiderii* Continuationem dabimus.)

HAFNIAE

Die 16. Junii ſub Præſidio *Jacobi Friderici Borchmanni*, Re-

ſpon-

ſpondens *Johannes Schanch* Diſſertationem Hiſtorico-Criticam *de Liberis Expoſititiis* publicè in Collegio Medicéo ventilavit. (3. plag. in 4.)

Die 17. Junii Præſide *Torchillo Eraſmi Granovio*, *de Rhapſodiâ Sciagraphico-Apologeticâ ad Dormitationem Homeri*, *Georg. Chriſt. Fleiſcherus* in Collegio Medicéo diſputavit. (4. pl. in 4.)

Die 20. Junii Diſſertationem *primam de Odio Ægyptiorum in Paſtores*, Præſes *Philippus Julius Bornemann*, Reſpondente *Andreâ Henrico Krabbechio*, in Collegio modò dicto habuit. (2. plag. in 4.)

Die 21. Jun. *D. Bartholdus Botſaccus*, Diſputationem Theologicam, & *de Formulâ Liturgicâ: Surſum Corda*, qvartam & ultimam, Reſpondente *Olao Sletting*, propoſuit. (8. plag. in 4.)

Die 22. Jun. *Georgio Wellejo Laurentii* Filio Præſidis munus ſuſtinente, Reſpondens *Nicolai Spenſtrupius de Supplicio ſubmerſionis* ex Matth. XVIII. 6. diſſeruit. Diſſertatio conſtat 3½. pl. in 4.

Die 27. Jun. à *Martino Braem*, Reſpondente *Eraſmo Johannis Eilers*, Diſputatio qvarta & ultima *de Libertinis* in Collegio Medicéo ventilata fuit. (2½. plag. in 4.)

Cie 28. Jun. Præſide *Erico à Moinichen*, Reſpondens *Dionyſius Leth*, *de Vomitu & vomitoriis* diſputavit. (2. plag. in 4.)

## AALBVRGI

*Nicolaus Grimbergius* Med. D. & Practicus Aalburgenſis (cujus ſupra p. 51. mentionem fecimus) ſub manibus habet varios Tractatus tùm Medicos tum alios, publico olim, Deo volente, deſtinatos. Hos inter

*Encyclopedia Orbis* ſ. *Circulus omnium Doctrinarum*, 9. vel 10. plagas adimplens.

Antehac edidit:

1. *Obſervationes Curioſas Medicas*, Amſtelodami,

2. *Coſ-*

2. *Collectanea Balſamica contra putrefactiones ex Arbore Pini ac Abietis.*

3. *Obſervationes Medicas Anatom. Practicas, Deſcriptionibus qvorundam partium humanarum refertas, in qvibus omnia tàm Dogmaticorum qvàm Hermeticorum juxta certam methodum vel viam compendioſam, cùm magnâ ſedulitate per aliqvot annos deſcribuntur, cum Diætâ verâ, ac modicâ in alimento ac potu, ac de firmâ Sanitate.* Hafniæ, 1695.

4. Kurtze Beſchreibung des Nieren- und Blaſen-Steins/ das iſt/ gründliches Bedencken von beyder Natur und Eigenſchafften/ de materiali & efficiente, tam Diagnoſticis, qvàm Pathognomicis, nicht minder auch von dem Utero Dulech, und der Cura Prophylacticâ & Therapevticâ geſtellet durch *Nicolaum Grimbergium*, Med. D. Hafniæ, 1695.

Titulum Tractatus illius, qvem ſuperiori anno 1700. evulgavit vide ſupra pag. 51.

## KILONII

Ad diem 3. Junii, *Wilhelmus Hudericus* Waldſchmiedt/ Med. D. & Prof. Ord. *ad herbas ac plantas latè virentes*, oculis animisqve perluſtrandas, omnes Botanophilos & Phytologiæ Fautores ac Studioſos publico Programmate invitavit. (1. plag. in 4.)

Die 22. Junii Præſide *Gunthero Chriſtophoro Schelhammero*, Med. D. & in Academiâ Kilonienſi Prof. Primario, Ser. Ducis Cimbr. Gottorpienſ. Archiatro, Societat. N. C. Leopoldinæ Adjuncto, & in Italiâ Recuperatorum Socio, *Chriſtianus Vlricus Schreiber Exercitationum Medicarum Octavam, de Alimentorum Digeſtione* publicè ventilavit. (1. plag. in 4.)

Die 25. Junii Divinâ favente gratia, clementisſimis Auſpiciis Fridericianis, Præſide *Chriſtoph. Franckio*, S. Theol. D. & Prof. Primario, Serenisſimi Ducis Sleſvici & Holſatiæ &c. Pro-Cancellario in Acad. Kilon. & Conſiliario in Sacris primario, Diſputationem Theologicam *de Numero Sacramentorum N. T. & de Natura Sacramenti*, M. *Balth. Gerhardus Hannekenius*, Lubecenſis, publice defendit. (3½. plag. in 4.)

Die

Die 6. Julii Clementisſimis Sereniſsimi Principis Auſpiciis, Præſide *Nicolao Martini*, JC. & Anteceſſore primario, Ser. Ducis Sleſvici & Holſatiæ Conſiliario Juſtitiæ, Pand. & Philoſophiæ Civil. Profeſſ. Publico, Diſputationem Juridicam, *de in jus Vocatione*, publicè defendendam ſuſcepit *Joel Johannes Kortholt*, Kilonienſis Holſatus. (2. plag. in 4.)

## *Excerptum ex Literis Dn. Joh. Ludov. Hannemanni Med. D. & P. P. concernens Saccharum Salmaſianum.*

Occaſionem ad te ſcribendi dedit qvædam Epiſtola Num. XXXVIII. *Claudii Salmaſii* ad *Johannem Crojum in* Epiſtolarum Miſcellanearum Appendice, qvæ juncta eſt *Hotomanni* Epiſtolis. „*Saccharum* Veterum diverſum ab hodierno, ſicut Gummi in ipſa „arundine ſponte concreſcens reperiebatur,& dentibus erat friabi„le ſicutSal,& candidum &c.*Saccharum* noſtrum qvo utimur hodie, „factitium eſt, ex ſucco fit arundinis modicæ ac contuſæ expreſſo, „cocto & in eam formam qva videmus, coagulato. Facultates „porro utriusqve longe diſpares. *Saccharum* illud veterum re„frigerabat, ventrem ſolvebat, hoc contra ſiticuloſum eſt &c. Man„næ genus eſſe, ac de Cœlo ſuper arundinem delabi de ſuo *Saccha„ro* crediderunt, ac tradiderunt plerique antiqvorum, hodieqve „id genus *Sacchari* apud Indos & Perſas multo in uſu eſſe. Indi vo„cant *Saccharum Mambu*, qvia arundo in qva concretum invenitur, „ſic appellatur. Perſæ *Tabatin* appellant cum Arabibus. Inter„pretes Avicennæ & Serapionis *Spodium*. Evolvi Hyles jatrices Salmaſii *cap. LXXIX. p.* 108. 109. ubi prolixius mentem ſuam probat. Aſt, qvod pace tanti Viri dixerim, non credo id genus *Saccharum* adhuc dum extare, vel unqvam extitiſſe. Qvod ſi adhuc extaret, ex Perſia & India, ut noſtro *Saccharo* factitio nobilius & præſtantius, ditiores ad ſe perferri curarent. Aſt hoc de *Saccharo* apud Mercatores rerum Indicarum magnum ſilentium.

*Scholion Jo. Jac. Stolterfohti.* D.

Inter præclara illa Eruditi orbis Lumina *Salmaſium* & *Voſſium* literariam fuiſſe ortam digladiationem, an *Saccharum* noſtrum idem ſit qvod antiqvorum, notum eſt. Horum ille toto à ſe invicem Cœlo differre aſſerit in *Exercit. Plinian.* ad *Caj. Jul. Polyhiſtor. f.* 716. *ſqq. & 916. ſqq.* ubi *Saccharum* Priſcis celebratum ex arundine credit fuiſſe arboreæ magnitudinis, & *Mambu* ab Indis vocari; diverſos itidem notat utriusqve effectus, & præparandi modos. conf. ejusd. *Commentar. de Sacharo* p. 255. Mellis potius aut Mannæ fuiſſe ſpeciem credit juxta *Plin. H. N. Lib. XII. c. VIII.* ubi *Saccharum*, inqvit, *& Arabia fert, ſed laudatius India. Eſt autem mel in harundinibus collectum gummium modo candidum, dentibus fragile, ampliſſimum nucis avellanæ magnitudine ad Medicinæ tantum uſum.* *Tabaxir* vocatur Perſis, Arabibus & Turcis, qvi id mercimonii cauſa in ſuas regiones exportant, teſte *Garcia ab Horto Aromat. Hiſtor. L. I. c. XII. f. m.* 165. Pollicem Viro πολυμαθέστατῳ premit B. *Dn. D. Mich. Ettmüller. Colleg. Pharmaceutic. in Schröder. opp.* T. 1. *f. m.* 718. dum à ſe invicem differre ſcribit 1. *Materia.* 2. *forma.* 3. *modo præparandi* 4. *proprietatibus*, argumentis ſane pondere ſuo non carentibus. At ſi Anſeri licitum ſtrepere inter Olores, pace tantorum ſyderum aſſentirer eqvidem, *Saccharum* noſtrum omnino fuiſſe incognitum Veteribus & inuſitatum, qvia parandi artificium ipſos latuit, qvod ambabus forſan amplexi fuiſſent ulnis, crumenæ pariter augendæ & qvantitatis gratia. Qvod *Saccharum* de *Mambu* ſponte procreverit, in canna arboreſcente populo ingenti non abſimili, facile largimur *Garciæ ab Horto* l. c. ita ut ſingula internodia fiſſa lembunculum trium hominum capacem facile efficiãt. Sit itidem qvod ejusmodi Cannarum adhuc hodie ſint fertiles Fortunatæ, ut vult *Salmaſius l. c. f.* 916. Vidiſſe ſe arundines ex Medera in Hiſpaniam allatas qvibus ſaccharum parum accreverat, teſtatur *Joh. Langius L. I. Ep. LXIV. p. m.* 320. Duo cannæ ſacchariferæ fruſta inter rariora ſua numeravit B. D. *Olaus VVormius*, uti aſſerit *in Hiſtor. rer. rarior. f. m.* 141. ubi addit, qvod Indi ex ejusmodi arundine domos ſuas ædificent in *Terenate.* it. qvod in civitate *Bantam* cuncta ædium ſublicia ex hiſce cannis aſſu-

ſulatim diſſectis conſtent. Annon vero Cannæ pro Cœli terræ-qve varietate etiam magnitudine variare poſſunt? Si parvis magna componere licet. Malva noſtra humilis eſt, Indica vero qvam in hortis videmus, major & arboreæ proceritatis; neſcio tamen an ea propter viribus differant? ingenioſe pro more ſcribit *Dn. D. Thom. Bartholin. Cent. I. Ep. 2. p. m. 6.* conf. *Frider. Hoffmann. clav. Pharmac. Schröderian. L. IV. Sect. II. p. 597.* magis qvippe & minus, juxta illud Scholaſticorum, non variat rem. Crederemus proinde *Saccharum* iſtud veterum qvoad eſſentiam minimè à noſtro, ſed præparatione tantum differre. Sententiam hanc erudite probat *Dn. D. Georg. Chriſtoph. Mœllerus* in eleganti *Diſſert. Phyſico-Medic. de Sacchαro. c. 1. §. 6. ex Dioſcoride L. II. c. LXXIV.* (conf. *Matthiol. comment. ad l. c. f. m.* 313.) Plinio *H. N. Lib. XII. c. 8. Galen. L. VII. Simplic. cap. de Melle.* Dum noſtrum uſuale *Saccharum* ex ipſis cannis laborioſo magis artificio exprimitur, inſpiſſatur, inſpiſſatum denuo ſolvitur, & tandem in metas formatur. Antiqvorum vero præſtantior fuit medullæ arundinum ſacchariferarum pars, qvæ per cannarum rimas inſtar gummi concreſcens, aut ſalis modo candida, dentibus friabilis, arundinibus ſubtili ejus humiditate virtute ſolis conſumta, lentis, fabæ, aut ad ſummum Nucis avellanæ magnitudine & minori copia accreſcens, ſicca & coagulata reperiebatur. conf. *Joh. Lang. L. 1. Ep. LXIV. & L. II. Ep. XXXII. p. 637. Claud. Salmaſ. de Homonym. Hyl. Jatric. cap. LXXIX. & Fragm. de Saccharo p.* 255, ſqq. ubi imprimis p. 257. concedit qvod & Arabes *Sacchari* factitii genus cognoverint ante octingentos & plus annos jam conficį ſolitum, atqve ſic ſine ullo diſcrimine utrumqve, qvaſi nihil differant, in eadem lance compoſuerint. Ante Salvatorem natum morem hunc exprimendi ſuccum ex cannis ſacchariferis jam viguiſſe, patet ex his P. *Terentii Varronis Atacini* verſibus

*Indica non magna nimis arbore creſcit arundo,*
*Illius ex lentis premitur radicibus humor,*
*Dulcia cui neqveunt ſucco contendere mella.*

Conf. *Salmuth. ad Panciroll. L. II. Tit. V. p.* 126. qvamvis illud *Saccharum*

*rum* à Veterum *Tabaxir* ratione molis differre contendat *Salmaſius l.* c. Saccharum Veterum nondum plane interiiſſe, ſed adhuc in India Orientali nomine *Mambu*, ex ſucco circa genicula transſudare & ſponte concreſcere, credit & B. *Ettmullerus l. c.* at cur non Ditiores id ad ſe perferri curent: miror haud immerito cum Excell. *Neſtore* 2do, niſi forſan videant, qvod plus lucri redundet ex Cannæ tortura qvam nuda collectione ſucci ut ajunt, transſudantis, aut Mannæ de Cœlo ſupra arundinem delabentis. Hinc Saccharum commode dividi poſſe credimus cum *Dn. Mœllero l. c. cap. IV. p.* 15. in *nativum* & *factitium*: illud Veteribus fuit uſitatum; hoc iterum eſt duplex, *Antiqvorum* & *Recentiorum*; illud fiebat mera expreſſione, ut ſupra indigitatum, qvod potui eos deſtinaſſe ſcribit *Salmaſius de Sacchato f.* 257. hoc artificiale magis eſt & laborioſum, dum ex inciſis primum tuſisq; arundinibus ſaccharinus ſuccus exprimitur, qvi deinde coctus, deſpumatus, clarificatus, dealbatus, & in pyramides fuſus *Sacchari* apud nos nomen meretur. Conf. *Menard. L. II. Ep. XXII. Joh. Schröder. Pharmacop. Medico-Chimic. L. IV. Claſſ. II. p.* 748. *ſq. Frider. Hoffmann. Clav. Pharmac. Schröderian. L. IV. Sect. II. p. m.* 597. *Caspar. Hoffmann. de Medicament. officinal. L. II. c. XXIV. Thom. Bartholin. Cent. I. Ep. LIV. p.* 228. *ſq. Salmuth. ad Panciroll. L. II. Tit. V. p.* 127. *Dav. Spleiſſ. annot. ad Joh. Bapt. Zapat. Secret. Medico-Chirurgic. p.* 34. *Muſ. VVormian. f.* 142. *Klockius de ærario L.* 1. *c.* 14. *n.* 138. *Furer. in Itiner. p.* 43. *Petr. Andr. Matthiol. Comment. in L. II. Dioſcorid. f. m.* 313. *Megiſer. in delic. Neapolit. p.* 127. *ſqq. Chriſtoph.* Vielheuern Beſchreibung frembder *materialien p.* 147. &c. &c. Ratione *uſus* nativum *ſaccharum* præferendum eſſe factitio, cum acrimoniam qvandam, illud præſertim qvod refinatum vocamus, ex lixivio calcis vivæ acqvirat, credit *Mœller. l. c. cap. IV.* §. 15. at aliter ſentit J. *D. Thom. Saccharolog. P.* 1. *cap. IV.* dum maximam ejus partem iterum cum ſpuma aut ipſo ſyrupo, à dura & concreta *Sacchari* parte ſeparari docet. De uſu & abuſu *Sacchari & Saccharatorum* vid. B. *Dn. D. Mich. Ettmüll. l. c. f.* 719. *Georg. Chriſtoph. Mœller. l. c. cap. V. & VI. J. D. Thom. l. c. cap. VI. Joh. Bernhard. Gladbach. Prax. Med. p.* 207. & 475. *Jo. Jac. VValdſchmid. Ep. V. ad Dol. p. m.* 175. *Joh. Bapt. Zapat. Secret.*

*Medico-Chirurgic. p. 7. Dav. Spleiſſ. ad d. l. p. 34. Excell. Dn. D. VVedel. de Facult. Medic. L. I. S. I. c. III. p. 13. ſq. Amœnit. Mat. Med. L. I. S. I. c. VI. p. 25. S. II. c. III. p. 75. S. III. c. X. p. 200. Pharmac. Acroam. L. II. S. II. c. I. p. 271. c. II. p. 278.* conf. & *Disp. ejusd. de Dulcium natura uſu ac abuſu habit. Jen. 1694. Seb. VVirdig. Medicin. Spirit. L. II. c. XX. Hagendorn. Cent. III. Hiſt. Phyſic. Medic. XXIII. p. 310. Dn. D. Frider. Hoffmann. annotat. in Poter. p. 205. D. Dan. Crüger. M. N. C. Dec. II. A. IV. Obſ. IX. p. 26. 28. &c. &c.* de Canna *Saccharina* in Elephantis ventriculo germinante vid. Kircher. Sin. Illuſtr. *P. III. c. V.* conf. *Joh. Matth. Fabri Pilæ marinæ Anatom. Botanologic. in App. M. N. C. Dec II. A. X. p. m. 206. ſq.* de Alga Saccharifera *vid. Act. Med. Haffn. Vol. III. obſ. LXXXVIII. p. 165.* ſqq. *Obſ. XCIV. p. 172. Vol. IV. Obſ. LVI. p. 159.*

## HAMBVRGI

Die 4. Junii primâ vice prodiit *ſchedula, recens natorum, mortuorum, matrimonioqve junctorum Syllabum* exhibens, qvæ ſingulis hebdomadibus continuatur, eo propemodum modo, ut *Londini* & *Gedani* fieri refertur.

Die 23. Junii in locum *Julii Enoch Rolffſen* (de cujus vocatione ad D. Michaêlis ſupra menſe Febr. p. 58. mentionem fecimus) Paſtor Leproſorii(des Peſthofes) electus fuit *Chriſtianus* Hinſche/Hamburgenſis, S. Theol. Stud. qvi ſeveriori Ergaſtulo (dem Zuchthauſe) per qvadriennium ferè concionando præfuit. Concionem Valedictoriam Dom. VI. p. Trin. hic habuit ex Pſalm. CXVIII. 18. & die 5. Julii à *D. Joh. Friderico Mayero*, propter *Johannis Winckleri* abſentiam ad Paſtoratum ordinatus eſt.

Prélo Typographico liberatus eſt Tractatus ille *D. Jo. Frid. Mayeri*, cujus ſuperiori menſe Junio p. 190. meminimus, integer Titulus ita habet: *D. Jo. Frid. Mayeri*, S. Reg. Maj. Svec. Sereniſſ. Ducis Holſatiæ, & Reverendiſſ. Abbat. Qvedlinburg. Conſiliarii in Sacris Primarii, S. S. Theol. Profeſſ. & Facult. Theol. in Alma Kilonienſi h. t. Decani *Hiſtoria Verſionis Germanicæ Bibliorum D.*

*Martini Lutheri.* Accedit *Mantiſſa de Translationibus Bibliorum Germanicis, ante Lutherum, ſive editis, ſive ineditis; & Diſſertationes de Notis Veterum Biblicis.* Hamburgi impenſis Gothofredi Liebezeit, typis Nicolai Spiringii. (1. Alphab. 7. plag. in 4.) Hujus libri *Cap.* 1. agit, de initiis, progreſſu, & primâ Editione Verſionis Lutheri, item de duplici translatione Pſalterii à Beato Viro facta; *Cap.* 2. oſtendit, qvantâ accuratione, fide & induſtriâ in Bibliis transferendis verſatus ſit; qvorum ope adjutus ſit; qvibus Codicibus uſus fuerit Lutherus; *Cap.* 3. De ſecundâ Editione ſive Recognitione Verſionis à Luthero accuratâ. Retractiones ſive correctiones, qvibus ſe ipſe ſubinde emendavit. *Cap.* 4. De Diſtinctionibus Capitum, verſuumqve & gloſſis marginalibus, ad qvædam Verſionis loca appoſitis, & de illatis poſt mortem Lutheri in ejus translationem mutationibus tractat; *Cap.* 5. Editiones præcipuas Verſionis Lutheri, poſt ejus mortem vulgatas, additis vel notis vel commentariis, vel aliis verſionibus, vel ipſis deniqve fontibus Græcis & Hebræis recenſet; *Cap.* 6. Verſionem Lutheri in complures alias lingvas transfuſam eſſe, docet; *Cap.* 7. De iis, qvi Lutheri Verſionem laudibus extulere; *Cap.* 8. De iis, qvorum reprehenſionem Lutheri verſio incurrit, agit; *Cap.* 9. diſqvirit, utrum Lutherani, & qvousqve nefas exiſtiment à Lutheri verſione unqvam recedere? & num nova Verſione indigeamus? item de fide Laicorum in noſtris Eccleſiis, utrum ſolo nitatur Luthero? *Cap.* 10. De iis, qvi Lutheri Verſionis defenſionem in ſe ſuſceperunt, unà cum Generalibus ad defendendum, vel excuſandum B. Virum obſervationibus qvædam habet. His abſolutis *M. Joh. Reiskii* Epiſtola, de antiqvis Bibliorum Verſionibus Germanicis ad Auctorem ſcripta, nec non Diſſertationes aliqvot ſubjunguntur, harum 1. eſt de antiqviſſimâ Germanicâ Scripturæ S. Verſione. 2. De Verſionibus Germanicis Librorum ſacrorum ante Lutherum ineditis, ſive Manuſcriptis, in Bibliothecis adhuc deliteſcentibus. 3. De Codice Biblico Germanico Anno 1458. manu exarato. 4. De Verſionibus Scripturæ S. ante Lutheri tranſlationem impreſſis. 5. De Notis Biblicis Eccleſiæ-Patrum, Obeliſcis, Aſteriſcis aliisqve. 6. De Notis Biblicis Veterum ſenſum Scripturæ indicantibus.

Por-

Porrò etiam *D. Joſua* Schwartz Superintendens Generalis Regigius per Ducatus Sleſvicenſem & Hollaticum, edidit Tractatum Germanicum ſub hoc titulo: Wahrer Bericht vom Sabbath wieder *D. Francuci Burmanni*, Prof. Theol. in Utrecht, verteutſchten Falſchen/ welchen ein Prediger in Holſtein mit einer Vorrede und Laconiſmis Marginalibus, zu böſer Conſeqvence im Lande/ approbiret/ und durch den Druck kund gemacht hat. Altona gedruckt und verlegt durch Chriſtian Reymers/ 1701. (1. Alph. 3. plag. in 8.) *Tres* in hoc libro tractantur *Theſes*, qvarum I. eſt: *Vi tertii Præcepti omnes homines, omni etiam tempore, ad ſanctificationem ſeptimi poſt ſex dies profeſtos obligantur*. Hæc *Theſis* 10. argumentis è Scriptura S. item auctoritate Patrũ & Orthodoxorum Eccleſiæ Doctorum probatur, ab Exceptionibus Burmannianis & Comprobatoris etiam vindicatur. *Theſis* II. *Septimus dies, ſive Dies Dominica, ob ſanctiſſimas cauſas, ab omnibus hominibus eſt ſanctificandus*. *Theſis* III. *Dies ſeptimus, ſive Dies Dominica, cultus divini exercitio tàm in, qvàm extra cœtum ſacrum ſanctificetur*.

## LUBECAE

*Sebaſtianus Bacmeiſter*, Eccleſiæ Travemündenſis Presbyter anno ſuperiori, menſe ſc. Novembri, in novis literariis indicavit, ſe cum DEO velle edere *Hiſtoriam Academiæ Roſtoch.* ejus *Fundatorum*, *Ampliatorum* &c. atqve petiit qvam officioſisſimè à Viris literatis, ut qvorundam Profeſſorum, qvos tunc annotavit, βιογραφίαν ſecum communicare velint, pro qvâ benevolâ communicatione à qvibusdam factâ, gratias agit qvàm humanisſimas, atqve preces & promptum inſerviendi ſtudium omnibus offert. Jam iterum ſummis precibus à rei literariæ amantibus Viris contendit, ut priori gratiæ hanc addere, atqve ſeqventium virorum, in Academiâ Roſtoch. creatorum Doctorum βιογραφίαν, cum ſufficienti deſtituatur, ſecum communicare non graventur, faciunt ipſi tam gra-

gratum, qvam qvod gratiſſimum, & qvovis officiorum genere hoc demereri ſtudebit.

*Creati in Theologiâ Doctores & Licentiati.*

Nicolaus Baringius, apud Hannoveranos Paſtor, Licent. 1645.
Nicolaus Philippus Beutherus, Argentinenſ. Licent. 1587.
Balthaſar Bleccius, Gedanenſ. apud Sedinenſ. Paſtor, D. 1690.
Johan. Corfinius, Roſt. Paſtor Hamburg. D. 1651.
Henricus Clingius, Roſt. S. Theol. Prof. deſignat. Licent. 1648.
Esdras Ezhardi, Hamburg. Licent. 1656.
Johannes Faber, Argentinenſ. in patriâ Prof. & Paſtor, Lic. 1591.
Joachimus Fabricius, Lindoa-Marchiacus, apud Sedinenſ. Paſtor Cathed. D. 1651.
Matthæus Flegius, Roſt. Prof. & Paſtor Gryphisvvald. D. 1594.
Phil. Henr. Friedlibius, Oſnabrug. apud Stralſund. Paſtor. D. 1637.
Andreas Fromme, Wuſterhuſa-Marchicus, Eccleſiæ Sveco-Colonienſ. ad D. Petri Paſtor, Licent. 1651. factus Apoſtata.
Mento Gogrenius, Argentinenſ. Licent. 1573.
Jacobus Helvvigius, Berolini ad D. Mariæ Eccleſiaſtes, Licent. 1663.
Henricus Heshuſius, Superintend. Hildeſienſ. D. 1594.
Samuel Hofman, Miſnicus, Eccleſiar. Berolinenſ. Præpoſitus. D. 1644
Johan. Georg. Hofman, Cuſtrinenſ. Paſtor ædis primar. D. 1696.
Valerius Jaſchius, Colberga-Pomeranus, Conſiſtorii Elect. in Pomeraniâ orientali & Principatu Camminenſi Adſeſſor. Lic. 1667.
Johan. Laterman, Coburgo-Francus, in Acad. Regiomont. Prof. D. 1647.
Jacobus Henr. Lochner, Noribergenſ. Superintend. Bremenſis, D. 1686.
Stephanus Maſius, VViſmarienſ. Licent. 1667.
Balthaſar Masqvedelius, Sereniſſ. Danorum Reginæ Concion. D. 1595.
Eraſmus Marbachius, Argentin. Licent. 1573.
Andreas Morichius, Duderſtad. Licent. 1575.
Gerhardus Mohrmann, Hamb. Licent. 1663.
VVolfgangus Periſterus, Boruſſ. D. 1564.
Nicolaus Petræi, Huſenſis, Diœceſeos Ratzeburg. Superint. D. 1600.

Jo-

Johan. Reinboth, Ducis Holſatiæ Concion. & Superint. D. 1645.
Elias Sigismundus Reinhard, Hala-Saxo, tum Eccleſiaſtes Berolin. Lic. 1650.
Fridericus Rungius, Paſt. Eccleſiæ & Prof. illuſt. Pædagogii Stetin. D. 1594.
Cyriacus Simonis, Luneburg. Superintend. Hamburg. D. 1575.
Juſtus Valentinus Steman, Hamburg. Arcis Coronoburg. Paſtor. Lic. 1667.
David Tancke, VViſmarienſ. Licent. 1619.
Jacobus VVinnimer, Stetinenſ. ad D. Jacob. in Patriâ Paſt. D. 1690.
Gothofred. VVeiſius, Superintend. Luneburg. D. 1695.

*Creati in Jure Doctores & Licentiati.*

Henr. Albrechtus, Lubec. Licent. 1590.
Fridericus Amſel, Roſt. Licent. 1681.
Thomas Amſel & Johan. Amſel, Fratres germani, Roſt. D. D. 1694.
Georgius Amſel, Roſt. D. 1697.
Levinus Battus, Roſt. D. 1630.
Joach. Georg. Balcke, Parchimenſ. Mecklenb. D. 1653.
Johan Adolph. Barckhauſen, Hervord. VVeſtph. D. 1650.
Chriſtophorus Balcke, Parchimenſ. D. 1687.
Henricus von Bergen/ Livonus, Ducis Ulrici Megapol. Conſiliarius, D. 1590.
Johan Beſelin, Roſt. D. 1662.
Joh. Chriſtian de Behr. Holſat. Lic. 1677.
Henric. Bergman, Hervord. VVeſtph. D. 1611.
Johan. Bergman. VViteberg. D. 1611.
Eberhardus von Berg/ Roſt. D. 1681.
Johan von der Becke/ Minda-VVeſtph. D. 1679.
Frider. Berlichius, Lipſienſis, Miſnicus, D. 1630.
Petrus Brone, Büzovienſis, D. 1586.
Ulric. Bötticher, Chilon. Holſatus. D. 1611.
Johan. Gothard. Böckelius, Lub. Lic. 1671.
Henric. Bullius, Syndicus Mindenſ. D. 1574.

Johan Bünſavv, D. 1586.
Joach. Carſtens, Qvedlenburg. D. 1630.
Joach. Frider. Carſtens, Lub. Lic. 1662.
Martin. Chemnitius, D. 1623.
Hieronymus Coch. Roſt. D. 1655.
Daniel Conradi, Ultza Luneburg. D. 1653.
VVilhelm. Clericus, Sundenſ. Pomeran. D. 1596.
Caſp. Coccius, Bilefeldenſ. Syndic. civitat. Hamelenſ. D. 1580.
Henricus Corſei, Lemgovio-VVeſtphal. D. 1606.
Franciſcus à Cornick, Hagienſ. D. 1579.
Volſcher. Coornhart, Batavus. Lic. 1574.
Johan. Cruſius, Islebienſ. Lic. 1574.
Fridericus Cothman, Roſt. D. 1633.
Johan. Daleman, Sundenſ. D. 1594.
Reinholdus Detlof, D. 1623.
Eberhardus Deichman. D. anno eodem.
Henricus Engenhagen/ Lubec. Lic. 1681. & D. 1689.
Caſpar Ellerhus, Roſt. D. 1685.
Auguſtin. Henricus ab Eſſen, Hamb. Lic. 1687.
Bernhardus Faul, Licent. 1650. & D. 1653. Roſt.
Daniel Fiſcher, Lubec. D. 1671. poſtmodum Coſ. Roſt.
Johan. Gerſeus, Mindenſis, D. 1609.
Reinhold von Gehren/ Boruſſus-Regiomont. D. anno eod.
Henningus Georgu, Hamburg. D. 1636.
Franciſcus Marqvardus Gerdes, Roſt. D. 1671.
Balthaſar Gloxin, Femaria-Holſatus. D. 1633.
Johan Grube, Lubecenſis, D. anno eodem.
Joachim. Henricus Gröning. VVismar. D. 1697.
Johan. Henricus Göttel, Zittovienſis, Licent. 1687.
Johan. Georg. Gutzmer. } Roſtoch. Fratres D. 1673,
Caſpar Henr. Cutzmer. } D. 1681.
Johan. Grym, Pomeranus, & Ducis Pomeraniæ Conſiliarius. D. 1589.
Johan. Albertus Gryphius, Sverinenſ. Megapolitanus. D. 1594.
VVolfgangus à Hane, Hallenſ. Licent. 1584.

Chri-

Chriſtophorus ab Hagen, Butzovienſ. D. 1596.
Michael Hagemeiſter, Guſtrovienſ. D. 1633.
Melchior Hanſen, Slesvicenſ. D. 1664.
Caſpar Haberman, Jeverâ-Friſius, D. 1668. poſtmodum jur. Profeſſ.
Henricus Haſſert. Licent. 1667. hodiè Synd. & Conſ. Anclam.
Michael Hauſman, Paſvvaldenſis. D. 1586.
Jacobus Hein, Roſt. Lic. 1590. & D. 1594.
Albertus Hein, Roſtoch. D. 1596.
Fridericus Hein, D. 1623.
Albertus Hein, Junior, D. 1630.
Balthaſar Heldt, Ditmarſus. D. 1689.
Johan. Henningius, Holſatus, Synd. civit. Chilonienſ. D. 1655.
Johan. Chriſtophorus von Hillen/Guſtrovienſ. D. 1650.
Johan. Hintz/ Regiomont. D. 1614.
Eberhard. Hüberinus, Verdenſ. D. 1617.
Johan. Henricus Hübſch/ Budiſſ. Luſat. D. 1667.
Johan. Chriſtoph. Huſvvedelius. D. 1650.
Arnoldus Kemener, Stadthagenſ. Lic. 1574.
Bartholdus Kichler, Brunſvvicenſ. 1587.
Fridericus Klatte, Cellenſ. D. 1643.
Balthaſar Klatte, Cellenſ. D. 1653.
Chriſtianus Klein, Roſt. D. 1657.
Johan. Knegendorf, Roſt. 1681.
Lucas Koch, Secretar. tum Ducis Guſtrov. D. 1661.
Joach. Köckertus, VVismar. D. 1695.
Henricus Konavv, Roſt. Lic. 1682. & D. 1689.
Nicol. VVilhelmus Kruggert Megapolitan. Licent. 1682.
Jacobus Sebaſtianus Laurenberg, Roſt. D. 1697.
Hermannus Lembke, Roſt. D. 1653.
Jacobus Lembke, Roſt. D. 1674.
Chriſtophorus von der Lippe/Roſt. D. 1610.
Gerhardus Ligarius, Friſius. D. 1633.
Eberhardus Lotmannus, Licent. 1563.
Bernhardus Ludeking, VVeſtphalus. D. 1650.

Joachimus Luſſovius, Roſt. D. 1636.
Nicolaus Balduinus, Mancofort. Osnabrug. Rev. Capit. Osnabrug. Syndicus. D. 1653.
Theodorus Mejer, VVeſtphalus, D. 1590.
Auguſtus Mejer, Saxo, Canonicus Lub. D. 1657.
VVilhelmus Marſtaller, Cellenſis, Conſiliar. Principis Stetin. Ulda-rici. D. 1611.
Laurentius Arnoldus Meinhard, Guſtrov. D. 1667.
Johan. Mitzel, Stralſundenſis. D. anno eodem.
Johan. Mollerus, Roſtoch. Juris in regia Hafnienſi Academiâ Proſeſſ. D. 1650.
Johan. Möller, Flensb. Holſatus. D. 1674.
Hajo à Neſſa, Friſius. D. 1590.
Fridericus von Neſſen/ Roſt. Syndicus Colberg. D. 1655.
Johan. Neubaur, Buzov. Megapolit. D. 1641.
Joachimus Neoclejus, Roſt. D. 1601.
Martinus Nigrinus, VVoldenburg. Francus. D. 1596.
Martinus Nordanus, Lubec. D. 1590. poſtea Syndicus Lub.
Johan. Ortgiß/ VVeſtphalus. D. 1594.
Chriſtian Ohm, Roſt. D. 1609.
Theodorus ab öſeden, D. 1623.
Georgius Plate, Roſt. Lic. 1574. & D. 1586. Syndic. VVism.
Nicolaus Papke, Roſt. D. 1602.
Theodorus Plönnies, Lubec. D. anno eodem.
Elias Perottus. Lemgovienſ. D. 1596.
Chriſtian. Henr. Poſtelius-Freiburgo-Bremenſis. Lic. 1683.
Bernhard. Qverus, Bremenſ. D. 1596.
Joachimus Reimarus Lic. 1563.
Joach. Reimarus, Roſt. D. 1596.
Otto Nicolaus Keppenhagen/ Sverinenſ. Mecklenb. D. 1662.
VVulbrand Adolph. Robbigius, VVeſtphalus, Fiſcal. Luneburg. D. anno eodem.
Lucas Conrad. Schaffshauſen/ VVitebergâ-Saxo-D. 1651.
Nicolaus Scharffenberg/ Roſt. D. 1614.

Ca-

Caſparus Schwartzkopff/VVismar. D. anno eodem.
Henricus Sibrand, Roſt. D. 1630.
Hermannus Sibrand, Roſt. D. 1674.
Gerhardus Schepeler, Nesburgo-Lüneburg. D. 1645.
Joh. Henr. Stephani, Sonneberg. March. D. 1674.
Simon Andr. Stemvvede, Sverino-Megapol. D. 1681.
Joachimus Gothofredus Stemvvede, Sverinenſ. D. 1689.
Eberhardus Schnal, Norda-Friſius Orientalis. D. 1630.
Albertus Schönlavv, Paderbornenſis, D. 1613.
Bernhardus Solovius, D. 1623.
Henricus Sültman, Roſt. D. 1633.
Conradus Schuckmannus, Roſt. D. 1650.
Henricus Schnitler, Roſtoch. D. anno eodem.
Johannes Schultze/ Guſtrovienſ. D. 1655.
Thomas Schmidt/ Roſt. D. 1657.
David Matthæus Schütze/ Guſtrov. D. 1692.
Matthias Schröder/ Roſt. Lic. 1664.
Johan. Chriſtianus Suſterman/Hildeſienſ. D. 1667.
Nicolaus Theophilus, Holſatus Flensburg. D. 1569.
Martinus Tancke, VVismarienſ. D. 1596.
Daniel Telsſius, Regiomont. Boruſſus, D. 1641.
Andreas Thurovius, Gedanenſis, D. 1653.
Theodorus Varmejer, Oſnabruggenſis. D. 1617.
Johan. VVegener, Roſt. D. 1641.
Eberhardus VVeidenkopff, Spirenſis. D. anno eodem.
Johan. Georgius VVeidekopff, Roſt. Lic. 1688.
Nicolaus VVeſſelius, Pomeranus Sundenſis. D. 1600.
Auguſtus VVigand, Islebienſis. Lic. 1687.
Hermannus VVilmſen, Roſt. D. 1594.
Fridericus VVillebrand, Roſt. D. 1630.
Chriſtophorus VViegers, Hamburg. Lic. 1679.
Simon VVolderus, Pomeranus, Conſil. Duc. Henrici Luneb. D. 1594.
Antonius VVolderich, D. 1623.
Reinholdus VVulraven, Hamb. Lic. 1574.

Johan. Bernhardus Zinzerling, Sternberg. D. 1662. poſtmodum Humanior. Prof.
Joachimus Zinck, VVismar. D. 1689.

*Creati in Medicinâ Doctores & Licentiati.*

Petrus Arlenius, Geldrus. D. 1587.
Henricus Anhalt, Perlebergenſis March. D. 1695.
Joh. Belovius, Roſtoch. D. 1628.
Henricus Campherbachius, Lubecenſ. D. 1606.
Nicolaus Dosſius, Roſtoch. D. 1587.
Jacobus Adolphus Fabricius, Stadenſis. D. 1620.
Salomon Fiſcher, Lüpſia-Megapolitanus. D. 1635.
Johan. Joachimus Friccius, Brunſvvicenſis, D. 1658.
Petrus Götzius, Grabovienſis Megapol. D. 1647.
Chriſtophorus Heinichius, Roſt. Lic. 1579. & D. 1587.
Henricus Haſelbergius, Roſt. D. 1625.
Antonius Hertzberg, Wismarienſis. D. 1632.
Johannes Heling, Luneburga-Saxo. D. 1635.
Fridericus Helvvigius, Colonienſis Marchicus. D. 1667.
Albertus Kirchovius, Osnabruggenſis. D. 1623.
Chriſtophorus Knovenagel, Roſtoch. D. 1628.
Georgius Krugius, Iſennaco-Thuringus. D. 1635.
Wilhelmus Laurembergius, Bergenſis. D. 1587.
Wilhelmus Laurembergius, Roſtoch. D. 1628.
Chriſtianus à Lengercke, Osnabruggenſis. D. 1623.
Valentinus Löber, Erforta-Thüringus. D. 1658.
Georgius Loſſhagen, Lectinenſis Marchicus. D. 1698.
Johan Mollingerus, Illuſtr. Princip. Lüneburg. Medicus. D. 1579.
Michael Neucrantz, Roſtoch. D. 1606.
Johan. Neucrantz, Roſtoch. D. 1627.
Bernhardus Olderman, Roſtoch 1606.
Adamus Orthmannus, Parchimenſis, D. 1632.
Petrus Pauvv, Amſtelodam. D. 1587.
David Randovius, Roſtoch. D. 1589.
Georgius Frider. Rallius, Damma-Pomeranus. D. 1658.

Ger-

Gerhardus Matthias Röhr, Hamb. D. 1698.
Henricus Saelius, Amersfort. D. 1589.
Henricus Starcke, Hervordienſis. D. 1635.
Joachimus Schelen, Roſtoch. D. 1625.
Stephanus à Schönfeld, Hamburgenſis. D. 1589.
Chriſtianus Smilovius, Roſtoch. D. 1625.
Wilhelmus Schmidt/ Luneburg. D. 1627.
Sigismundus Stuben, Wola-Sileſius. D. 1625.
Fridericus Tieffenbach, Neorupinenſ. March. D. 1671.
Martinus Troſt, Gubena-Luſatus. D. 1625.
Joachimus Urſinus, Stolpenſis, D. 1606.
Georg. Wende, Stargard-Boruſſus. D. 1658.
Georg. Wolfius, Sedin. D. 1632.

Vellet & *Bacmeiſterus* addere nomina qvorundam clarorum Virorum, qvi in Academiâ Roſtoch. gradu Magiſterii ornati, ut illorum βιογραφίαι ipſi qvoqve impertirentur; verum cum iſtorum Virorum nomina adhuc ipſi ignota, differre inſtitutum cogitur, obnixè petens à Viris eruditis, qvoniam in hiſtoriâ ſuâ Academiæ Roſtoch. peculiare caput conſtituit *de Viris claris natione Roſtochienſibus, qvi variis in locis Eccleſiis, aulis Regum ac Principum, & Rebuspubl. magnâ cum laude inſervierunt, & adhuc ſerviunt*, ut illorum nomina cum brevi βιογραφίᾳ ipſi indicare non graventur, qvorundam nomina jam ſuperius inter creatos in Theologiâ, jurisprudentia & Medicinâ Doctores annotata, & ſeqventium nomina ipſi occurrunt

Samuel Banſovius, Roſtoch. J. U. D. & ſupremi Conſiſtorii in Ducatu Würtenbergenſi Adſeſſor.
Joachimus Banſovius, Roſtoch.
Henricus Bacmeiſter, Roſtoch. J. U. D. & Syndicus Lüneburg.
Johan nobilis de Bacmeiſter, Roſtoch. S. Cæſareæ Maj. & illuſtriſſ. Ducis WWürtenbergici Conſiliarius, nec non Svevici Circuli Syndicus.
Matthæus Dedericus Bacmeiſter, Roſtoch. Med. D. & PracticusLub.
M. Conrad. von Bergk/ Roſtoch.
*Bartholom.* Coppenius, Roſtoch. Theol. Heidelberg. Calvin.

Mi-

Michael Cordes, Roſt. Paſtor Parchimenſis.
Johannes Corfinius, Roſt.
Fridericus Corfinius, J. U. D.
Bernhard. Corfinius, J. U. D. Roſtochienſes.
M. Johan. Corfinius, Roſtoch. Cos.
Joachimus Hausmannus, Roſtoch.
M. Petrus Hinckelman, Roſtoch. ad D. Jacobi Eccleſiaſt
Nicol. Dobbin, Roſt. J. U. D.
Albert. Dobbin, Roſt. J. U. D.
Johannes Kellerman, Roſtoch. Cos.
Chriſtianus Kellerman, Roſtoch.
Petrus Lindebergius, Roſtoch.
Henricus Lipſtorpius Roſtoch. Med. D. & Practicus Lub.
Nicolaus Möllerus, Roſtoch.
Paulus Neucrantz, Roſt. Med. D.
Michael Neucrantz, Roſt. Med. D. & Phyſ. Lubec.
M. Jonas Nicolai, Roſtoch. Paſt. Eccl. Cathedr. Lubecæ.
Fridericus Pauli, Roſtoch.
David Reutzius, Roſtoch. Concion. aul. Stetin.
Daniel Spalchaverus, Roſtoch. Superint. Stendalienſ.
Hermannus Schlorſius, Roſtoch.
Franciſcus Parcovius, Roſt. Med. D. & Prof. Helmſtad.
Joachimus VVendt, Roſt. Paſt. Eccl. Cathedr. Lub.
Henricus VVendt, Med. D. & Phyſ. Lub.
Johan. VVichman, Roſt. Paſtor Bützov.
Nicolaus VVinichius, Roſtoch.
Bernhardus VVolderus, Roſtoch.
Adolphus nobilis de VVolfrath, Roſtoch. S. Cæſareæ Maj. & Sereniſſ. Electoris Colonienſ. Conſiliarius.

Ut igitur plurium natione Roſtochienſium clarorum Virorum nomina cum βιογραφίαις ſignificentur, anxiè deſideratur & ſubmiſsè rogatur.

# NOVA LITERARIA
## MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS,
*Edita Menſe Auguſto M DCCI.*

### WISMARIAE

Die 6. Jun. vale huic vitæ dixit *Antonius* Scheffel/ S. R. M. Sveciæ Summi, qvod ibidem eſt, Tribunalis Aſſeſſor, & Conſiſtorii Regii Director. Natus is eſt VVismariæ A. 1635. d. 9. Jun. Patre *Adamo* Scheffel/ Reip. illius Senatore. Sub diſciplina primum privata *Gerhardi Alphuſii*, deinde publica in Lyceo patrio literis excultus, *Stetinenſe* petiit *Pædagogium*, in qvo & Muſas humaniores cum cura tractavit, &, deguſtata medendi arte, in ſtudium Jurisprudentiæ toto pectore incubuit, & eos in hoc fecit progreſſus, ut diſputationem *de Emtione & Venditione* proprio Marte elaboratam, ſub Præſidio D. *Sithmanni* publicè defenderit. Inde in Academiam ſe contulit *Helmſtadienſem*, & ab ore *Conringii* imprimis & *Eichelii* ſedulo pependit, hisqve, ut reliqvis Doctoribus, ingenii ſui elegantiam & ubertatem, pariter & induſtriam mirum in modum probavit. Hanc mutavit cum *Altdorffina*, ibiqve *Felvvingerum*, *Ludvvellum*, *Rittershuſium*, *Cregelium* aliosqve aſſidue audivit, ſimul & in ſui amorem pertraxit. Mechanicarum vero artium ſtudio incenſus, *Norimbergam* ſalutavit, ac inſignem prorſus earum notitiam ſibi comparavit. A. 1659. facto ante per Bavariam, Comitatum Tyrolenſem & Sveviam itinere, inibi ſolenni diſputatione, Præſide D. *Ludvvello*, *Juris Communis & Lubecenſis circa materiam Succeſſionum Collationem* propoſuit. A. 1661. Menſe Junio, ſine Præſide Inauguralem *de Jure Ætatis* habuit hac ipſa in ſede literarum diſputationem pro Gradu Doctoris in utroqve Jure obtinendo, qvem ſeqventi Menſe Octobri, poſt peregrinationem Germanico-Belgicam in patriam redux, adeptus eſt. Ex eo tempore non una dignitate in illa ſua patria fulſit. Nam A. 1662. inter Procuratores & Advocatos Summi Regii Tribuna-

lis fuit cooptatus, A. 1663. ſpartam Conſulis nactus, A. 1667. Conſiſtorii Regii, tunc primùm erecti, & A. 1672. prælaudati Summi Tribunalis Aſſeſſor conſtitutus. Occupata A. 1675. a Danis urbe, indulgentia Potentiſſimi Svecorum Regis, & manſit illic loci, & ab A. 1677. iterùm *Conſulis Senioris* munere functus eſt, donec, Wiſmariâ A. 1680. Svecis redditâ, ad priſtinum Aſſeſſoris officium rediit, cui, ut ante aliis, usqve ad diem fatalem multa cum laude prudentiæ, juſtitiæ, dexteritatis & ſolertiæ præfuit. Ex Conjuge A. 1697. d. 25. Jun. defuncta ſuſcepit tres filios, *Johannem Adamum*, J. U. L. Judicii Aulici, qvod Stadæ eſt, Aſſeſſorem & Syndicum Buxtehudenſem, A. 1692. pia morte extinctum; *Antonium*, Regii Conſiſtorii Wiſmarienſis Secretarium, & Reip. Senatorem, & *Henricum Guſtavum*, Conſiliarium Mecklenburgenſem, & duas filias, *Catharinam Magdalenam*, *Chriſtophoro Gröningio*, J. U. D. & Regii Tribunalis Wiſmar. Procuratori & Advocato, & *Margaretam*, *Hermanno Chriſtophoro* Schlaffen/ ejusdem Tribunalis Protonotario, in matrimonium collocatas.

## ROSTOCHII

*Jo. Fecht*, S. Theol. D. ejusdemqve P. P. Conſiſtor. Ducalis Aſſeſſor, uti & Diſtrictus Roſtoch. Superintendens, edidit Menſe Julio B. *D. Chriſtoph. Schomeri Exegeſin in Epiſtolas S. Pauli ad Hebræos, Jacobi, & Partem prioris Petri*, cui præmiſit præfationem ſuam *de Academicorum Doctorum circa interpretandas S. Literas & inſtillandum inde tùm ſacrorum notitiam, tùm animi pietatem officio*, ſimulqve Programma qvoddam *de particulari defunctorum pro vivis interceſſione* adjecit. Typis & ſumtibus Joh. Wepplingii, Acad. Typogr. 1701. (1. Alphab. 4. pl. in 4.)

Die 26. Julii idem *D. Jo. Fecht*, conſtitutus Pro-Rector Programma publicavit in exeqvias filiæ natu minimæ Rectoris nunc Academiæ *D. Joh. Jacobi* Schöpffers/ Codicis P. P. Conſiſtoriiqve Aſſeſſoris & Comitis Pal. Cæſ. uti & FCtis Jurid. Pro-Decani (1. plag. in 4.)

M. Ge-

*M. Georg. Fridericus* Nieheneck / Roſtochienſis, S. Theol. Baccalaureus, ſuprà ſæpè laudatus, Typis Wepplingianis ſubjecit Germanicum ſcriptum, ſub titulo: *Terminiſta Convitiator*, qvo *M. Zachariæ Grapii*, Phyſ. ac Metaph. Prof. Publ. & Archi-Diaconi Jacobæi Concionem Pœnitentialem Von der verſäumten Gottes Gnade, ex Rom. II. 1-11. habitam (de qva ſupra p. 4.) defendit contra M. *Joh. Sigismundi Beſſerizii* convitia, in gratiam D. *Rechenbergii* in M. *Grapium* fuſa, ſub titulo: Schrifftmäßige Prüfung Hn. M. Grapii Buß-Predigt.

## STRALESVNDAE

Typis Mederianis exſcriptum eſt *Antidotum Chiliasmi*, ſive, *nova, ſed genuina & ſolida Reſurrectionis primæ & Millenarii* Cap. XX. *Apoc. explicatio*, qvam omnibus S. Scripturam legitimè ſcrutantibus dijudicandam ſiſtit *Joh. Franck*, Mecklenburgenſis, P. Baggend. in Pom. occid. 1701. (4. plag. in 4.) Poſtqvam *Auctor* Apocalypſin Johannis præter Exordium duas partes, *Epanorthoticam* & *Propheticam* continere, atqve hanc, qvæ *& in tempore*, *& in æternitate* exſpectanda ſint, explicare, & illa *prolixè Cap.* IV. 19. *Synopticè* verò & Κεφαλαιωδῶς *Cap.* XX. doceri oſtendit; modò dictum *Cap.* 20. duo membra habere aſſerit, qvorum alterum *de Eccleſiæ ſtatu usqve ad extremum diem*; alterum verò *de Judicio extremo* agat. Miſſo poſteriori *prius* conſiderat, & qvidem ita, ut I. *De Periodis temporis, qvibus molimina Draconis graſſantis*, *ligati & ſoluti includuntur*. II. *De Rebus ſimul currentibus qvæ* v. 4. 5. 6. *habentur, agat*, & III. *Specialem explicationem addat*, ubi non ſolùm exponit, qvomodo ſingula intelligenda, & qvomodo Prophetiæ eventus reſpondeat; ſed etiam Tabulam, ſtatum Eccleſiæ ſub Periodis Draconis ligati & ſoluti ὡς ἐν συνόψει exhibentem, Paraphraſi adjectâ, proponit.

Porrò Tractatus qvidam breviſſimam tam veteris qvàm modernæ Hiſtoriæ Livonicæ delineationem, ut & Regiminis mutationes, nec non veriſſimam deſcriptionem noviſſimæ Polonicæ atqve Moſcoviticæ irruptionis continens, in publicum prodiit ſub hoc titulo: Neu-

eröffnetes Lieffländiſches Theatrum, vorſtellend eine kurtzgefaſte Erzehlung der Lieffländiſchen alten und neuen Geſchichte und Regiments-Veränderungen; Allermeiſt aber die warhafftige und ausführliche Beſchreibung des letzten Polniſchen und Moſkowitiſchen Einfalls/ und der herrlichen Schwediſchen Victorie bey Narva, wie auch deſſen/ was biſzhero darauff erfolget/mit vorangefügter Geographiſcher Entwerffung des geſammten Lifflandes/und eingemiſchten denckwürdigen alten und neuen Begebniſſen/ neugeprägten Denck-Pfenningen/ u. d. m. Inſonderheit aber einer kurtzen Moſkowitiſchen Zeit-Eintheilung. Im Jahr 1701. (12. pl. in 4.)

Item Relatio qvædam, Victoriam Svecorum à Saxonibus haud procul ab Vrbe Rigâ obtentam enarrans, lucem vidit, Germanicè: Die erſte Triumphirende Sieges-Zeitung abermahliger Glorieuſen Actionen/ womit der groſſe Gott die Königl. Schwediſche Waffen unweit Riga wieder die Sachſen beglücken wollen. Beſtehende in unterſchiedlichen Extract-Brieffen/ ſo von Königsberg/ Mietau &c. eingekommen. (½. pl. in 4.)

GRYPHISWALDIAE

Die 4. Julii *M. Joachimus Roſenovius*, Mathematum Prof. Ord. FCtis Philoſoph. ac totius hujus Academiæ Senior tumulabatur, qvi cum an. 1618. d. 5. Novembr. Anclamiæ natus, & ex Scholâ patriâ dimiſſus eſſet, Gryphiswaldiæ per novennium, per triennium autem Regiomonti ſtudiis incubuit. Ad muſas Gryphicas reverſus Magiſterii Philoſophici dignitate an. 1653. ornabatur, cui & Profeſſorium munus docendæ ſcientiæ Mathematicæ accedebat. Huic officio præfuit usqve ad diem emortualem, qvi illi die 27. præteriti Menſis Junii, anno ætatis octuageſimo tertio, obtigit. Diſſertationes varias *de Præcipuis mundi Corporibus*, de *Sole atqve Lunâ*, *LXX. Septimanis Danielis*, & fortè ejus generis alias in lucem publicam emiſit. Prélo typographico etiam paratam reliqvit *Chronologiam Sacram*, qvâ qvicqvid ab O. C. ad tempus usqve Hieroſolymitani excidii memorabile accidit, ad ordinati temporis ſeriem eſt adſtrictum, inter alia *Joh. Chriſtoph. Artopæi*, Prof. Argentoratenſ. opi-

opinio eundem cum Nabuchodonoſare Xerxem facientis, ſub examen revocatur.

Die 29. Julii Præſide *M. Jeremiâ Papken*, Gryphisvvaldenſi, Diſſertationem Aſtronomicam *de Phænomenis qvibusdam Cæleſtibus*, *Joach. Chriſtian. Balthaſar*, Gryphisvvaldenſis, propoſuit. (3. plag. in 4.)

Sub Præſidio *M. Brandani Henrici Gebhardi*, Sanctæ Lingv. & Theol. Prof. *Joach. Palenus*, Julinenſis, Auctor & Reſpondens, brevem Diſſertationem *de Eſſentiali Nomine Dei Jehova*, qvâ ſimul Fabulæ *de Schem Hamphoraſch* origo aperitur, Eruditorum examini ſubmiſit. (2. pl. in 4.)

## SEDINI

Typis excripta extat Oratio illa Panegyrica, qvam CAROLO XII. Auguſtisſimo Orbis Arctoi Monarchæ, ob reportatam a Moſcis Victoriam, die 17. Martii in Gymnaſio Carolino dixit *Bernh. Chriſt. Jäger* (Illuſtris Senatoris Regii filius). Conſtat 5. pl. in fol.

Die 20. Julii *N. A. Pompejus*, J.V. D. ejusdemqve & Eloqv. P. P. ad celebrandas exeqvias *Johannis Caroli de Lanken*, Auguſtisſimi Regis Sveciæ Senatoris Concilii publici in Pomeraniâ, & Comitis ſacri Patrimonii, publico Programmate invitavit. Hic editus in lucem eſt Sedini an. 1656. d. 29. Febr. Patre *Philippo Chriſtophoro de Lanken*, ſacri Palatii in Pomeraniâ Sveciâ Qvæſtore & rei publicæ Conſiliatore. Poſtqvam per triennium *Gryphisvvaldiæ* literis incubuiſſet, atqve per aliqvot temporis ſpatium domi commoratus eſſet, Curiæ eqveſtris, qvæ in Pomeraniâ eſt, mandatarius ordinarius eligebatur. Poſtea *Belgium, Galliam, Angliam & Italiam*, peragravit. Ex peregrinatione redux vacuefactam Rugiæ Satrapiam & Senatoris provincialis honores obtinuit. Tandem an. 1697. Comes ſacri patrimonii & Senator Regius creatus eſt. Cum 45. annos & qvod excurrit, vixiſſet, die 23. Aprilis a. c. maximo viduæ filiæqve relictæ deſiderio vitam finivit.

GEDANI

Die 21. Aprilis *Chriſtianus Schröderus*, Præconſul Senior, ProtoScholarcha, Rerum bellicarum Præſes & Stublavienſis Inſulæ Adminiſtrator, apoplexiâ in ipſâ Curiâ tactus, die ejusdem Menſis 27. animam Deo reddidit. Natus eſt Gedani 1626. 18. Mart. Patre *Ægidio Schrœdero*, in Centumirali Collegio Qvartarum Magiſtro. Ex Athenæo patrio dimiſſus primum in Academiis *Regiomontanâ, Lugdunenſi & Franekeranâ* ſtudiis incubuit. Hinc *Sveciam, Daniam, Germaniam, Galliam, Italiam*, &c. Mercurii non minùs qvâm Palladis amore ac veneratione, perluſtravit. Patriæ negotia ad exteros ablegatus, in aulis, *Sveticâ, Danicâ, Brandenburgicâ, & Belgicâ* nec non in conventu *Hanſeaticarum* civitatum *Lubecenſi*, (ut Comitia Pruſſiæ ſileamus) ſolerter & cum laude tractavit. Anno 1653. ex Centumviro Subſyudicatum obtinuit. Abhinc 1659. in Scabinatum, atqve 1661. in Senatum allectus eſt. Præconſulatum ab anno 1677. Burggraviatum verò binis vicibus gesſit. In conjugio cum *Annâ Benignâ, M. Friderici Scheningii*, Eccleſiæ ad D. Mariæ Miniſtri filiâ, ab anno 1653. usqve ad 1664. vixit; reliqvum vitæ viduus transegit. Ex qvinqve liberis duo ſuperſunt, filius *Nathanael Friedericus Schrœderus*, Scabinus Palæopolitanus, & filia, *Chriſtina Benigna, Joh. Gerhardi Bartſchii â Demuth*, Scabinorum in Primariâ civitate, dum viveret, Conſenioris vidua. Obiit anno ætatis 75. De Virtutibus ejus pauca qvædam (cum Viri modeſtia ne hæc qvidem æqvo animo admitteret) procul ab affectatione ſcripſit *D. Samuel Schelgvigius, in primâ Qvackeriſmi Confutati parte*, Viro, omni laude majori, inſcriptâ, cui idem ille & concione funebri ſuper Pſ. XCI. 14, 15, 16. in Æde Marianâ d. 19. Maji, ut Curator animæ ex aliâ parochiâ jam ante qvinqvennium ultrò adſcitus, parentabatur.

In Athenæo a *D. Samuele Schelgvigio* per ordinarias Diſputationes continuabantur Qvæſtionum Theologicarum.

Pugillus XLIII. Reſp. *Gabriele Bentero*, Gedan. d. 1. Jun. An impius Miniſter, qvamvis verbum Dei rectè proponat, tamen alios cum fructu docere neqveat, ſed qvemadmodum cognitio doctrinæ ab eo

pro-

profectæ, mortua eſſe perhibetur, ita Auditores in ſpirituali morte relinqvat? *Neg.* An impius Miniſter, literam verbi divini intelligens atqve rectè proponens, non modò inſtrumentum, ſed etiam officina Spiritus S. ſit? *Aff.* An ex pii Miniſtri animâ, fidei & charitatis plenâ, per verba, qvæ ille ad populum facit, ſenſibilis virtus egrediatur, ac in corda Auditorum penetret? *Neg.* An pietas vel impietas Miniſtri, illa orthodoxiæ, hæc autem heterodoxiæ certum ſignum ſit? *Neg.* An Miniſter Eccleſiæ, per deductionem verbi in aures, qvid credendum ſit oſtendat; in cor verò ipſum per fidei accenſionem & ſpiritualium operationum productionem, haud qvaqvam penetret? *Neg.*

Pugillus XLIV. Reſp. *Davide Gebauero*, Gedan. d. 8. Jun. An obortis in Eccleſiâ controverſiis, Theologi Verbo Dei in ſymbolis receptis expreſſo, inhærentes, Novatorum judices eſſe qveant? *Affirm.* An Magiſtratui poteſtas architectonica, per Miniſtros agendi & operandi, in ſacris æqvè ac in ſecularibus competat? *Neg.* An jus controverſias Theologicas, publico Eccleſiæ nomine, decidendi, excluſo Miniſterio, à ſolo Magiſtratu legitimè exerceatur? *Neg.*

Pugillus XLV. Reſp. *Michaele Schilbergio*, Gedan. d. 15. Jun. An Chriſtianus, ab alio læſus, ſalvâ pietate, Magiſtratum vindictæ ſumendæ gratia imploret? *Affirm.* An Bellum (in ſe ſpectatum) beſtialis naturæ ſit, nec pacificæ N. T. indoli conveniat, à qvo proinde omnes, qvotqvot conſcientiæ curam gerunt, dehortari conveniat? *Neg.* An Miniſtris Eccleſiæ, propter corruptum Eccleſiæ ſtatum, cœlibatus ſvadendus ſit? imò an pro malo ſigno habendum, qvòd pauci adeò apud nos cœlibatum amplectuntur? *Neg.* An Gradûs propinqvitatis, lege divinâ in matrimonialibus non interdicti, à Magiſtratu perperam prohibiti fuerint? *Neg.* An fidelibus in N. T. divitiis aliqvam curam impendere liceat? Item an Verbum DEI, apud eum, cui terrena qvocunqve modo curæ ſunt, fructificare qveat? *Aff.* An ſub reſpectu ad pauperes, neceſſaria ſit aliqva bonorum communio, ita ut facultates divitum, de jure divino, communes eſſe pauperibus cenſeri debeant? *Neg.*

Pugillus XLVI. Reſp. *Salomone Theophilo Pomian Peſarovio*, Ge-

Gedan. d. 22. Jun. An qverelæ de Juribus Eccleſiaſticis ſtatui Oeconomico iniqvè ablatis, aut diminutis juſtæ ſint idoneoqve fundamento nitantur? *Neg.* An Scholæ Evangelicorum à Novatoribus modernis abhorrentium ſine exceptione omnes, cum inferiores, tùm ſuperiores, ipſæqve cumprimis Academiæ, usqve adeò corruptæ ſint, ut corruptis Judæorum Scholis comparari, imò pro ſpeluncis latronum haberi mereantur? *Neg.* An Philoſophia, qvalis Evangelicorum Scholas hucusqve perſonuit, atqve ex diſciplinis ejus, etiam Logica & Metaphyſica, eo fine, eâqve ratione ut Theologiæ inſerviant, cum fructu doceatur, ac diſcatur? *Aff.* An in Theologia Philoſophicos terminos modosqve loqvendi, rem breviùs & accuratius, qvàm citra eos fieret, exprimentes, ad evitandas heterodoxorum cavillationes & ſtrophas, adhibere liceat? *Aff.*

Pugillus XLVII. Reſp. *Joh. Samuele Hoppio*, Gedan. d. 27. Junii An eruditionis oblivio, decrementum, atqve (ut Germanicam vocem accuratè exprimamus) exſudatio, ad corruptionem veteris hominis pertineat, ut qvò magis eruditio decreſcit, eò magis novus homo augeatur? Item, an qvi in Chriſtianâ Theologiâ cum fructu verſari vult, eum, Philoſophiæ ac eruditioni ſeculari emori oporteat? *Neg.* An diſputationes, præſertim Theologicæ, qvales in Scholis inſtituuntur, ſe habeant ut inutiles, imò ut perniciosæ rixæ, per qvas fides & conſcientia lædatur, tandemqve prorſus amittatur? *Neg.* An gentilium Auctorum libros, in Scholis Chriſtianis tractare, aut eorum dicta, ſi occaſio ferat, atqve hoc ipſum moderatè fiat, in diſputationibus Theologicis, & concionibus adhibere liceat? *Aff.* An in Scholis idonei Eccleſiæ Miniſtri præparentur, eædemqve, hanc ob cauſam, pro fontibus, ex qvibus Doctores populi ſcaturiunt, haberi qveant? *Aff.* An, ſi qvæ Philoſophia juventuti Scholaſticæ commendanda ſit, Ariſtotelica Platonicæ, præſertim in doctrinis ad Theologiam ſpectantibus, jure meritòqve præferatur? *Aff.* An Collegia, qvæ vocantur, Pietatis, i. e. Conventus hominum ex diverſis familiis, ſtato tempore, extra ſolennem Eccleſiæ congregationem, in privatis ædibus, aut etiam campis, ſylvis &c. eo (*qvod perhibent*) fine, ut per collationem ſententiarum in ſtudio Biblico doctrinâqve ædi-

Chriſtianâ ædificentur coëuntium, inſtituere & celebrare, ex re ſit Eccleſiæ Chriſtianæ? *Neg.*

Pugillus XLVIII. Reſp. *Gottliebo Schelgvigio*, Gedan. d. 13. Julii, An ex Collegiis talibus major fructus ad colloqventes, qvam ex concionibus ad auditores perveniat? *Neg.* An Collegia hujusmodi, aut ex neceſſitate præcepti divini, aut ex neceſſitate medii, qvo Eccleſia carere neqveat, inter Chriſtianos reqvirantur? *Neg.* An in conventu Chriſtianorum publico, Dei colendi gratiâ inſtituto, abolitis, in qvibus uni tantùm loqvi licet, concionibus, aut iisdem finitis, cuicunqve qvi voluerit, ſeqve donis ſufficientibus inſtructum cenſuerit, facultas ad Eccleſiam loqvendi, eamqve docendi, concedi debeat? *Neg.*

Pugillus XLIX. Reſp. *Jacobo* Wächter/ Palæo Sedin-Pomer. d. 20. Julii. An concionibus habendis præmittenda ſit meditatio? *Aff.* An Pericopæ Evangelicæ & Epiſtolicæ, jam olim conſtitutæ & in uſum toti Occidenti communem deductæ, concionibus dominicalibus textuum loco, pro Eccleſiâ in fide & vitâ ædificandâ, cum fructu ſubſternantur? *Aff.* An formulæ precum, qvibus à teneris aſſvevimus, vel qvæ ex libellis precatoriis petuntur, poſtqvàm in Chriſtianismo adolevimus, abjiciendæ, vel precibus, qvas notitia propriæ indigentiæ ex corde promit, poſtponendæ ſint? *Neg.* An Chriſtiano, pro temporalibus bonis orare conveniat? item, an pro temporalibus bonis, in qvartâ orationis dominicæ petitione Deus invocetur? *Aff.* An nulla alia Muſica à Deo probetur, niſi cantus ille internus, qvi ex unctione provenit, ac citra membrorum exteriorum motum, in animâ perficitur? *Neg.*

Pugillus L. Reſp. *Daniele Mannio*, Elbingenſi d. 27. Jul. An pro ſummâ devotione haberi mereatur, ſi poſtqvàm anima extra ſe poſita & in Deum retracta eſt, homo aliqvamdiu qvid agat, aut ſecum agatur ignarus, ſine omni devotione, ſine intellectuali perceptione, ac ſine cogitatione eſt? *Neg.* An Chriſtiano jurare liceat, & qvidem etiam in rebus temporalibus, propriumqve jurantis commodum unicè concernentibus? *Aff.* An optanda ſint inter nos Monaſteria, in qvibus homines qvietam vitam amantes, à tumultu & ſtrepitu remoti, conjunctim vivere, laborare, Deoqve & proximo ſer-

ſervire qveant? & an ejusmodi vita pro egregio medio conſtantem animæ pacem conſeqvendi, habendum? *Neg.* An omne gaudium ſuper mundana & temporalia, Chriſtiano ſimpliciter prohibeatur? *Neg.* An Chriſtiano, cæteris paribus, convivia inſtituere, iisdem intereſſe & ad ſatietatem usqve, imò etiam ad delectationem, cibo & potu frui liceat? *Aff.*

*Samuel Fridericus Willenbergius*, J. U. D. d. 7. Julii ſolenniter diſputavit *de Vitalitio, Germanis* Leib-Rente/ Reſpondente *Davide Georgio Eberto*, BelgardenſiPomerano. (pl. 4½ in 4to) Argumentum ita ſe habet. n. 1. Studium ſe conſervandi à natura homini congenitum. n. 2. Ac homo ad ſe conſervandum obligatur. n. 3. Duæ ſunt partes hominis, anima & corpus, qvarum illa imprimis curanda. n. 4. Poſt corporis cura ſuſcipitur. n. 5. & cura ſanitatis. n. 6. Conſervatio ſui dicitur Ratio ſtatus. n. 7. An conſervatio hæc S. Scripturæ repugnet. n. 8. Progreſſus ad propoſitum Thema, ubi definitur vitalitium. n. 9. Origo vitalitii. n. 10. Qvomodò latiùs accipi posſit vitalitium. n. 11. diviſio Vitalitii. n. 12. differentia inter annuos reditus & vitalitium. n. 13. Oſtenditur Vitalitii juſtitia. n. 14. Etiam licitum, ſi ad certum tempus emptum. n. 15. Reſolvuntur dubia obſtantia. n. 16. Qvæ Perſonæ ad vitalitium ſe obligare posſint. n. 17. An posſit Medicus cum ægroto de Vitalitio contrahere. n. 18. Qvinam emere posſint vitalitium & an debeatur Uxori & Liberis emptoris, ſi horum in contractu nullam fecerit mentionem? n. 19. Objectum hujus contractus ab una parte eſt pretium: Qvantum verò eſſe debeat docetur. n. 20. Approbatur ſententia qvâ arbitrio judicis dijudicandum dicitur. n. 21. eaqve porrò confirmatur. n. 22. Paraphraſis L. Hereditatium 68. ff. ad L. Falcid. n. 23. Spicilegium dictæ Paraphraſis. n. 24. Ex d. L. ad noſtrum caſum producitur argumentum. n. 25. differentia qvædam inter Computationem Falcidiæ & noſtrum caſum. n. 26. Species qvantitatis per ſtatum taxatæ? n. 27. Reditus præſtandi, qvanti ſint. Qvid præter eos ſæpè præſtetur? An uſuris reſpondere debeant? n. 28. Præſtatur vitalitium vel immediatè à perſona venditor, vel ex certo fundo. An debeatur, ſi fundus in aliqvo anno

fue-

fuerit ſterilis? n. 29. An debeatur, ſi caſu perierit? Qvot ſi hypotheca vitalitii perierit? n. 30. Die ſolvendi & cautione emptor vitalitii ſecurus redditur. n. 31. Privilegia vitalitii. n. 32. Poteſt de vitalitio tranſigere emptor. n. 33. Qvænam competat actio ad conſeqvendum vitalitium. n. 34. Extingvitur illud cum morte emptoris: declaratio hujus: Limitatio qvædam: n. 35. Qvando inter emptoris heredes & venditorem Vital. dividatur. n. 36. An cedi poſſit vitalitium. n. 37. Poſt mortem emptoris ad funeris ejus impenſas non tenetur venditor. n. 38. Cujus ſit qvantitas data poſt mortem emptoris. An obligatio hujus contractus ad venditoris heredes tendat? n. 39. Contractus vatalitii ſemel initus reſcindi non poteſt: niſi metu initus n. 40. Qvid ſi metus reverentialis ſit? n. 41. Dolus obſtat huic contractui. n. 42. Non verò minorennitas. n. 43. An ob enormem læſionem reſcindi poſſit hic contractus? n. 44. An tunc ſi emptor vitalitii violenta morte præreptus? n. 45. Poſſunt ad ſimilitudinem vitalitii alimenta qvoqve emi. n. 46. Affine qvid habet dotalitium cum vitalitio. n. 47. Cauſa dotalitii. n. 48. qvæ qvantitas ſit dotalitii. n. 49. Precaria qvid & ejus qvalitas. n. 50. Feudum Soldatæ de Camera & de Cavena.

Ortis inter *Erneſtum Langium*, Conſulem Palæopolis Gedanenſis ab unâ, & *D. Samuelem Schelgvigium* ac *M. Fridericum Chriſtianum Bücherum* ab alterâ parte disſidiis, cum res ſcriptis publicis jam agi cœpiſſet, Magnificus Magiſtratus autoritate ſuâ intercedens, qvicqvid ſive calamo, coram Notario aut Judicio, ſive ſtanno Typographi editum fuit, ut verba Senatus Conſulti, typis vulgati habent, *cum omni effectu ſuſtulit, annullavit, caſſavit, mortificavit & abolevit*, nec cujusqvam ex ipſis famæ aut exiſtimationi præjudicium adferre, amneſtiâ ſancitâ, voluit: qvin & de Schelgvigii & Bücheri purâ doctrinâ eidemqve conformi vitâ ampliſſimè teſtatus eſt. Actum in curiâ 21. Junii An. 1701.

Paſtoratui Catharinæo d. 20. Julii, per legitimam vocationem præficiebatur *Joh. Falckius*, hactenus Eccleſiæ illius Diaconus. Concionem inauguralem habebat X. p. Trinit. qvi 31. hujusdem menſis erat.

REGIOMONTI

Die 4. Julii Præſide *Bernhardo* von Sanden / Jun. S. Theol. D. & Prof. Ord. *Decas Theſium Controverſarum*, *ex Loco de Angelis, à Chriſtiano Flottvell* propoſita eſt. (3. plag.)

Die 11. Julii natalis Sereniſſimi Regis FRIDERICI celebratus eſt, publico nomine Panegyricum habente *M. Michaële* Schreiber/ Eloqv. P. P. nec non Hiſtor. Ordinar. nuper deſignato, & Bibliothecario Wallenrod. qvi *felicitatem Boruſſorum* ſub Rege FRIDERICO expoſuit. Eum ſtatim excepit *Guſtavus Erneſtus Liber Baro à Kitlitz*, *imaginem Salomonis Boruſſici in coronâ ſpectati adumbrans*, cujus oratio typis expreſſa. (4. pl. in fol.)

Die inſeqventi continuatio hujus ſolennitatis fuit, proluſione ab *eodem Eloqv. Profeſſore* brevi facta, qva Illuſtres Patriæ Proceres aliosqve hoſpites excepit. Hinc *qvatuor* Orationes recitatæ à *Qvadrigâ Fratrum Boltziorum*, qvorum *primus, Johannes, Antecedentia nuperæ Inaugurationis Regiæ: ſecundus, Theodorus, Inaugurationem ipſam: tertius, Chriſtophorus, ejusdem Conſeqventia* expoſuit: *qvartus, Fridericus votum Carmine Elegiaco addidit.* Actui huic Colophonem impoſuit *Profeſſor Eloqv.* in Auditorio, ſed extra illud in areâ Collegii, Magnificus Pro-Rector, *Fridericus Deutſch*, S. Theol. D. P. P. Ord. Paſt. Lœbnic. & Conſiſt. Samb. Adſeſſ. Cui reſpondit *Alexander Chriſtophorus à Rauſcke*, Supremus in Boruſſico Regimine Conſiliarius, & Supremus Burggravius, Tribunalis Præſes, & Ordinis Generoſitatis Eqves, qvi S. Regiæ Majeſtatis nomine ſolennia hæc Academica ſibi placuiſſe teſtatus, & dilaudatis tam illis, qvi in hoc actu ad dicendum ſurrexerant, qvàm Profeſſoribus ipſis, ſingulare idqve publicum teſtimonium de eorundem diligentiâ perhibuit, ſtudioſam Juventutem ad ſedulitatem patheticâ Oratione adhortatus. Præmiſſum fuit à *Profeſſore Eloqv.* Programma (1. plag. in fol.) *de Sacrificio* שלמים *apud Hebræos uſitato.*

Die 14. Julii *Juſtus Conradus Rehtmeier*, Brunſvic. Saxo, cum

tum eruditione ſuam in exantlatis Examinibus & per Lectiones Curſorias probaſſet, Diſputationem inauguralem *de Strepitu Oſſium* in Auditorio majori, horis ante & pomeridianis ſine Præſide, juxta Statuta habuit, in cujus §. 1. inter plurimos, ſolidas corporis humani partes, divexantes affectus, etiam eum, qvi *Strepitus Oſſium* dicitur, occurrere oſtendit: atqve Auctores qvi de hoc malo aliqvid literis prodiderunt, nominatim profert. §. 2. *Oſſium Etymologiam* examinat §. 3. *Naturam Oſſium* (α) *in duritie*, cum pinguedine qvadam mixtâ (β) *in Inſenſibilitate*, & (γ) *in vita* conſiſtere aſſerit. §. 4. rejectis falſis de *materiâ Oſſium* opinionibus §. 5. qvæ genuina ſit, exponit. §. 6. de *Oſſium numerô & Connexione*, qvodqve in Infantibus pueriſqve plura, qvàm in hominibus provectioris ætatis ſoleant eſſe, agit. §. 7. de *Oſſium uſu* tàm *generali*, qvàm *ſpeciali* habet. §. 8. Ad Affectum ipſum explanandum ſe confert. §. 9. Partem affectam indagat, ubi, ipſam Oſſis ſubſtantiam eam propriè dici non poſſe, probato, potiùs ligamenta accuſanda venire, aliàs ultrò largiens ex colliſione capitum oſſium talem Crepaturam naſci, neq; perioſtium ab hac labe eximendum eſſe cum *Cloptone de Havers* conſentit. §. 10. Mali hujus *Definitionem* format, qvod *Strepitus Oſſium ſit morbus vel imbecillitas, qvâ oſſa à naturali robore vel vigore deficientia, ob materiæ ſeu balſami unctuoſi medullaris defectum ſtrepitum ob colliſionem capitum, nunc cum, nunc ſine dolore edunt.* §. 11. *Cauſarum* tractationem aggreſſus, hunc Affectum vel ſolum, vel cum alio morbo complicatum eſſe ſupponit, qvod aſſertum Auctorum Obſervationibus adductis confirmat. §. 12. qvænam *in Subjectis morbidis* ſtrepitus Oſſium *cauſa immediata* ſeu proxima ſit, docet. §. 13. etiam laxitatem præternaturalem ligamentorum, *cauſam ſtrepitus oſſium* eſſe poſſe concedit. §. 14. *In ſubjectis ſanis* ſtridoris articulorum *Cauſa* ſtatuitur eſſe, *ſi alimentaris ſuccus in reliqvarum corporis partium nutritionem fuerit abſumtus, & inde mucoſum defecerit oblinimentum.* §. 15. *Cauſas remotas* conſtituere dicuntur ex *rebus naturalibus*, ætas decreſcens, & temperamentum cholericum: *ſex res non naturales* qvatenus modum excedunt, ita ut corpus exſiccent, & de eo deprædentur pingues & oleoſas: ex *præternaturalibus*, Scorbutus, Lues

Venerea, &c. adducuntur. §. 16. *Signa*, qvando vel cum,vel ſine alio morbo eſt; & qvando *univerſalis* omnium oſſium, aut *particularis* obſervatur; qvomodo etiam ab Oſſium mollitie & fracturâ, ſtrepitu item mollium partium differat hic morbus,abſolvit; ubi qvoad *Prognoſin* qvoqve ſi cum morbis conjunctus ſit, periculoſus, imò pertinaciſſimus ſæpius ex *VVilliſii de Scorbuto Cap. 9. p.* 138. probatur. Qvatuor *theſibus* ultimis *Terapeja* traditur tribus innitens Indicationibus; *Curatoriâ*, *Præſervatoriâ* & *Vitali*, qvarum Remedia ex *Chirurgico*, *Pharmacevtico & Diætetico* fonte deſumuntur, qvæ eò tendunt, ut(1) defectus partium oleoſarum & gelatinoſarum, ſeu medullare oleum ſuppleatur (2) Materia fortè limoſa & tartarea poros obſtruens oſſium & tranſitum materiæ balſamicæ pinguis præpediens eliminetur foràs(3) ligamenta arida emolliantur, & juſtò plus laxata paulò adſtringantur. (4) Deniqve principales affectus,qvorum hîc non rarò ſymptoma eſt,curentur.

Die 15. Julii ſub Præſidio paulo ante dicti *Bernhardi* von Sanden/ *Martinus Grun*,Heiligenb. Pruſſus, *Decadem Theſium controverſarum*, *ex Loco de Homine* ſelectarum, ventilavit. (2½. plag.)

Die 18. Julii ſupra laudatus *Profeſſor Eloqv.* in honorem diei Nominalis Regis FRIDERICI, Actum Panegyricum inſtituit, prævio Programmate, qvo exponebantur Cauſæ, *cur non Natalis tantum, ſed & Onomaſticus hic* S. R. *Majeſt. dies eſſet celebrandus*? Orationes habuêre, *Georgius Dietericus*, *& Johannes Melchior à Tettau*, Fratres, Nobiles Boruſſi, qvorum *primus*, *de laudibus nominis* FRIDERICI egit, *Sereniſſimo Regi nomen & omen ineſſe demonſtrans*. *Secundus*, *Inſignes* FRIDERICOS *in Auguſtâ Domo Brandenburgicâ* recenſuit. Actui huic, ut moris eſt, Profeſſor Eloqventiæ initium dedit,idem & concluſit eundem,alluſione ad ritum Romanorum factâ,qvi *Plinio L.* 15. *c.* 4. teſte *Idibus Julii* turmas eqvitum coronarunt oleâ, *oleagineam coronam Auguſtiſſimo Capiti Regis ſui impoſuit*, & Auditoribus pro præſtitâ attentione gratias egit.

Die 21. Julii *Joh. Gottſched*, Med. D. & Prof. Publ. Extraord. Phyſ. Ordinar. deſignatus (ſupra pag 199. nobis laudatus) pro Loco

co Profeſſionis Phyſicæ Ordinariæ, *de Luce & Coloribus*, horis ante- & pomerid. diſputavit, Reſpondente *Joh. Friderico Starcke*, Regiomont. Pruſſ.

Die 22. Julii aliqvoties memoratus *Profeſſor Eloqv.* in funere M. *Chriſtophori VVeiſii*, Archipreſbyteri Schackenſis, *Programma Germanicum* edidit, cujus titulus: Der zweyfacher Ehren würdige Elteſte. (2. pl. in fol.) Habuit verò & *Parentationem Germanicam*, qva inſcriptionem *Manucii* ſepulchralem ap. *Fournier in Geograph.* L. 6. c. 10. extantem; *Bonus in juventute, melior in medio, optimus in fine*, ad beatum hunc Virum applicavit.

Die 24. Julii *Idem* Programma Latinum publico Academiæ nomine in funere *M. Johannis Burchardi Grieſinger*, ad D. Georgii in Xenodochio, qvod Regiomonti eſt, Concionatoris, publicæ luci dedit, in qvo hunc Virum cum B. *Schœnbergero*, claro qvondam inter Regiomontanos Magiſtro, ſed homine *cœco* comparavit; ſiqvidem & hic tertio ætatis anno ad ſtudia literarum applicitus, in iisdem ita profecit, ut an. 1667. in Academiâ *Jenenſi*, Laureâ Magiſteriali condecoraretur. Collegia habuit qvamplurima, *Gallica, Italica, Ebraica, Græca, Metaphyſica, Logica, Ethica*; memoriæ ſtupendæ, & eruditionis in tanto miſeriæ ſtatu haud vulgaris exemplum. Ad Concionatoris munus an. 1693. vocatus. Natus Wormatiæ an. 1638. d. 17. Decembr. Denatus Regiom. a. c. d. 15. Julii.

## RIGAE

Sumtibus *Georgii Matth. Nölleri*, in lucem prodiit *Politica, ſ. Philoſophia* Civilis, ad mentem methodumqve Ariſtotelis digeſta, & ante hos novendecim annos in Gymnaſio Rigenſi octodecim Compendiariis Diſputationibus propoſita, nunc recentioribus etiam Controverſiis aucta, & ſingulis ferè partibus illuſtrata, operâ & ſtudiô *M. Davidis Caſpari*, t. t. Phil. nunc S. Theol. Prof. Publici. Diſputationum modo dictarum in Politicam, I. de Natura & Conſtitutione Politicæ; II. de Societate in genere; III. de Societatibus ſimplicibus; IV. de Societatibus Compoſitis Mediocribus; V. de

de Societate Compoſitâ Maximâ; VI. de Cive; VII. de Republicâ in Genere; VIII. de Regno & Tyrannide; IX. de Ariſtocratiâ & Oligarchiâ: X. de Politiâ & Democratiâ; XI. de Republicâ Mixtâ; XII. de Majeſtate; XIII. de Juribus Majeſtatis circa Sacra; XIV. de Juribus Majeſtatis circa Profana prior; XV. de Juribus Majeſtatis circa Profana poſterior; XVI. de Inſtrumentis Majeſtatis; XVII. de Subditis; XVIII. de Mutationibus & Everſionibus Rerumpublicarum agit. Ad calcem libri Indices ſunt additi, qvorum *Imus eorum*, qvi in his Diſputationibus Reſpondentium munus ſuſtinuerunt. *IIdus Auctorum*, qvi in hoc libro partim citantur, partim notantur. *IIItius* eſt Rerum & Verborum. (1. Alph. 20. plag. in 8.)

## VPSALIAE

Præſide *M. Haraldo Vallerio*, Geom. Prof. Ord. (cujus Menſe Majô pag. 140. mentionem fecimus) *Sveno Laurelius*, Oſtro-Gothus, Diſputationem Gradualem *de Logarithmis*, publicæ ventilationi exhibuit. (2¼ plag. in 8.)

*Johanne Esbergio*, S. S. Theol. D. & Gr. Lit. Prof. Ord. Præſide, Exercitationem Academicam, *de Libris Veterum*, *Nicolaus Byrelius*, H. f. habuit. (6½ plag. in 4.)

Sub moderamine *D. Laurentii Roberg*, Med. Theor. & Pract. Prof. Ord. Diſſertationem Medicam, *ſelectiora Recentiorum Inventa Anatomica*, *eorundemqve in Medicina uſum*, exhibentem propoſuit *Laurentius Micrander*, *Joh. Fil.* Roslagius. (3¾ plag. in 4.)

Moderatore *M. Haraldo Vallerio*, Math. Prof. Reg. & Ord. pauló antè nobis laudato, ab *Andreâ B. Rudberg*, Weſtro-Gotho, Diſſertatio Philoſophica *de Imaginatione* ventilata fuit. (2¾ plag. in 8.)

Sub Ejusdem *M. Haraldi Vallerii* Præſidio *Petrus Schyllberg* per Diſſertationem Philoſophicam *Animæ παθήματα οἰκεῖα* publico examini ſubmiſit. Tribus Diſputatio hæc abſolvitur *Sectionibus*,

*bus*, aliqvot iterum Capitibus diſtinctis. *Cap.* I. *Sectionis primæ* eſt Procemiale; *Cap.* 2. agit de Anima; *Cap.* 3. de Corpore; *Cap.* 4. de Animæ unione cum corpore. *Sectionis ſecundæ Cap.* I. de affectibus in genere nonnulla tradit; *Cap.* 2. de Admiratione; *Cap.* 3. de Amore & Odio; *Cap.* 4. de Cupiditate, Lætitiâ & Triſtitia agit. *Sectio tertia* Caput unicum, de pasſionum remediis in gen. ſiſtit. (4¾. pl. in 4.)

*Johanne* Upmarck/ Eloqv. & Pol. Prof. Reg. & Skyttiano, ſupra Menſe Majo p. 140. ſeq. etiam memorato, Præſidis munus ſuſtinente, Diſſertationem Gradualem, *Imperii Mediocritatem* brevibus commendantem, ad publicum examen *Johannes H. Fegræus*, Weſtro-Gothus, detulit. (1⅞. plag. in 8.)

*Johanne Rettelio*, Philoſ. Moral. & Civil. Prof. Reg. & Ord. Moderatore, *Johannes J. Vallerius*, Oſtro-Gothus, *Legem Oppiam Romanorum*, Diſſertatione Graduali leviter adumbratam, publico examini ſubmiſit (2¼. plag. in 8.)

Præſide *M. Johanne Arent Bellman*, Eloq. Prof. Reg. & Ord. Diſſertationem Gradualem *de Apophoretis* habuit *Brynolph* Tegman/Stockholmienſis. (3⅝. plag. in 8.)

Sub Præſidio *Johannis Esbergii*, S. S. Theol. D. Græc. Litr. Prof. Reg. & Ord. *Chriſtiernus Georgius Notman*, Riga-Livonus, *Auſpicia Chriſtianorum in Livoniâ*, Schedialmate Hiſtorico-Philoſophico breviter deſcripta, pro Gradu omnium disqviſitioni exhibuit. *Duo* Schediaſmatis hujus ſunt *membra*; *prius* Chriſtianorum Livonicorum initia atqve progreſſus hiſtoricè perſeqvitur, resqve eorum geſtas æqvè ac modum fideliter enarrat; *poſterius* diverſam Chriſtianiſmi propagandi methodum examinat: Papalem reformandi rationem cum Lutheranâ contendit: hodiernasqve PontificiæCathedræ tricas damnat & exſecratur. (4. pl. in 4.)

## HOLMIAE

Typis excuſa eſt *Oratio* qvædam in Victoriam Narvenſem Hyperborei Monarchæ, CAROLI XII. verè Magni, à *Moſcis* die 20.

Novemb. 1700. glorioſiſſimè obtentam, à *Magno Ronnovio* habita. (5. plag. in fol.)

Porro prodiit *Cornelii à Meyden*, in *Moſcos*, aliàs *Ruſſos*, à potentiſſimo invictiſſimoqve Rege, CAROLO XII. occidione cæſos, & *Narvam* obſidione liberatam, *Chronoſticon*. Holmiæ typis Wankivianis, 1701. (1. plag. in fol.)

Item ejusdem Auctoris *Hieroglyphicum Poëticum*, VICTOR TRIVMPHATOR; *alterum* lingva Belgicâ, *alterum* lingvâ Germanicâ.

Lucem publicam etiam vidit *Holmia Literata*, in V. Partes diſtincta. Conſtat 13. plag. in 4.

STRENGNESII

Typis *Rönbergii* impreſſa extat Diſputatio illa Theologica in Auguſtanæ Confeſſionis Articulos, ſeptimum & octavum de *Eccleſia*, qvam mandato Epiſcopi *Erici Benzelii*, S. S. Theol. D. publicæ diſqviſitioni in Synodo exhibuit *Joſephus Thun*, in Gymn. Stregn. S. S. Theol. Lector; unà defendentibus *Andreâ* Giers/ Eqveſtris Legionis per Nericiam Paſtore, *Andreâ P. Ackrelio*, Comminiſtro in Oya & Wåſtermoo / & *Johanne Nezelio*, Comminiſtro in Aſker. Diſputationis hujus Cap. I. *προθυραῖον* futuræ Tractationis ſiſtit. Cap. II. Scopum & Analyſin Articulorum, præcipue VII. cum ſubjecta partitione præſentis lucubrationis tradit, qvæ in *tria membra* inſtituitur, qvorum *primum* de Definitione Eccleſiæ nominali & reali; *ſecundum*, de Adjunctis, tum *ὑπαρκτικοῖς*, qvalia *Vnitas, Sanctitas, Catholicismus*, tum *γνωριστικοῖς* ſive notis ejusdem; *tertium* de Oppoſitis agit, ubi Articulus VIII. qvi non niſi appendix ſeptimi cenſeri poteſt, breviter perſtringitur. (15. plag. in 4.)

Typis iisdem exſcriptæ *Meditationes Homileticæ in Textus ſacros diei Rogationum ſolennium primi*, ad mandatum piiſſimum Sereniſſimæ R. Majeſtatis per univerſum Sveciæ Regnum, nec:

nec non adjunctas eidem provincias, 12. Aprilis 1701. explicatas, Auctore C. *Rahm.* (1¾ pl. in 8.)

BERGIS

*Pii Deſiderii Severini Lintrupii Continuatio.*

(vid. menſ. præced. p. 206.)

Jam verò cum in ipſo ſæculi utut florentisſimi & ab omni literaturæ politioris ſuppellectile inſtructisſimi meridie, plurima nihilominus, eruditorum omnium Confesſione, ſuperſint, vel obſcura prorſus vel uberiori ſaltem illuſtratione digna, plurima vel intacta omninò, vel levi duntaxat brachio tacta, perpetua deſideriorum literariorum materia (alibi cum Deo, niſi inſtitutum occupaverit Cl. *Junckerus* diſtinctè recenſenda). Atqvi in tanto Diſqviſitionum Academicarum, ubivis gentium qvotidie prodeuntium numero, ſexcenta etiamdum deſiderentur themata non minus ſpecioſa qvàm neceſſaria (qvo de defectu conqverentes citat *Thurmannus* l. c. p. 30.) tritis interim ac tralatitiis è trivio, omnium & cathedras & calamos unicè fatigantibus: Id verò utrumqve haud aliunde magis eſſe liqveat, qvam qvod diſputatorum plurimi, qvoties (cum *Voetio* loqvar è *præf. Bibl.*) in volaticum qvod εὕρημα aut diobolare dictatum aliqvando per dilucida ignorantiæ aut ignaviæ intervalla inciderint, qvia ab illa deſtituti apparatus neceſſarii ac diſputationum, qvibus idem qvod meditantur, argumentum plenius jam olim legitur pertractatum, notitia, illicò videantur ſibi reperiſſe non qvod pueri in faba, & neſcio qva novitatis gratiâ aut gloriâ inſcitiæ ſuæ blandiantur, etiam cum maximè vulgaria hylaturiant; vel elaboratas aliorum diſſertationes modò rariores & in paucorum manibus hærentes, patientisſimo ſæpè calamo excerpant, præcipuaqve earum argumenta in chartam audacem, nova ipſiqve Pythagoræ inaudita metempſychoſi transfundant: Planum eſt, validisſimum vitio utriqve obicem opponi poſſe, ſi prædatricibus βιβλιοτάφων manibus excuſſæ, ac ſedulò collectæ publicæ luci ac notitiæ exponerentur, ut δοκησίσοφοι hac nube teſtium, hac turba Auctorum cir-

cumfuſi cogantur velint nolint, præcoces deponere ex arrogata temerè novitatis palma triumphos, miſſoqve extemporali ſuo ac proletario aliud minus exhauſtum circumſpicere argumentum, atqve apes potius imitari, mella proprio Marte conſtipantes, qvam veſpas aliena deglutientes: Verbo: omnes ad iſtiusmodi genus ſcribendi animum adjecturi, excusſis diligentisſimè omnium catalogorum ac Bibliothecarum loculis, alterutrum curarent, ut vel novo rem literariam munuſculo ornarent, atqve aliqvam vel minimam rei literariæ lacunam utcunqve implerent, vel ex diverſis alibi uberrimè dictis, breve atqve amœnum conficerent florilegium, *aut docta lectoribus collectanea ad ſatietatem offerrent*, qvo *VVegneri* vota & conſilia tendunt *in præf. citat. de ſpecim. Academicis.* Nec taceri porrò inſigne debet hinc ſperandum belli ſacri compendium, ſi modernis orthodoxiæ Promachis præſtò ſemper & ad manus forent edecumatæ celebriorum ævi recentioris Theologorum meditationes, qvas emergentibus novis ſubindè phantaſmatum monſtris, ac maleſanis novaturientium opinionibus, protritisqve etiam, ſed novo qvotidie condimento recoctis τῶν ἔξω ſophiſmatis, ex piis N. *Hunnii, Danhaueri, Seldii, Niemanni* conſiliis, manifeſto operæ temporis chartæqve periturae lucro, opponerent; Oſtenſaqve ſimul παραλλήλως pulcherrima ætatis utriusqve harmonia, novos Eccleſiæ perduelles à vinculo fidei reſilientes, tam numeroſâ illuſtrium auctoritatum grandine, qvam valido rationum exqviſitisſimarum fulmine obruerent: Atqve ita vel ſolis Theologorum omni exceptione majorum umbris & cineribus ſuperſtitioſos profligarent Schiſmaticos, mutorumqve & mortuorum, ſed in ſcriptis ſuis adhuc ſpirantium ac loqventium Magiſtrorum monumentis, irreparabilem Eccleſiæ ex fatali tot Præſtitum ſuorum obitu, jacturam vel compenſarent, vel certè ſolarentur. Adde, qvod, cum monente rurſus Höttingero p. 5. *multos, eosqve doctisſimos viros, qvi nullo alio ſcribendi genere voluerint inclareſcere*, pasſim reperias, themata verò etiam ac problemata, in omni literarum diviniorum ſtudio, palmaria, argutasqve eruditorum hominum cogitationes, nullibi curatè aut deditâ operâ, niſi his ipſis theorematis doctorum Academicis diſcuſſas aut explanatas, rei publicæ ac hiſtoriæ proſectò literariæ cumprimis interſit, vaga hujusmo-

ſusmodi gymnaſmata, in qvibus unicè vivit ac ſpirat tantorum ingeniorum memoria, à vetuſtate ac oblivione aſſerta, ad perennem poſteritatis notitiam transmitti, ut vel ex his qvantumlibet exiguis, velut ex fimbria de Veſte, ex ungue de leone, de præclaris virorum dotibus judicent eruditi. Qvæ omnia & plura ſexcenta alia,, ſanè optatisſima, rei literariæ atqve Eccleſiaſticæ promittenda ex iſtâ collectione emolumenta, utinam aliqvando tandem ſeriò ad animum revocarent Muſarchæ (nam Diadematos inter Reipublicæ Monarchas, paucisſimos ferreo hoc & Martio ſæculo reperias *Joh. Fridericos* Sax. El. de ſcriptis *Lutheri*, *Auguſtos* de *H. VVelleri*, *Ordines Friſiæ* de *Cloppenburgii* opuſculis in volumina redigendis ſollicitos) ut ſi minus ſolenni *confœderatione Academica*, qvalem inter omnes universè Academias *Verulamius* de augm. ſcient. c. 42. inter *noſtros*, cum Dorſcheo præf. ſepten. admir. Chriſti ad Latron. Theol. &c. cordatus qvisqve; inter ſuos autem *Reformatos* cum *Mareſio* præf. Belgii Orthod. *Hoornbeckius* Or. *de commun. Eccleſ.* jam diu optarunt, ut mutuâ ſaltem animorum conſpiratione, ſociata in commune conſilia & auxilia conferrent, qvibus præcocia ac funeſta ab eruditis chartis amoliri fata posſint, reiqve Theologicæ & amœniori doctrinæ ita impoſterum proſpicere, ut in publica ſæculi luce perennent, nullâ oblivionis caligine obruendæ illuſtres clarisſimorum hominum lucubrationes. Atqve utinam poſt tot eruditas in omni re literariâ Societates (qvarum omnium plenam à clarisſimæ eruditionis Viro Chr. *Junckero*, poſt *Vockerodtii*, *Morhofii*, *Maji* compendia, hiſtoriam exſpectamus) *Societatem* ſperare liceret *Theoſophicam* felicibus auſpiciis coalituram, *Collegium* puto *publicæ pietatis*, qvod, ſi non de *Controverſiis fidei*, ad mentem *Verulamii* aut N. *Hunnii Conſultat.* P. 2. c. 4. ſeq. aut *propaganda fide*, ad modum *congregationis Romanæ*, at ſaltem de *propaganda Defenſorum fidei memoriâ*, & conſervandis Theologorum ſcriptis ſedulò laboraret. Qvod ſi iſtud verò conclamatum forte ſperatuqve arduum nimis videri qveat, nihil tamen obſtare arbitror, qvo minus flecti ſubindè adduciqve eò Bibliopolæ unius item & alterius Φιλαργυρία posſit, ut luccllum, qvod ex qvibuscunqve imi etiam com-

matis & nihili ſcriptiunculis, etiam tineis ac blattis illicò præbituris, qværitant, ex iſtis potiùs eruditis captarent meletematis, modò non defuerint ex prima literatorum caveâ Ergodioctæ, qvi ſalutaris conſilii ſtimulis excitarent oſcitantes, & prela Typographorum vel otioſa ferè, vel in qvisqviliis aut ludicris ineptè operoſa, ad meliores operas, auctoritate, rationibus ac ſymbolis provocarent. Enimverò aut inſigniter nos fallunt omina, aut nunqvam proprior admota fuit optatisſimi deſiderii ſpes, qvam qvæ ſub ipſam novi renaſcentis ſæculi auroram, nuper admodum auſpicatò cœpit affulgere, cum plures ubiqve gentium, indicto qvaſi certamine, uno ad eundem ſcopum animo, diverſis licet itineribus contendere, atqve alium qvidem Catalogum *univerſalem diſputat.* in qvalibet Facultate, qvæ in *Academiis, Gymnaſiis aliisqve locis celebrioribus, tàm intra qvam extra Germaniam* prodeunt, qvotannis *Lipſiæ* pertexere, alium *Hamburgi integram diſſ. Exegeticarum Bibliothecam* inſtruere, alium rurſus *inſtructâ* ibidem noviter Diſputationum officinâ, iſtas amœnitatum literariarum merces, in foro hactenus librario perraras, publicè venales comportare, laudabili publicoqve pergrato ſanè inſtituto, ſi & novis, qvod ſperamus, ex remotioribus eruditi Septentrionis *Danici* & *Svecici*, aliisqve orbis literati emporiis, acceſſionibus eas locupletare, & alia *ejusmodi generis antehac emiſſa, jamdudum autem diſtracta*, qvod promittit Catalogi præfatio, *per typos denuò evulgare* meminerit; Alium porrò *Dresdæ* novos *Deliciarum Exegeticarum tomos* parare, alios novum in Batavis *Theſaurum Theolog. Philolog. Diſput. Celebrr. Theolog. juxta ordinem libr. Bibl.* V. T. (qvod has fortè exarantem amici literæ monent) jam tum emiſiſſe, alium ſimilem in N. T. proximâ æſtate emiſſuros, alium ſimilem alibi diſput. notitiam minari, alios deniqve aliud ejusdem aut paralleli inſtituti penſum ſibi ſumere elaborandum, feſtivâ cum ſecundi ſucceſſus gratulatione intellexerimus. Ceterum cum diverſa, *qvadruplici* præprimis *methodo*, in iſtis diſſertationum miſcellarum Syllogis hucusqve adornandis, qvaſi fuerint diverſi; ſic ut *alii* qvidem ex variis iſtiusmodi meletematis etiam heterogeneis, modò amœnioribus, nullo argumenti συμμίκτῳ Auctorumqve diſcrimine, arbitrario & fortui-

fortuito ordine congeſtis, volumina eleganter teſſellata, opere veluti muſico conficerent; *Alii* ordine pauló qvidem reſtrictiori, liberé tamen, ſelectiores ſingularum VniverſitatumExercitationes certis faſcibus illigarent; *Alii* porró omnia ſingulorum duntaxat Auctorum opuſcula, argumento licet diverſa, velut disjecta ad unum corpus membra compingerent; *Alii* deniqve varias plurium & Academiarum & Auctorum de uno eodemqve argumento lucubrationes undecunq; collectas ad unum corpus homogeneum redigerent: Æqve forſan arduum fuerit, rationem inire ita attemperatam, ut multiplici lectorum omnium judicio posſit approbare, qvam cibos ita conditos, ut convivarum omnium ſatisfaciant palato. Nam *prima* qvidem vel ipſâ libertate & gratâ varietate commendabilis, neſcio, qvid latentis faſcini habere videtur, qvo delicatulis lectorum animis faſtidium detergat, & tacitum ſui amorem inſpiret. Sed & *alteri* ſuum decus atqve auctoritatem tot conciliarunt ante laudata Academiarum *Baſileenſis*, *Dienſis*, *Duisburgenſis*, *Genevenſis*, *Giſſenſis*, *Leydenſis*, *Marpurgenſis*, *Montalbanenſis*, *Salmurienſis*, *Sedanenſis*, *VVittebergenſis* exempla, dignisſima profectó, qvæ pari diligentiâ & aliæ hodiedum æmularentur: Cum vel ſingularum ſpecimina juſto ſtudio collecta atqve ordine diſpoſita (qvod de *Tigurinis* ſuis ait *Höttinger*. l. c. p. 369.) *Syntagma nobis Theologicum* dare poſſent abſolutisſimum. Qvibus ipſis, qvod præfiſcine dixerim, exemplis ſtimulatus, impetum jam olim concepi, haud abſimile ex electis *Theologorum Havnienſium* diſputationibus, vel Syntagma plenius ad modum *Theſauri Sedanenſis aut Salmurienſis* vel *Compendium* certé, exemplo Leydenſium congerendi; paratus vel σκιαγραφίαν voluminis, vel editionem prolegomenis atqve Indicibus inſtructam, ad qvemvis Bibliopolæ eam curaturi nutum, publico exhibere. *Tertia* autem plerisqve freqventata hactenus videtur, nec contemnenda qvidem illa, modó eadem ſemper in colligendis omnibus etiam poſthumis Auctorum fragmentis, maximis, minimis cura adhiberetur, qvam in *Aſſelmanni*, *Cloppenburgii*, J. L. *Fabritii*, J. *Melchioris*, *Morhofii*, *Rappolti* aliorumqve paucorum adhibitam gaudemus. Non diffiteor tamen, ſalvo

me-

meliora ſvadentium judicio, *ultimam* paucisſimis licet familiarem, præ ceteris unicè mihi probatam, eximia ſcientiæ ac rei Theologicæ augmenta certò pollicenti, ſi conſtipatæ in unum qvaſi myrothecium omnes homogenei argumenti meditationes, plenam ejus tractationem, grato temporis laborisqve compendio, avidis lectoribus ſiſterent, ex tot vagis variorum ſcriptionibus, haud facile obviis, nunqvam vel ægerrimè comparandam. Illuſtre collectionis pulcherrimæ exemplum nuperrimè poſt alios fecerunt Celeberr. Reipubl. literatæ in Batavis Duumviri *Grevius & Gronovius*; Neqve video proindè qvicqvam qvod obſtet qvo minus idem in ſacratiori foro & alii imitentur Polyhiſtores, ſimilemve *Antiqvitatum*, vel *Judaicarum* vel *Eccleſiaſticarum Theſaurum* ex rarioribus opuſculis, eruditorum manibus pridem elapſis, comportent. Qvis enim dubitet non publico egregio proficuam oppido gratamqve præſtiturum, qvisqvis collectis in hunc modum extantioribus nobiliorum Antiqvitatis Eccleſiaſticæ Scrutatorum opuſculis & tractationibus, certam *Hiſtoriæ Sacræ* provinciam, ſive Hæreſiologiam, ſive rituum Hiſtoriam excolere tentaret, atqve iſtis veterum fragmentis literati orbis deſideria tantiſper levaret, dum aliqvis ea vel *Ittigius* vel *Schmidius* vel alius in iſthac arte Roſcius luculento opere impleret, aut ſingularum fortè Sectarum hiſtoriam eodem modo aliorum illuſtraret diſſertationibus, qvo teſtimonium Joſephi epiſtolis evolvit C. *Arnoldus*, ex voto & mente Cel. *Tenzelii* 698. p. 370. qvoqve *Hiſtoriæ Samaritanæ collectanea* jamdiu parat Ill. *Ludolffus* apud eundem 692. p. 89, 90. Certè vel ſolo hoc nomine ſæculo curioſo non diſplicuiſſe viſus faſciculus variorum & curioſorum ſcriptorum theol. de *animæ poſt mortem ſtatu, loco, cultu, immortalitate, bis mortuis &c.* Tom. 1. Franc. 8. 1692. editus, qvod aliqvam materiarum difficilium σύνοψιν polliceri viderentur, placiturus haud dubiè impenſius, ſi delectu, judicio atqve ordine meliori conſtipatus, aliisqve ejusdem commatis longè plurimis ſtipatus prodiiſſet. Nec ingrata Filiis Prophetarum illa fuit diſſert. *de Termino vitæ humanæ* collectio, qvam *Dan. Henrici* tr. addidit H. *Dicelius* 1691. licet pluribus illam parallelis

lelis *Frid. Bechmanni, Deutſchmanni,* G. *Kônigii, Menzeri* F. Nic. *Rudbeckii,* Jac. *Schalleri,* J. *VVinckelmanni*, è. tom. 5. Giſſ. W. *Zeſchii* & fortè aliis optaſſent auctiorem, ut cum *adverſario* J. *Beveroricii* &c. *ſyntagmate epiſtolico* ejusdem argumenti collata, totum hoc difficile ac ſalebroſum thema penitius exhauſiſſe, unumq; adeò inſtar omnium cenſeri potuiſſet. Et qvis infitetur plurimum diligentisſimi *Creenii* curæ publicum debere, vel ob ſolos tres *Conſiliorum ac Methodorum rei literariæ* tomos poſt *Strobandii, Mollnari* aliorumqve apud *Morhoſium* l. 2. c. 7. p. 398. collectiones, editos, plus tamen ei utiqve debiturum, ſi pro tot eruditis ſane qvidem, ſed heterogeneis, & nihil præter elegantiam commune habentibus, homogeneas ubiqve vicini ac paralleli argumenti diatribas jungere penſi habuiſſet; vel nunc ſaltem publico nomine rogandus, ut ſuis in elegantiorem literaturam meritis novum hoc addat, & *Syntagmatis ſuis*, de *rebus ac ritibus*, maximè *Eccleſiaſticis*, publicari nuper cœptis, argumenti affinis opuſcula conjungat, ad unum aliqvod Antiqvitatis iſtius caput luculentius illuſtrandum factura. De cetero, licet ad iſtam homogeneorum claſſem referri fortè neqveat aſſimile *J. Chr. Meelführeri*, Paſt. & Decani Svobac. inſtitutum, *qvi non modò varias diſſ. Theol. pro gradu Doctorat. inaugurales Svobaci curavit recudi*, ſed ipſe etiam *ultra duo & triginta earundem volumina* ſatis craſſa (en apparatum *Höttingeriano* locupletiorem) collegit, teſte J. G. *Mollero in diſp. inaug. de Theolog. unic. defin. &c.* p. 3. glorioſum tamen utiqve & niveos eruditæ caveæ calculos ſuo ſibi merito vendicaturum, ſi theſaurus iſte vel totus typorum beneficio, uſui publico, vel catalogi ſaltem accuratioris ope, eruditorum notitiæ exponeretur; plurimum ſane momenti, & ad *Hiſtoriæ Theolog. Evangel. univerſalis*, tamdiu ab Helelio aliisqve & promiſſæ & deſideratæ complementum, & omnis Theologiæ polemicæ illuſtrationem, conducturus; Cum ex iſtis publicis fidei atqve eruditionis Theologicæ ſpeciminibus, major ferè meditationum ἀκρίβεια, major ſtudii, temporis & lectionis apparatus, qvam ex vulgo diſputationum exſpectetur. Qvod ad me verò deniqve attinet, cum nihil inſigne publico de tenuitate meâ audeâ polliceri, iniqvisſimam inter loci his conſiliis & conſiliis

omnium minimè opportuni conditionem & propenſisſimam communi bono pro modulo utcunqve ſerviendi voluntatem deſtitutus, qvod potui unum, volui

fungi vice cotis, acutum
Reddere qvæ ferrum valet, exſors ipſa ſecandi.

Si qvid interim in mea qvalicunqve ſuppellectile, paupertina ſane illa, unam tamen forte & alteram non Chiliadum Decadem complexa, reperiri contigerit, pulcherrimo inſerviturum propoſito, non committam, ut ἀσύμβολ@ videar, aut qvaliacunqve qvæ à me proficiſci poſſunt officia petentibus denegaſſe. Vos autem, Viri Ampliſsimi & Celeberrimi, ſi tanti vobis videatur ingenua *deſiderii* hujus *literarii* pietas, ut Senatui erudito, veſtra commendatione tradi mereatur, atqve aliqvem forte non Auctoris ſui ſed argumenti nomine, ei in Novis Veſt. Literariis locum dare dignemini, dabitis & mihi, ſpero, patientiâ veſtrâ abuſo, veniam, qvæqve neceſsitate magis qvam voluptate qvadam feſtinanti effluxerunt minus exaſciata, pro candore veſtro, haud gravatè condonabitis. Ita valete, & qvod facitis, præclarisſimè de publico, orbe cumprimis Arctoo, æternum debendi reo, pergite mereri. Dab. Bergis Norvvegorum prid. Cal. Martii. A. 1701.

## KILONII

Die 20. Julii Præſide *Georgio Paſchio*, *Artis rationis* Philoſophiæ Primæ ac Moralis Profeſſore Ordinario, de pronunciato illo: *Vulgus regitur Opinionibus*, publice diſputavit *Joſias Henricus Opitius*, Kilonienſis Holſatus, S. S. Theol. Cultor. Cui argumento eligendo occaſionem præbuit *Joh. Balth. Schuppii* habita qvondam *Marpurgi de Opinione* Oratio, in qva in omnes vitæ humanæ ſtatus ſermonem diffudit, adductisqve plurimis documentis declaravit *mundum falli opinione*. Qvod ipſum Thema, qvemadmodum *Schuppius* per exempla tractavit, ita præſentis Diſſertationis Auctor more Philoſophorum hic verſatur, ac pronunciatum illud: *Vulgus regitur opinionibus* curatius excutit, & argumentis confirmat. Hinc proponit & oſtendit, ut in corporibus magnæ diſſimilitudines ſunt,

ſic in animis exiſtere majores etiam varietates, circa eandem rem obſervandas, Doctorumqve non eadem de aliorum cogitatis judicia eſſe ſolere. Vulgus præſertim perperam judicandi vitio esſe obnoxium, cujus errores in omnibus Facultatibus & ſcientiis viri eruditi collegerunt. In Theologia qvidem ex mente Reformatorum *Joh. Deſpagne* in tractatu *de erroribus popularibus*, ex lingva gallica in germanicam verſo, nec non *Carolus Drelincourtius* in ſcripto, *des faux viſages*. In Jure *Antonius Faber*, in opere, *de erroribus pragmaticorum & interpretum Juris Civilis*. In Medicina *Nicolaus Leonicenus de Plinii & aliorum Medicorum erroribus. Laurentius Joubertus de Vulgi erroribus, Medicinæ Medicorumqve dignitatem deformantibus, & Jacobus Primeroſius de Vulgi erroribus in Medicina.* In Philoſophia & Hiſtoria *Thomas Brovvn in Pſeudodoxia Epidemica*, Deniqve in communi vita *Joh. Prætorius* in libello: *Philoſophie* der Weiber. Dehinc poſtqvam propoſiti Axiomatis ſenſum indicavit, ac oſtendit Opinio qvid ſit, & in qvo conſiſtat, Scientia & Opinio qvomodo inter ſe differant, Opinio qvomodo diſtingvatur a fide? Sapientis non eſſe opinari, &c. &c. concludit tandem & demonſtrat, venuſtatem ac pulchritudinem corporis conſiſtere in opinione.

## HAMBVRGI

Sumtibus *Gothofredi Liebezeit* in lucem publicam prodiit Tractatus Germanicus ſeqventis tituli: *D.* Johann Friederich Mayers/P.P. Ihrer Königl. Mayt. in Schweden/Ihrer Hoch-Fürſtl. Durchl. des regierenden Hertzogs von Holſtein-Schleßwig/als auch Ihro Hoch-Fürſtl. Durchl. der Frau Ebtißin von Quedlinburg Ober-Kirchen-Rahts/und der Zeit der Theologiſchen Fac. in Kiel Decani, der Kirchen zu St. Jacobi in Hamburg Paſtoris Primarii, Bedencken über die Frage: Ob ein Prediger/wenn er von Gott zu einer andern Gemeine beruffen wird / die erſte aber wil ihn durchaus nicht laſſen / verbleiben/ oder auch ohne ertheilten Abſcheid ſolle davon ziehen/ eröffnet in einer gehaltenen Oration, als er dem berühmten Theologo und hochverdienten Paſtori Primario an St. Petri Kirchen/ auch Scholarchæ in Hamburg/ Seiner

Hochehrwürden Hn. Chriſtiano Krumbholtzen / S.Th. Lic. die Doctor-Würde und Ehre eines Aſſeſſoris der Theologiſchen Fac. zu Kiel den 25. Maji in St. Nicolai Kirchen allda ertheilete. Aus dem Lateiniſchen ins Teutſche überſetzet. Vorher gehet ein Schreiben an die Gemeine zu St. Jacobi in Hamburg / wegen ſeines in Pommern fürſtehenden Abzugs. (7. plag. in 4.)

Prodiit etiam aliud alius Auctoris *de Sagis & Spectris* ſcriptum in duas partes diviſum, qvarum *prior*, qvod *exiſtere poſſint*; *poſterior* autem, qvod verè exiſtant, docet. Probationes, qvibus veram Sagarum atqve Spectrorum exiſtentiam evincit, partim è Scripturâ Sacrâ, partim ex hiſtoriâ profanâ ſunt deſumtæ. Titulus libri hic eſt: *Joſephi Glanvil*; weil. Königl. Engliſchen Hoff-Predigers und vornehmen Mitgliedes der Societät gelehrter Leute/ *Saducismus Triumphatus*, oder Vollkommener und klarer Beweiß von Hexen und Geſpenſtern / oder Geiſter-Erſcheinungen / in zween Theilen verfaſſet / derer erſterer die Mögligkeit vorſtellet / daß ſie ſeyn können; das andere beweiſet / daß ſie würcklich ſeyn. Und ſolches erſtlich aus H. Schrifft / ferner mit auserleſenen Geſchichten neulicher Zeiten/ zum erſtenmahl aus dem Engliſchen ins Teutſche überſetzet. Hamburg verlegts Gottfried Liebernickel / druckts Nicolaus Spiering / 1701. (1. Alphab. 6. pl. in 8.)

Prelo Typographico liberatus eſt liber qvidam Geographicus ſeqventis tituli: Abbildung der Erdbeſchreibung / daraus die Geographie vermittelſt einer kurtzen und leichten Lehr-Art in weniger Zeit zu erlernen. Zum Gebrauch der Land-Karten verfertiget von G. *Marcel*. Hamburg bey Benjamin Schillern im Dohm. 1701. (8½. plag. in 8.)

Item: der Kirchen-Bann in der Hamburgiſchen Kirchen-Ordnung beſchrieben mit Worten des Hoch-Ehrwürdigen und Hochgelahrten Herrn *Friderici Balduini*, S.S. Theol. D. P.P. Paſtoris und General-Superintendenten in Wittenberg und gantzem Churfürſtenthum Sachſen / erkläret von *M. Johanne Vakes*, Ar-

chi-

chi-Diacono und Prediger der Gemeine zu St. St. Petri Pauli, denen Verächtern des Heil. Abendmahls/ die ſich ſeiner Seelen-Sorge haben anvertrauet/ zur Warnung/ ſammt einem Anhang vom Knecht/ Ehrenbläſer. Hamburg/ 1701. (4. plag. in 4.)

Porrò nova, eaqve ſeptima editio duorum librorum *Samuelis L. B. de Puffendorff*, qvi agunt *de Officio Hominis & Civis juxta Legem Naturalem*, lucem adſpexit, & qvidem Lemmatibus, Remiſſionibus & Indice auctior & correctior. Præmittitur *Joh. Gröningii*, JCti, *Hiſtoria Juris Naturæ & Gentium*, 1701. (21. pl. in 12.)

## LUBECAE

*Georgii Conradi ab Horn,*

*Med. D. & Phyſici Provincialis diſtrictus Luneburgici, ad Relationem de Nummis in Silice repertis,*

N. L. *an.* 1700. *Menſ. Auguſto* p. 243. *ſeqq. inſertam.*

*cogitata.*

Hiſtoriam ex *Jutia Septentrionali* allatam, qvam *de nummis in ſilice repertis* in Novis Literariis Maris Balthici lectu dignam reperi, orbi erudito non minima dubia creare, adeòqve rem eſſe, qvæ Naturæ Myſtis occaſionem inqvirendæ veritatis præbeat, nemo facile inficiabitur. In eo autem, me judice, cardo vertitur negotii; an Naturæ variè ludenti; vel Accidenti aliqvando intentionem mutanti; vel etiam arti opus hoc ſit adſcribendum,

Video qvidem à Viris perqvam Eruditis & maximè à Viro Celeberrimo, Domino *Ottone Sperlingio*, Regis Daniæ Conſiliario, &c. eruditiſſimum de cauſa hujus rei efficiente judicium eſſe allatum; Ubi omnia ad ſolum Naturæ negotium, qvæ lapidem ex materia limoſa ab initio molli, fortuitò crumenæ, qvæ nummos includebat, ſeſe circumligante ac ſucceſſu temporis indureſcente fecerit, exqviſitè refert.

Pace *Viri Nobiliſſimi* proferam, qvid mihi hìc ſubnaſcatur dubii: Silex hic, duriſſimum in ſuo genere corpus, per multorum annorum ſeriem pro malleo in uſu fuit; exempla verò ad probandam

illam ſententiam allata non niſi de meliori lapidum genere intelligi poſſe, atqve etiam inter picturas & corpus probe diſcernendum eſſe cenſeo. Accedit porrò, qvod ad λιθογενεσίαν præter locum proportionatum, ſeu matricem,& materiam aptè ad coagulationem diſpoſitam, Spiritus aliqvis lapidificus,ſeu calor ſemen naturale lapidificum excitans reqviratur, eaqve omnia de natura ſalis vel vitriolici, vel nitroſi, vel aluminoſi participent. Vide *Kircher. Mundi Subterr. Lib. 8. Cap. 1. & 3.*

Qvo poſito ſimul ſtatuendum,Spiritum illum, ſuam vim naturalem exſerendo,non ſolum ſacculum (qvem vel putredo, ut bene relatum eſt,poterat conſumere) ſed & ipſos nummos primum ærugine attentaſſe, mox & figuris exeſis corroſos & deformes reddidiſſe. Facilius enim talis de ſalina qvalitate participans ſpiritus ſuperficiem metalli politam inficit, qvam aliud corpus ex alio regno deſumtum.

Hæc autem corroſio, aut per tantum temporis ſpatium exſpectanda annihilatio in repertis hoc in ſilice nummis non obſervata eſt; aliàs enim literæ ipſis impreſſæ non ita accuratè potuiſſent legi ac diſtingui; ſed potius ærugine incruſtante ſuperficiem deturpatam repræſentaſſent, qvam tamen incorruptam,nummosqve, ac ſi ab initio fuiſſent,intactos fuiſſe, narratur.

Dubia hæc menti meæ objecta afferre lubuit; Interim non mihi tantos ſumo ſpiritus, ut *Nobiliſſimi Viri* ſuper hanc rem doctiſſimos conceptus rejiciam, liceat ſaltem mea inſimul afferre argumenta, eaqve aliorum qvoqve ſubmittere judicio. Fateor, me exemplo, qvod ſeqvitur, inductum, ut credam, hoc, de qvo qværitur, qvoddam ab arte factum fuiſſe opus, adeoqve inter *Pancirolli* deperdita fortè numerandum.

Fide digna habetur, ex ore aliorum, relatio, *Helmſtadii* annis abhinc non ita multis famulum publicum vixiſſe, pedellum qvem appellant, qvi artificium hoc liqvore ſibi ſoli noto, emolliendi ſilices durisſimos, ut figuras varias, velut in cera qvadam,poſſet imprimere,perfectè novit: qvin & ipſe ſæpisſimè nummos vel curioſitatis, vel ſecuritatis gratia, graſſante tunc temporis bello, tali

emolli-

emollito ſilici incluſit, ac poſtea priſtinam illi duritiem reddidit; prout hoc factum ſeniores in illa Academia atteſtari poſſunt, tanqvam rem ſibi ſatis notam, vel ipſis præſentibus demonſtratam. Hoc verò ſecretum ab ipſo pedello neqve pecuniâ oblatâ, neqve precibus qvisqvam impetrare potuit. Autoritatem huic hiſtoriæ qvoqve addidit *Nobil. Dnus Profeſſor Stiſſerus, in ſpecimine ſecundo Actorum Laboratorii Chemici in Academia Julia. Cap.* VI. Vbi ſimul adjungit illa, qvæ *D.* van der Becke *in Experim. circa rerum naturalium principia* Lib. I. affert, qvando deſcribit Experimentum, qvo ſilex mediante menſtruo qvodam iterùm ſeparabili, ita ſolutus fuerit, ut in Aqva, citrà heterogenearum partium ſeceſſionem totus ſolvi potuerit, tanqvam in primam originis ſuæ materiam; cujus rei oculares qvoqve teſtes adducit. Deinde nemini non notum judico, ſilices accedente ignis torturâ à qvovis mediocriter curioſo in fluorem poſſe reſolvi. Qvin etiam analogicè argumentari liceat de mollificatione vitri, tanqvam materiei, qvæ ex ſilicibus conficitur, ad ſilices ipſos. Et vitra non ſolùm liqveſieri, ſed, in qvo cardo rei vertitur, etiam inſtar ceræ emolliri poſſe, varia teſtantur exempla, qvæ reperiuntur inter alia *in Miscell. Acad. Naturæ Cur. Dec.* 2. *Ann.* 3. *pag.* 508. ſeqq. Et noti ſunt pasſim modi & deſcriptiones emolliendi ſaxa, vel artificium ipſum in Libris vulgaribus, denen Kunſt-Büchern.

De qvorum omnium ſucceſſu qvamvis valde dubitem, non tamen planè pro nihilo accipio cum vel umbram, vel famam artis hujus ſecum ferant; Et fortasſis, ſi à Curioſo qvodam Chimico, qvem nec ſumtus inutiliter forſan in principio impenſi pœniteret, periculum fieret, methodus hæc vitra, ſilicesqve emolliendi iterùm inveniri poſſet.

Posſibile ergo eſt, qvod talis qvidam artifex hos 126. nummos ſilici emollito ceræ tanqvam capſulæ, incluſerit, eiqve poſtea duritiem reddiderit.

Qvem ſilicem deinde vel ex caſu fortuitò in itinere perdidit, vel ex proæreſi in agrum projecit, ut invenirent poſteri, qvod

vel

vel mirarentur, vel, ſi ſeqventibus ſeculis artificium innoteſceret, artem hanc inter *Inventa Nov-antiqva* numerandam eſſe diſcerent. Tales enim artifices, qvi ſecretiora norunt facere phœnomena, tam parvam pecuniæ ſummam voluntarie perdere, vel rejicere pro luſu habent, ſeſe ſatis divites credentes.

Obiter hic annectam, ſupra nominatum *Pedellum Helmſtadienſem* etiam clavem ferream ſatis ponderoſam, vel aliud corpus Aqvâ gravius, in patellam certæ compoſitionis aqva repletam projeciſſe, qvod aqvæ innatavit, hoc eſt, ferrum in aqva natare docuit. Dolendum interim, qvosdam artifices mundo, aut proximo talia invidere plerumqve, cum eadem ſatis utiliter aut ad alia applicari, aut delectare potuiſſent. Interim certum hujus artificii exemplum an non certum nobis de incerto hoc ſubjecto præbeat judicium, alii judicent.

*Scriptum* qvoddam *monitorium Miniſterii Lubecenſis*, ut hujus Vrbis Cives & incolæ à *Reformatorum* concionibus ſibi caveant, publicæ luci expoſitum eſt, ſub hoc titulo: Treuhertzige Warnung an die Chriſtliche Gemeinen in Lübeck / ſich für der Reformirten Predigten wohl zu hüten / aus Veranlaſſung einer von Johann Melchior Fuesſlin gehaltenen / und darauff zum Druck befoderten Predigt / genannt; Pauli hertzlicher Wunſch für ſeine geliebte Epheſer / geſtellet von dem ordentlichen Predig-Ammt in Lübeck. Rudolſtadt / in Verlegung Johann Wiedemeyers / Buchhändlers in Lübeck / 1701.

(8¼. plag. in 8.)

# NOVA LITERARIA
## MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS,
*Edita Menſe Septembri M DCCI.*

### WISMARIAE

Die 9. Julii *David Georgius Gerdes*, Wismarienſis, hactenus Regiis Juſtitiæ Conſiliarius per Ducatum *Bremenſem & Verdenſem*, inter Aſſeſſores Summi R. M. Svec. Tribunalis receptus eſt, atqve in locum B. *Chriſtiani Adami Schleuſingii*, d. 8. April. defuncti, & nobis Menſe Junio p. 161. ſeq. laudati, ſucceſſit.

D. 14. Julii exſpiravit *M. Joachimus Chriſtophorus Bodenius*, ad D. Mariæ Diaconus. Natus is eſt Wismariæ An. 1663. d. 19. Novembris, Patre *M. Adriano Chriſtophoro Bodenio*, ad D. Mariæ Diacono. Literis in Schola patria & Lubecenſi tinctus, A. 1682. *Roſtochienſem* petiit Academiam, in qva A. 1684. Menſ. Sept. de *differentia unionis Perſonalis & Myſticæ*, ſub Præſidio *D. Juſti Chriſtophori Schomeri* publice diſputavit. Hanc A. 1685. cum *VVittebergenſi* commutavit, ubi, poſt impetratos ſummos in Philoſophia honores, Præſide *D. Johanne Friderico Mayero*, Diſputationem qvandam *Theologiæ Moralis D. Dorſchei*, ex MS. *editæ*, propoſuit. Reverſus eodem Anno *Roſtochium*, A. 1686. Menſe Martio de *Paſſione Jeſu Chriſti*, Præſide iterum *D. Schomero*, & Menſe Majo, Præſes de *Idololatria Gentilium*, diſputationes publicas habuit. A. 1688. in patria conjugium iniit cum *Dorothea*, *Joachimi Pariſii*, Conſulis Wismarienſis, filia. Poſt ad ſacrum vocatus officium, ab A. 1694. *Paſtoris ad Sp. S.* & ab A. 1696. *Diaconi* ad D. Mariæ munere functus eſt.

### ROSTOCHII

Die 17. Aug. Univerſitatis Pro-Rector, *Joh. Petrus* Grünen-

berg/ Ph. ac Th. D. hujusqve P. P. Duc. Conſiliar. Conſiſt. Provinc. & Diſtr. Mecklenburg. Superintendens, in funus *Caroli Auguſti* à Bülau/ ad ædem Petrinam Paſtoris primarii, Programma lugubre publicavit, qvod conſtat 2. plag. in 4. Natus eſt hic B. à Bülau Guſtrovii an. 1668. d. 20. Septemb. ex Generoſiſſimo ſtemmate, & qvidem Patre *Adamo Henningio* à Bülau/ Hereditario in *Glaſſau, Gramſau* & *Briſtau*, olim Cameræ Ducalis Guſtrovienſis Præſide, poſt ſupremo ditionis Boizenburgenſis Præfecto, & Conſiliario deniqve per terras Mecklenburgicas provinciali; licet generi huic Büloviano eousqve benedixerit Deus, ut è Büloviis etiam per lineam maternam Reges procreari voluerit, uti Programma publicatum fuſius docet, tamen hac nobilitate & nitore familiæ gloriatus non eſt, qvia credidit magis ſe nobilitari Theologiæ Studio, & S. S. Miniſterio. Cum ex voluntate Parentis an. 1684. Roſtochii Studioſis connumeratus eſſet, & per triennc ſpatium Studio Juris vacaſſet, poſt Parentis obitum, qvi obtigit an. 1692. vocationem internam agnoſcens, animum prorſus ad Studium Theologicum applicuit, & mirificâ cum induſtriâ Theologis & Philoſophis adhæſit, ſpecimina etiam induſtriæ nonnulla edidit. Iter in Hollandiam atqve Angliam parans, Conjugio & officio retractus eſt: ſiqvidem an. 1696. ad Diaconatum Eccleſiæ Petrinæ & an. 1699. ad Paſtoratum ejusdem Eccleſiæ vocabatur. Cum in eo eſſet totus ut honores ambiret Doctorales, ex improviſo à variis animi commotionibus in tantum fuit exacerbatus, ut phtiſica corporis ejus conſtitutio in conſummatam degeneraret phtiſin. Vnde & d. 7. Aug. ex hac vitâ diſcesſit, filium unicum, duasqve filias ex viduâ ſuperſtite relinqvens.

Die 28. Aug. *D. Joh. Erneſtus Schaperus*, Med. Prof. Ducalis, & FCtis ſuæ Pro-Decanus, Programma qvoddam propoſuit, qvo Diſſertationem Medicam Inauguralem Candidati *Johannis Brandtii*, Lubecenſis, *de Variolis*, die 6. Septembr. horis ante- & pomerid. pro conſeqvendis in Medicinâ honoribus ventilandam indixit. Programmatis titulus eſt, *Propempticon Inaugurale de ratione Phæ-*

*nomeni*, qvî fiat, qvod duo fratres uterini locorum intercapedine disſiti, ſimul variolis affici qveant. ($1\frac{1}{2}$. plag. in 4.)

Typis Wepplingianis exſcriptæ ſunt *Demonſtrationes Phyſicæ Curioſæ*, hactenus inſtitutæ & in gratiam Auditorum ſuorum deſcriptæ à laudato modò *Joh. Erneſto Schapero*, Med. D. & Prof. Duc. Publico. (7. plag. in 4.)

## STRALESVNDAE

Præter Relationem illam primam, Victoriam Svecorum à Saxonibus obtentam enarrantem (cujus præterito Menſe Auguſto pag. 228. mentionem fecimus) etiam ſeqventes ad numerum octonarium usqve prodierunt ſub hoc titulo: Triumphirende Sieges-Zeitung. Vniverſè conſtant $3\frac{1}{2}$. plag. in 4.

Prodiit etiam Catalogus Librorum partim *Theologicorum, Exegeticorum, Homileticorum*, partim *Philologicorum, Philoſophicorum*, aliorumqve varii generis B. M. *Chr. Lokervitzii*, Eccleſiæ Stralſundenſis ad D. Nicolai qvondam Diaconi, qvi die 10. Octobr. & ſeqq. horis 9. antè, & 2. pomerid. publico auctionis ritu diſtrahentur. His miſcellaneorum N. N. appendix acceſſit. Catalogus implet 5. plag. in 8.

## GEDANI

In Athenæo *D. Samuel Schelgvigius* diſputando continuavit Qvæſtionum Theologicarum

Pugillum LI. Reſp. *Joh. Ephraim Gnoſpio*, Gedan. d. 1. Auguſti, An joci ſine exceptione omnes dedeceant Chriſtianum? *Neg.* An ſuper eo, qvod formaliter divinum non eſt, ridere liceat Chriſtiano? *Neg.* An ſpectacula ſcenica adornare, eademve ſpectare, aut qvoqvo modo adjuvare, dedeceat Chriſtianum? *Neg.* An moderatus & ſolius oblectationis gratia inſtitutus chartæ aleæve luſus, ſimpliciter dedeceat Chriſtianum? An choreæ hominum diverſi ſexus, manus mutuò connectentium, modulisqve Muſicis motum

corporis accommodantium, qvales hodie in Germaniâ, Poloniâ, viciniſq; regionibus duci ſolent, per ſe ſpectatæ, peccatum ſint? *Neg.* Pugillum LII. Reſp. *Johanne Korzinskj*, Ged. d. 2. Aug. An Chriſtiano, pro qvalitate ſtatus & conditionis ſuæ pretioſis veſtibus uti liceat? An verba geſtusqve civilitatis aut reverentiæ (Complementen) qvibus erga alios uti mos eſt, dedeceant Chriſtianum? *Neg.* An recreationis gratiâ exſpatiari & deambulare liceat Chriſtiano? *Aff.* An novellas legere iisqve ſe delectare Chriſtiano liceat? *Aff.* An modis honeſtis divinæqve gloriæ nil derogantibus famam honoremqve apud homines qværere, aut ſi obtingant, acceptare Chriſtiano liceat? *Aff.* An Chriſtiano per Muſicam vocalem, aut inſtrumentalem conviviis ſimilibusve conventibus honeſtis adhibitam alios oblectare, vel ut â Muſicâ tali ipſe oblectetur, permittere liceat? *Aff.* An iis, qvi Adiaphora, ſub opinione neceſſitatis urgent, reſiſtendum? *Aff.*

*Fridericus Chriſtianus Bücherus*, libello D. *Joh. Wilh. Zieroldi*, Paſtoris & Profeſſoris Stargardienſis, qvo diſputationem ſuam inauguralem, *de Nexu communionis noſtræ cum Deo*, in Platone Myſtico Platoniſmi notatam acerbè vindicaverat, duo ſcripta opponere conſtituit, qvorum primum nunc prodiit, ſub titulo: *Pietiſta ἀσύμβολος* oder Symboliſches Urtheil von der Fanatiſchen Lehre der Pietiſten / inſonderheit des Hn. D. Johan Wilhelm Zierolds / Prof. Theol. und Paſt. zu S. Johan und Auguſtin in Stargard / ſeiner Läſter-Schrifft / in Chriſtlicher Beſcheidenheit entgegen geſetzet / von Friedrich Chriſtian Büchern / Dienern Chriſti an der Altſtädtiſchen Pfarrkirchen in Dantzig. Dantzig / druckts Simon Reiniger / 1701. (pl. 10. in 4.) Agitur in illo de Enthuſiaſmo, Perfectiſmo, Syncretiſmo & Scepticiſmo Pietiſtarum in Articulis de Scripturâ S. de S. S. Trinitate, de Imagine Dei & Libero Arbitrio, de Chriſto & ejus redemptione, de illuminatione, regeneratione, juſtificatione, pœnitentiâ & renovatione, de adiaphoris, deniqve & de noviſſimis, &c.

Per auctionem publicam diſtrahebantur Bibliothecæ:

1. â d. 20. Julii *Chriſtiani Bilgrini*, Civis Gedanenſis, Catalogus implet pl. 3. 4to.

2. à die 1. Aug. *Eilhardi Czirenbergii*, Paſtoris ad D. Bartholomæi. Catalogus conſtat pl. 14. 4to.

3. à d. 15. Aug. *Joh. Kolckau*, Conſulis primariæ Civitatis, qvi ad Comitia Pruſſiæ Grudentum ablegatus, in reditu qvinqve ab urbe milliaribus 21. Februarii diem obiverat & 9. Martii, ritu ſolenni, ſepultus fuerat, Catalogus explet. pl. 13½. 4to.

Edita eſt etiam Gedani, *Henr. Saſſtenii*, Paſtoris in Seligenfeld, *Pædagogia Catechetica* ſub titulo: Die Seligenfeldiſche Kinder-Lehre/ das iſt/ einfältige/ kurtze und deutliche Erklärung des Catechiſmi &c. typis Joh. Zach. Stollii. pl. 6½. 12.

Item: *Gottlieb Schelgvigii Submiſſum Salve*, ad Virum Magnificum & Generoſum *Dn. Gabrielem ab Bœmeln*, Civitatis Gedanenſis Conſulem, è Deputatione Gallicâ 30. Junii feliciter reducem, typis ejusdem Stollii. 1. pl. 4to.

## *Chriſtophori Behrii*, *Eloqventiæ & Poëſ. Prof. Publici*, *Epiſtola ad D. Samuelem Schelgvigium*, *de Modii Romani*, *ad Menſuras hodiernas*, *Dantisci, & in Belgio, multisqve in Germaniâ locis uſitatas*, *Applicatione*.

Cùm his diebus mentionem tibi injicere luberet Viri Clariſſ. ſed jam beat. memor. *Joh. Petri Titii*, (ut ejus libenter meminiſſe ſoles) Collegæ olim Tui in munere Profeſſorio apud nos, ſed mihi qvoqve titulis innumeris & commendati & deſiderati; atqve ego in Schedis Viri hujus Doctiſſimi, qvarum aliqvas jam pridem, ſed nunc poſt obitum Viri p. m. Pl. Reverendi *Andreæ Barthii*, Paſtoris hic ad D. Catharinæ hactenus meritiſſimi, olim mecum Generi *Titiani*, Amiciqve mihi cariſſimi, pleraſqve omnes obtinui, plurima, è qvibus multum proficere poſſem, invenire me teſtarer, ſimulqve de *Modio Romano* cogitantem me per Schedas iſtas in multis admoneri atqve erudiri profiterer, qvâ erga literas, illas qvoqve qvas Humaniores vocant, animi propenſione es, provoca-

ſti me, ut de his Tecum aliqvid communicarem. Pareo. Sed ſi minùs tibi ſatisfacio, & ſi per inopiam doctrinæ, non ſatis impleo Modium Romanum, Tua id erga vel modicos etiam in rebus ejusmodi conatûs, benigne interpretando, excuſabit, ſpero & qvaſi ſupplebit facilitas. Res ſic habet.

Modius videtur fuiſſe menſura reſpondens uni parti qvartæ ejus menſuræ, qvam vulgò Dantiſci & in Germaniâ vocant Scheffel/ Belgicè *Schepel*. Nos hic, qvia à Schauffel/ ſive à palâ nomen habet, Palarium cum veniâ dicemus: LX, talia Palaria efficiunt *Dantiſci* 1. *Laſtam*, ſive *Sexagenam Palariam*. Romani non ſunt uſi nomine Palarii, qvia ad implendum Modium palâ non utebantur. Nec erat neceſſum, cùm tam modius eſſet Modicus, ut eo ipſo haurire poſſet frumentum manus unius hominis, vel fortè duo homines, ſed citra uſum palæ, eratqve ut opinor anguſtiore formâ, ut non opus eſſet adhibere radium æqvatorium. (Streichholtz) Cum verò menſura frumenti noſtra, ſine palis impleri commodè neqveat, menſuram eam à palâ vocemus *Palarium*, nempè Palarium metiendi inſtrumentum.

Diximus Modium æqvalem eſſe uni qvartæ *Palarii*, qvod prius calculo, è menſuris modio affinibus petito; deinde etiam ex hiſtoriâ probabimus.

*Calculus.*

*Joh. Mariana libro de Menſuris & Ponderibus cap.* 16. *Congius, inqvit, continet* 6. *Sextarios.* Hæc ille. Sextarius autem (dictus qvod eſſet $\frac{1}{6}$ Congii) pendebat libr. Roman. $1\frac{2}{3}$ ſeu uncias Romanas 20. Unde *Q. Rhemnius Fannius*:

*Nam libra, ut memorant, beſſem Sextarius addit.*

Jam verò V. Cl. *Joh. Petro Titio* docente, qvem & publicè, ceu virum, Doctrinæ, dum viveret, magnæ & elegantis, & privatim qvoqve ceu Præceptorem & Socerum, deniqve etiam in munere, qvod gero, Deceſſorẽ meum colo, illo, inqvam, *in Commentariis* MSS docente, æqvant unciæ Rom. 20, uncias Dantiſcanas 23, ſive dimidium *Stofi* Gedanenſis Vinarii, qvem *Stofum* liceat appellare *Holoſtofum* Vinarium, voce Hybridâ, ut aliàs Latini Carrucam Carrochiumq; &

mille

mille talia alia, dixere. Hujus *Holoſtoſi* dimidium vulgò dicitur Ein Halben/ nos *Hemiſtoſum* vocabimus, eiqve, ut jam diximus, tribuimus 23. uncias Gedanenſes, eundemqve reſpondere diximus uni Sextario Romano.

Jam.

Si 6. Sextarii dant Gedani 6. *Hemiſtoſos* vinarios: 16. Sextarii dabunt 16 *Hemiſtoſos*, ſeu 8. *Hemiſtoſos* Gedanenſes. Sunt autem 16. Sextarii æqvales uni Modio Romano, teſte *Fannio*, ſcriptore temporibus *Tiberii & Claudii* Cæſarum æqvali, uno in his optimo auctore, (qvod de illo, cùm unus in hoc argumento ſemper ſibi conſtet, fert judicium *Joh. Baptiſt. Villalpandus Cordubenſis è S. I. ad Ezechiel. de Hebræorum Menſuris Lib.* 3. *cap.* 7. *p.* 448.) Ergo modius Romanus æqvat 8. vini Holoſtoſos Gedanenſes Vinarios. Sed putà pondere, non menſurâ. Sunt autem 16. Sextarii æqvales libris Rom. $26\frac{2}{3}$. Qvot Libras *Plinius* etiam tribuit uni modio tritici *Italici*, ut paulo pòſt, adducto ejus loco, oſtendemus. Et tantum eſt etiam pondus in $\frac{1}{4}$ parte menſuræ frumenti Palariæ (Scheffel). Dantiſci qvidem in *Conſtitutionibus Panariis* uni menſuræ Palariæ frumenti Secalis (Roggen) qvod neſcio qvid aliud ſit, qvàm far adoreum *Plinii* H. N. 18, 8.) ibi, inqvam, uni menſuræ tribuuntur libræ Dantiſcanæ 98. Nam licet pro panibus unam menſuram Palariam numerari tantùm ſoleant libræ 92, tamen ſi illis addatur $\frac{1}{16}$ nempe emolumentum molendinarium, & inſuper palearum illud intertrimentum, qvod inter molendum decedit, implebuntur libræ 98. Cujus pars qvarta efficit libras Dantiſc. $24\frac{1}{2}$. Ergo modius æqvat $\frac{1}{4}$ menſuræ Palariæ Dantiſcanæ. At inqvis, *VVillebrodus Snellius in Eratoſthene Batavo*, lib 2. c. 5. demonſtravit, Unciam Romanam veterem æqvalem eſſe Troiſicæ, ſeu Belgicæ, aut Antvverpienſi hodiernæ. Unde ſeqvitur, libras etiam utrobiqve æqvales eſſe. Eſt autem *Troiſica* libra ad Dantiſcanam, ut 7680. ad 5913. Aſas. (Nam 184. *Engliſæ* cum 25. Aſis æqvant 1. lb. Dantiſc. Sed una Engliſa habet 32. Aſas). Ergo 98. libr. Dantiſc. dant libras Rom. $75\frac{2237}{3840}$ i. e. penè $75\frac{2}{3}$. Unde ſeqvitur $\frac{1}{4}$ de 75. libr. Rom. eſſe tantùm $18\frac{3}{4}$ libr. Sed nihil hoc nobis obeſt, immò potius pro nobis facit. Nam ſic apparet, frumen-

tum

tum ſecale (*Seigle*) eſſe medio pondere inter hordeum & triticum. Qvod omnino ita eſt. Tribuit autem Plinius H. N. 18. 7, modio Romano hordei 15. libr. & modio tritici 20, usqve ad 26. libras. Qvæ inter pondera locum medium obtinent Secalis libræ $18\frac{3}{4}$ E qvibus hoc etiam ſeqvitur, ſi $\frac{1}{4}$ menſuræ Palariæ Dantiſci in frumento ſecali dat $18\frac{3}{4}$ libras Rom. omnino ibidem menſuram æqvalem in tritico (qvod gravius eſt) daturam eſſe libras 20. vel 24. Romanar. Ut adeò ratio Ponderum frumenti, Romæ & Dantiſci parùm diſcrepet. Apparet hinc perſpicuè Modium Romanum congruere Dantiſci cum $\frac{1}{4}$ menſuræ Palariæ (Scheffel) ſive mavis (Schepel) Hactenus calculum noſtrum adhibuimus: nunc & hiſtorias ad Modium pertinentes ſpectemus.

## *Hiſtorica.*

*Donatus ad Phormionem Terentii*, I, 1. 9. *voce Demenſo: Qvaternos* inqvit *ſervi modios in menſem accipiebant.* Vid. *Barth. ad Claudiani Bellum Gildon verſ.* 71. Iſti 4. Modii efficiunt Gedani ruditer (nam minutias Calculi in aliud tempus differimus) unum Palatium (Scheffel). Palarium verò dat panes Gedani $6\frac{1}{2}$ librarum in farinâ craſsâ 14. Eſt autem farina iſta ſatis craſſa, qvia illi palearum exiguum tantùm aliqvid decedit. Ergo ſervi in farre accipere ſolebant in menſes ſingulos, 14. panes $6\frac{1}{2}$ librarum, cum parvulo qvodam exceſſu in panes ſingulos. Sed non ſolebant ſervis panes dari tantâ ſinguli mole; ſed tantùm panes librales. Unde *Cato* cap. 56. *de Re Ruſticâ, de ſervis* loqvens: *Compeditis per hyemem pondo* 4: *Ubi vineam fodere cœperint, panis pondo qvinqve, usqve adeò dum ficûs eſſe cœperint. Tum ad Panes* 4. *redito.* Ad qvæ verba ſuprà laudatus *Villalpandus ad Ezech. de Hebræorum Menſur. lib.* 3. c. 7. *Panes* inqvit, 4. *pro* 4. *libris accipit Cato, librarios fuiſſe panes indicans, qvorum qvaterni aut qvini è Chœnice fiunt, qvæ diurnum homini cibum præſtat.* Hæc ille. Jam cùm Romæ Menſes lunares, adeoqve dierum 8. & viginti eſſent, accipere ſervi ſolebant in dies ſingulos ferè panem librarum $3\frac{1}{2}$ cum parvulo qvodam, ut diximus, exceſſu. Poterantqve hoc cibi modo acqvieſcere. Nam conſtat experimentis, duo-

bus

bus hominibus operariis, ſi iſtis ciborum etiam aliud qvid addatur, ſufficere ſolere in dies ſingulos panis libras 3. Ergò libræ panis 3¼, ſi nihil cibi adderetur aliud, ſufficere poterant uni homini ſervo: Niſi qvod iniqvi qvondam; ſeu juſto minores adhiberentur modii. Unde illud Juvenalis, Satyr. 14,136.

*Ventres ſervorum modio caſtigat iniqvo.*

Lipſius Elector lib. 1. c. 8. p. 514. è Polybio docet, menſtruum militis 4. Modios fuiſſe. Civibus autem ibidem in menſes ſingulos 6. modios dari conſveviſſe conjectat. Ergò & milites in dies ſingulos accipiebant panis libras 3¼. At, inqvis, tu ſervis in diem aſſignas 3¼ panis libras Dantiſcanas. At Cato eis tribuit libras totas 4. Romanas. Hîc breviter dico, fateri me, eſſe diſcriminis aliqvid inter calculum meum & Catonis: Sed cum in Modii totius calculo inter nos & Plinium benè convenire pateat, de Calculo Catonis, in modii partibus, non usqve adeò minutias ſpectare neceſſe eſt. Imo qvis vetet credere, Catonem in panibus ponderandis uti voluiſſe numero rotundo, ut nominet libras 4, licet aliqvid deeſſet. Qvid qvòd non ſemper ſervi qvotidie panes acciperent, ſed illis, ut ſuprà vidimus, modii farris qvaterni in menſem darentur, idqve crudi farris, nondum moliti, nedum in panes jam redacti, ut mox explicabimus.

Plinius H. N. lib. 18. c. 7. uni modio tritici Cluſini in Italiâ tribuit 26. libras Rom. Qvem locum hîc libenter adducimus, qvia in iſto Plinii numero redit noſter numerus, cùm modio, ſive 16. Sextariis ſuprà tribuimus libras Rom. 26⅔. Licet Plinius eod. loco fateatur, tritici Gallici ſolas libras 20. in unum modium ſufficere.

Hîc nobis occurrat qvis hoc modo. Qvid iſtud? 4. libræ panis uni homini dabantur in dies? Qvis homo tantæ gulæ eſt, ut hoc abſumat? Reſpondeo, Romanos veteres maluiſſe in aſſignando cibo diurno erga ſervos humanitatis, qvàm avaritiæ habere rationem: Maluiſſe in diem aliqvid ſervis ſupereſſe, qvàm deeſſe. Qvò illud Pythagoræ qvoqve pertinebat, qvi vetabat homines inſidere Chœnici, qvæ erat menſura Græcorum, capiens qvaternas circiter aut qvinas libras frumenti, in cibum hominis diurnum. Ve-

tabat homines Chœnici inſidere, h. e. jubebat ſemper in *Chœnice* aliqvid in craſtinum uſum relinqvi, nec totum diurnum demenſum abſumi. Si qvid ergò in Chœnice repoſitum maneret, non poterant eam homines invertere eiqve inſidere. Vid. Plutarch. Sympoſiac. 7. probl. 4. Porrò ſciebant Romani, qvamvis multum cibi ſervis aſſignaretur, tamen non defuturas fraudes hominum, per qvas de demenſo, vel de aſſignato aliqvid decerperetur. Qvò ſuprà reſpeximus adducto verſu Junenalis, qvo de modio erga ſervos iniqvo agebatur.

Opus ergo erat, ut ſervis in dies qvaterni darentur panes, qvi cùm librales eſſe deberent, tamen à pondere ſuo ſæpè aberrabant, ut ſervi pro 4. libris in cibum acciperent fortè ternas tantùm libras, immo minus. Solebant autem Modios accipere frumenti, ut ex eo vel toſto, vel in farinam redacto, pro lubitu ſibi vel panes vel alia ferculorum genera, in cibi uſum effingerent.

Ad Modii explicationem iſtud qvoqve pertinet. Varro, lib. 1. de Re Ruſt. c. 44. *Seruntur* inqvit, *fabæ modii in jugero qvatuor; tritici qvinqve, hordei ſex, farris decem. Sed nonnullis locis paulo amplius, aut minus.*

Columella lib. 2. c. 9. *Jugerum agri pinqvis plerumqve modios tritici* 4, *mediocris* 5. *poſtulare obſervat.* Idem Ibid. c. 11. extrem. *Modius tribus* inqvit, *interdum duobus ac ſemodio jugerum occupatur.*

Qvi accuratius ponderum in Modio Romano examen, & ſimul eorundem accuratiorem cum ponderibus & menſuris in Angliâ comparationem expetit, conſulere poteſt Everhardi Bernhardi commentarium de Menſuris & Ponderibus antiqvorum accuratiſſimum, lib. 1. §. 31.

Hæc paucis in chartam conjicere, & omnia ponderum meorum momenta, menſurarumqve inter ſe vel æqvalitates vel diſcrimina judicio Tuo ſubmittere lubuit. Tu æqvi boniq: iſta conſulas. Extremo loco proſperrima quæqve & Tibi & toti Domui Tuæ Honoratiſſ. ſimulqve Eidem amiſſo nuper Magno Civitatis Noſtræ PræCos. ipſiqve propinqvà neceſſitudine conjuncto, non mediocriter afflictæ ſolatia Divina apprecor, &c.

*Cal-*

*Calculus veſicæ cum hujus exulceratione.*

Anno 1701. die 11. Maji Erdman Bölſer / adoleſcens undecimum annum ætatis ſuæ agens, poſtqvam ab incunabilis qvaſi atrociſſimis doloribus circa veſicæ regionem ac dolorifica urinæ excretione mirum qvantum excruciatus ac enervatus fuiſſet, nec remedia tàm interna qvàm externa qvicqvam auxilii ac ſolatii attuliſſent, moritur. Recluſo itaqve hujus abdomine cultello, remotisqve inteſtinis ſtatim ad ipſum locum acceſſimus affectum, ubi primum exterior ac ſuperior veſicæ pars exulcerata, interior autem materiâ purulenta ſangvinolentaqve repleta erat, inde acceſſimus calculum ipſum veſicæ jam depictum, grandem, in medio ſiliceum, in ſummitatibus autem arenaceum ac ℥iij ponderantem.

Johannes Gloſemeyer,
M. D. ejusdemq; ac Phyſices Profeſſ. Publ.



## REGIOMONTI

Die 4. Auguſti *M. Michael Schreiber*, Eloqv. P. P. Programma funebre edidit in funere *Sophiæ Golziæ*, ex cujus vitâ aliqvot *memorabilia ſeptenarii numeri* propoſuit. Titulus eſt: Die merckwürdige Sieben. Conſtat 2. pl. in fol.

Die 12. Auguſti intra 5. & 6. veſpertinam ſubitò ortus eſt Turbo,

ventus è depreſsâ nube contortus, *Ariſtot.* λαίλαψ dictus, qvi, licet valde anguſtos intra limites graſſatus, aliqvot momenta tantùm duraverit, damna tamen intulit gravisſima, totas domus ſubvertit, arbores conqvaſſavit, funditùs evulſit, in alias partes transportavit, tecta perforavit ac retexit plurima, ac vim miram ac robuſtam perrumpendo, deprimendo, elevando, transportando res intra & extra domus, exſeruit, ut ſi aliqvot horas duraſſet, urbis ruinam edidiſſet maximam. Qvidam concurſum ventorum obſervaſſe perhibentur.

Die 14. Auguſti, Serenisſimi atqve Excelſisſimi Principis ac Domini, Domini *Friderici Wilhelmi*, Regni in Pruſſia & Electoratus Brandenb. Heredis &c. &c. Natalem, Programmate publico celebrandum intimavit ſupra dictus *Profeſſor Eloqventiæ*, in illo præſens hic annus tanqvam *Boruſſorum Jubilæus* ab eodem fuit propoſitus. Orationem, *eodem Profeſſore* directore, die inſeqventi habuit *Fridericus Kupner*, Regiom. Pruſſus.

Die 15. Auguſti *Idem* in funere *Annæ Biemanniæ*, *Chriſtophori Zeidleri*, Diaconi Rosgartenſis apud Regiomontanos Vxoris, vitam ejus 40. annorum, cum itinere Iſraelitarum, per deſertum in Canaam, qvod totidem duravit annos, comparavit Programmate Germanico, cujus titulus: Viertzig-jährige Walfarth in der Wüſten dieſer Welt.

Die eodem *Gothofredus* Sand / Ph. & Med. D. ac P. P. Ord. Reſpondente *Georgio Alberto* Stoltz/ Med. Stud. Inſterb. Boruſſ. ſemel atqve iterum ſuprà nobis laudato, *de Effœtarum lactatione* Diſputationem habuit, in qvâ Caſum, qvi in pago Pamitten/ duobus milliaribus Regiomonto diſtante, ſedecim ante annos contigit, pertractat, ex qvo unum & ſexaginta annos natam Vetulam, *Annam* Peitſchinn/ qvæ viginti & qvod excedit annorum ſpatio nec pepererat nec lactaverat, ex filia nepoti, ſex ſeptimanarum puſioni, matris orbo, exſuccas mammas præbuiſſe, easqve ex ſuctu iſto, lacte ita turſiſſe, ut infanti ſufficiens, imò abundans alimentum fueriſ ſuppeditatum, liqvet. Adducuntur variæ Auctorum de materiâ

lactis

lactis opiniones, qvorum *alii* vapores lacteos pro materiâ ejus ſufficere opinantur, *alii* Chylum, *alii* Chylum ſimul cum ſangvine, *alii* ſuccum aliqvem arterioſum & nervoſum, *alii* ſangvinis ſerum, *alii* ſangvinem menſtruum, *alii* alimentarem optimum, *alii* minus bonum, *alii* venoſum, *alii* arterioſum lactis materiam præbere volunt; qvarum opinionum rationibus, qvibus qvælibet ſuffulcitur, ſingulatim examinatis, qvantum qvælibet valeat, explicatur, atqve vera de lactis materiâ ejusqve cauſâ & generationis modo, ſententia traditur: tandemqve vetulæ huic non *ſecundum*, nec *contra*, neqve *ſupra*, ſed *præter* naturam (non Medicè tamen, qvibus præter naturam & contra naturam ſynonimicè dicuntur, voce acceptâ) lactationem eveniſſe, docetur. (4. pl. in 4.)

*Die* 17. Auguſti *M. Chriſtianus Sahmius*, Regiorum hactenus Alumnorum & Communis Convictorii Inſpector ſecundarius, nunc Athenæi *Gedanenſis* Mathem. Prof. Publ. & Rector Johannitanus deſignatus, diſputavit de Qv. *Vtrum ſingularium Scientia detur?* Reſpondente *Joh. Chriſtophoro Teuber*, Regiomont. Pruſſo.

Eodem die Diſputatio *D. Gothofredi Wegneri*, Reſpondente *Nicolao Tolckemit*, Elbingenſi, *de Emendatione Calendarii* habita, & qvæſtionibus aucta, Deo volente lucem videbit.

Die 18. Auguſti *Antixenium* Diſputatione Theologicâ ad XXIV. Dubia, pro *Xenio* novi anni 1700. Paſtoribus Aug. & Helvet. Confeſſ. oblatum reſpondendo cuidam inqvirenti, *qvam inter tot diverſas Religiones in Hungariâ toleratas, capeſſere & eligere debeat?* ſub Præſidio *Pauli Pomian Peſarovii*, S. Theol. D. P. P. ExtraOrd. ab *Andreâ Hagymaſchio*, Pannonio. (4½. pl.)

Die 23. Auguſti Præſide *Bernhardo* von Sanden/Jun. S.Theol. D. & Prof. Ord. Decas Theſium controverſarum ex Loco *de Providentia* ſelectarum, ab *Andreâ Henrico Rauſch*, Gerdav. Pruſſ. propoſita fuit. (3. plag.)

Die 22. Auguſti prælaudatus *M. Chriſtianus Sahmius*, Reſpondente *Georgio Sigismundo Raſt*, Reg. Pruſſ. *de Cathedris Apoſtolorum* diſputavit.

Die 29. Auguſti aliqvoties jam laudatus *M. Michael Schreiber*, Eloqv. P. P. in funere *Jacobi Hoffmanni*, S. Reg. Majeſt. in Pruſſia ſupremi Tribunalis Conſiliarii, & Reipubl. Lœbnicenſis Conſulis, nomine Academiæ publico evulgavit Programma, in qvo *Qv. Metelli Macedonici* Verba ſuper obitu *Scipionis Africani*; *Concurrite Cives, mœnia noſtræ urbis everſa ſunt*; ad Lœbnicenſes applicavit.

Die 30. Auguſti præmemorato *Bernhardo* von Sanden Præſide, *Sigismundus Schleſiger*, Regiomont. Pruſſus Decadem Theſium controverſarum, *de Perſona Chriſti* publicæ ventilationi exhibuit. (2½. plag.)

Die 31. Auguſti ante dictus *Sahmius*, *Vladislao Henrico Genſichen* Reſpondente, Diſſertationem publicam *de Occultatione Stellarum Fixarum per Lunam*, habuit.

## VPSALIAE

Die 14. Febr. ſub Præſidio *Joh. Esbergii* Diſputationem de *Bethesda Hebræor.* publico examini ſubmiſit *Sveno Carlmarck*, Wermelandus. (plag. 1. in 8.)

Die 30. Mart. *Daniele Diurbergio* Præſide, *Daniel Trautzel* Gymn. Stregn. Lector *de Libro vitæ æternæ* Diſſertationem publicè propoſuit. (plag. 2¼ in 8.)

Die 16. Apr. *Joh. Reſtelio* præſide, *Sveno Gram* Diſputationem *de Apibus* publicè examinandam ſtitit. (3. plag. in 8.)

Die 18. Maji ſub præſidio *Joh. Palmroot*, ventilavit *Carolus Sculteen* Weſmannus *Commentarium R. Iſaci Abarbanelis in Jonæ 3. & 4. Capp.* (plag. 5. in 8.)

Die 22. Maji antè dicto *Joh. Reſtelio* præſide, *Jacobus Bartholin* Calmarienſ. *de exiſtentia juris naturæ* diſputavit. (pl. 13. in 8.)

Die 25. Maji *Jacobo Arrhenio* præſide, *Jacobus Arrhenius* filius *de Sardanapalo* Diſputationem habuit. (pl. 3. in 4.)

Die 31. Maji *Joh. Reſtelio*, paulo ante nominato, præſide, *Haqvinus*

*nus Kylander* Oſtrogoth. *de idoneo polit. Ariſt. auditore.* Diſſertationem propoſuit. (pl. 2. in 8.)

HOLMIAE

Auguſtiſſimi Svecor. Monarchæ CAROLI XII. Natalem nonâ & decimâ vice refulgentem d. 17. Jun. Oratione panegyricâ in Lycéo Germ. celebravit *Magnus* von der Liedt/Holmienſ.

Typis excuſa eſt *Ad DEVM ter opt. max. ſolemnis gratiar. actio ſimulqve ad Regem Auguſtiſſimum CAROLVM. XII. læta adclamatio ob Victoriam omnis memoriæ glorioſiſſimam prope Narvam d. XII. Cal. Dec. M DCC. de Moſcovitis reportatam, ex decreto Senatûs Acad. Vpſal. d. VIII. Idus Febr. M DCCI. in ædis Guſtavianæ Audit. Majore publicâ panegyri factâ à Johanne Arndio Bellmanno, Eloq. Prof. Reg.* (pl. 3. in 4.)

Typis etiam exſcripta eſt Concio Svetica ſuper obitum Generoſiſſimi & Excellentiſſ. Comitis *Dni Caroli Bonde*, Sacræ Reg. Maj. Sv. Senatoris, Præſid. Dicaſt. Dorpatenſis in Livoniâ, primar. Legati extraord. & plenipot. Mediatoris Tractatûs pacis Ryſvvicenſis &c. in templo Ridderholmenſi d. 17. Jun. a. 1700. à *Petro Malmberg*, ad ædem S. Catharinæ Paſtore & Conſiſtorii Aſſeſſore habita; cui accedunt dicti Dni Comitis Vita Sveticè & Latinè, ejusdemqve effigies æri inciſa, item Carmina qvædam funebria variorum Auctorum, variarumqve lingvar. (Alph. 1. & plag. 11. in fol.)

Venuſtum Numiſma, cui Emblema ſuppeditavit *Nicolaus Keder* Regii Antiq. Collegii Aſſeſſor, à *Carolo Guſtavo Hartmanno* hiſce diebus ſculptum eſt, qvod continet unâ parte epigraphen GVSTAVVS. I. D. G. REX. SVECIAE. & effigiem optimi hujus Principis thoracetenus expreſſam, alterâ epigraphen NVNC. FORTVNATA. RESVRGES. & Principem ſtantem appoſito ad pedes (ſecundùm ſolitum qvibusdam imaginibus ejus morem) ſigno gentilitio diſcretum & haſtâ fultum, qvi Sveciam erigit muliebri repræſentatam figurâ gerente Labarum tribus coronis ac intermediâ ſacro-ſanctâ Notâ nominis CHRISTI Servatoris inſignitum.

Præter hoc & ea, qvæ anno ſuperiore, menſe Julio, paginâ 203. (ubi verſu 31. loco τȣ̃ ORBEM, legatur ORBIS.) ſunt recenſita Emble-

blemata & Symbola, non pauca etiam alia laudati *Kederi* ingenio accepta referuntur, ſuntqve hæc:

In Numiſmate LVDOVICI. XIV. R. Chriſtianiſſ.

PAR. SIBI. SOLI. Sol.

In alio ejusdem Num.

QVANTOS. MINIMOQVE. LABORE. LABORES. Hercules clavæ innixus.

In Numiſmate CAROLI. XI. Regis Sveciæ:

Verba ſuperiora: LVCTVS. NON. IVSTIOR. VLLVS. Inferiora: DENATO. PATRE. PATRIAE. D. 5. APRIL. A. 1697. Svecia, habitu Fœminæ, mœſta in campo cupresſifero ſedens, dextero cubito baſi loculi regii innixo caput ſuſtentans, lævaqve manu demiſsâ clypeum tribus conſpicuum coronis tenens; nec non Gothiæ typus Leo, qvi adjacens capite reclinato fœminam in lugubrem modum adſpicit.

In Num. alio ejusdem:

Suprà: TOTO. MIRABILIS. ORBE. Infrà: ORT. D. 24. NOV. A. 1655. OCCID. D. 5. APRIL. A. 1697. Radii nonnulli Solis *occaſi*. Detur locus voci obſoletæ qvidem, at judice A. Gellio, *non inſvavis* tamen *venuſtatis, ſi qvis aurem habeat non ſordidam nec proculcatam*.

In Numiſmate VLRICAE. ELEONORAE. paciferæ, Reginæ Svec.

ADVENTV. SVO. QVIETEM. Luna.

In Num. ejusdem Reginæ alio:

RARO. MIRANDA. NITORE. Margarita.

In Numiſmate CAROLI. XII. Regis Svec.

Superiùs: TANTIS. IAM. SVFFICIT. AVSIS. Inferiùs: VNCTVS. HOLMIAE. D. 14. DEC. A. 1697. Signa regalia altari impoſita.

In Num. alio ejusd. titulo ibidem CAROLVS. REDIVIVVS inſignis:

Suprà: SIBIMET. SVPERSTES. Infrà: SVECIS. REDDITVS. D. 14. DEC. A. 1697. Phœnix capite radiato (ut in Numiſmatis qvibus-

buſdam CONSTANTINI. M. aliorumqve) ſtans in Terræ qvaſi hemiſphærio tribus conſpicuo coronis.

In calculo ejusdem:

SERENVS. VT. FOECVNDEM. Sol agrum ſegetibus & arboribus floreſcentibus lætum irradians ac vegetans.

In Numiſmate ERN. AVGVSTI. Ducis Br. & Lun. S. R. I. Electoris:

EST. GLORIA. FVNERIS. EXORS. Sepulchrum formâ pyramidali.

In Numiſmate FABIANI. WREDE. L. Baronis, Sacræ Reg. Maj. Sv. Senatoris & Archi-theſaurarii.

NON. SIBI. SED. PVBLICO. Puteus.

In alio Num. ejusd. jam Comitis:

DECORI. DECOR. ADDITVS. AVITO. Virtus coronam, qvali inſignia Comitum decorari ſolent, inſignibus imponens Wredicis.

In Numiſmate IOHANNIS. HEVELII. Conſulis Dantiſcani & Aſtronomi ſummi:

IN. SVMMIS. CERNIT. ACVTE. Aqvila alis altiùs ſublata ſolem radiantem defixis intuens oculis.

In parietibus Templi interioris Ridderholmenſis cùm piè defuncti CAROLI. XI. Sveciæ Regis deſideratisſimi oſſa inibi ſepulchro conderentur, die nempe 24. Nov. anno 1697, qvatuordecim conſpecta cum totidem Baſibus literatis ſenſum componentibus talem:

CAROLO. MAGNO. SVECOR. GOTH. VAND. Q. REGI. PATERNAR. VIRTVTVM. HEREDI. GENITRICIS. OCELLO. PATRI. PATRIAE. HOSTIVM. TERRORI. CIVIVM. AMORI. SACROR. ASSERTORI. PRINCIPI. PIO. IVSTO. SEMPER. FORTI. SED. MORTE. FORTISSIMO. SVECIA. MERITO. LVGENS. IVSTA. SOLVIT.

Ecce ſingula cum ſingulis Baſibus:

1. *Magnis inexhauſtis virtutibus.*

Sol.

CAROLO. MAGNO.

2. *Vigilando tuetur.*

Leo Gothicus ad cuſtodiam trium coronar. Svec. advigilans.

SVECOR. GOTH. VAND. Q. REGI.

3. *Eſt proles digna parente,*

Aqvila altè volans oculis in Solem defixis.

PATERNAR. VIRTVTVM. HEREDI.

4. *Qvæ tulit hanc decorat.*

Flos, qvalem *Coronam Imperialem* vocant, exornans matrem terram.

GENITRICIS. OCELLO.

5. *Publica procreat commoda.*

Sol agrum ſegetibus exuberantem fovens.

PATRI. PATRIAE.

6. *Qvis impunè obſtet?*

Fulmen.

HOSTIVM. TERRORI.

7, *Stipant & obſervant.*

Aliqvot apes Regem ſuum aliqvantò majorem & coruſcum (qvemadmodum pictura à cæteris apibus diſtingvi ſolet) coronâ circumtegentes.

CIVIVM. AMORI.

8. *Æterni eſt heic cuſtodia ſacri.*

Ara cum igne Veſtali.

SACRORUM. ASSETORI.

9. *Cœlo adhæret.*

Pyxis nautica.

PRINCIPI. PIO.

10. *Qvas condidit ſervat leges.*

Sol cum horologio, qvod Sciathericon appellant.

IVSTO,

11. Et

11. *Et vires & animos.*

Leo.

SEMPER. FORTI.

12. *Validiſſimus dum diſſolvitur.*

Globus igneus (*une bombe* Gallicè) in ſublime jactus crepans medius.

SED. MORTE. FORTISSIMO.

13. *Lugubris rerum facies.*

Globi terreſtris pars tribus diſtincta coronis & nocturnis atra umbris.

SVECIA. MERITO. LVGENS.

14. *Æternæ memoriæ.*

Sepulchrum in modum Pyramidis Ægyptiacæ.

IVSTA. SOLVIT.

In pyramidibus Throni regii ſubdialis, in qvo CAROLVS. XII. Sveciæ Monarcha à qvatuor Ordinibus d. 13. Dec. anni 1697. jure jurando firmatam ſedens ſuſcepit fidem, octo exhibita cum Baſib. ſuis hunc conficientibus ſenſum:

CAROLO. REDIVIVO. REVERTENTI. PATRI. PATRIAE. ARCTOI. ORBIS. GLORIAE. SPEI. PVBLICAE. HEROI. MAGNANIMO. ET. CLEMENTI. SVECIA. NVPER. LVGENS. NVNC. LAETA. SANCTE. SVAM. ADSTRINGIT. FIDEM.

En ſingula cum ſingulis baſibus;

1. *Sibimet ſuperſtes.*

Phœnix capite radiato.

CAROLO. REDIVIVO.

2. *Redit publici parens commodi.*

Sol oriens.

REVERTENTI. PATRI. PATRIAE.

3. *Sui axis ingens decus.*

Sidus arctoum ſuis diſtinctum ſtellis.

ARCTOI. ORBIS. GLORIAE.

4. *Tot ſperantur gaudia.*

Vitis uberrimisfloribus lætificos fructus largisſimè promittens.

SPEI. PVBLICAE.

5. *Ingentes excelſosqve animos.*

Leo.

HEROI. MAGNANIMO.

6. *Mella, non aculeum.*

Apum Rex fulgore inſignis prope alveare volitans.

ET. CLEMENTI.

7. *Concedunt triſtia lætis.*

Pars Sphæræ terreſtris coronis tribus conſpicua, orientis Solis ominoſas noctis aves fugantibus illuſtrata.

SVECIA. NVPER. LVGENS.NVNC.LAETA.

8. *En dextra fidesqve.*

Manus dextera.

SANCTE.SVAM. ADSTRINGIT. FIDEM."

In ſplendidisſimo templo arcis regiæ Holmienſ. anteqvam incendio læderetur, qvatuor Virtutum, *Fidei*, puta, *Spei*, *Charitatis* & *Patientiæ* clypeos exornantia:

1. Clypeum *Fidei*:

MEI. CORONANTVR. FRVCTVS. Malus Punica cum fructibus

2. Clypeum *Fidei*:

NVBILA. MOX. FVGIENT. Sol nube opertus paucos exerens radios.

3. Clypeum *Charitatis*:

ACCEDE. OPIS. INDIGE. NOSTRAE. Fons.

4. Clypeum *Patientiæ*.

PLACIDE. ET. TOLERANTER. Ovicula.

Tecto cubiculi dormitorii Regis CAROLI. XI. perqvam venuſtè appicta, ver & caſtos Regis amores repræſentantia:

1. NVNC. FORMOSISSIMVS. ANNVS. Area floribus non unius generis vernis hortenſibus varia.

2. VER

2. VER. SVADET. AMOREM. Duæ aviculæ conſociatæ in ſummo arboris frondeſcentis, ſolo aliqvot inter gramen *Primulis veris* condecorato.

3. CALORE. LIQVESCVNT. Duo Alpium juga tecta nivibus, qvæ paulatim colliqveſcentes decurrunt in vallem gramine & floſculis veſtitam.

4. PRIMVS. GRATISSIMVS. ARDOR. Sol jam orſus ſuper pratum floriferum.

Duabus Laternis magnis per noctem, qvæ diem 5. menſis Febr. anni 1701. Svecis nempe, ob Narvam d. 20. Nov. anno ſuperiore AVXILIANTE. DEO. (qvæ voces Svecano exercitui teſſera erant) à CAROLO. XII. mirandum in modum liberatam, euchariſticum proximè excecepit, publicè illuminatis eleganter appicta:

Vni:

DESVPER. AVXILIVM. Andromeda ſcopulo ferreâ catenâ alligata Cetoqve expoſita, cui Perſeus è ſublimi ſe demittens Servator adeſt.

Alius qvidam Vir eruditus ad miram iſtam Narvæ liberationem deſignandam iisdem figuris à ſe qvoqve adinventis hæc ipſius Perſei ex Ovidio commodè adaptavit verba: FAVEANT. MODO. NVMINA. TENTO.

Alteri:

OB. ME. SERVATAM. Narva, ſpecie muliebri, capite turrito, altero fulta genu, ſiniſtrâ manu clypeum erectum inſignibus Narvenſibus conſpicuum tenens & dexterâ coronam civicam ſeu qvernam porrigens CAROLO. XII., Sv. R. ſtanti, pone qvem Leo Gothicus. Suprà Teſſera ſive Symbolum Med Guds Hielp/ i. e. *Dei auxilio*, lumine radians.

In Nuptias FRIDERICI. III. Hered. Norvv. Duc. Sleſvv. Holſ. &c. & HEDEWIGAE. SOPHIAE. Svec. Princ. hered.

FLEXIT. ET. CONIVNXIT. Cupido amorum Deus Ducis

 ejus-

ejusqve Conjugis nominum initialibus literis F. H. S. ingenioſè flexis & connexis appenſum Palmæ ( Victoriæ nimirum & connubii Symb[illegible]lvneum Victor inſigniens.

n OLAVM. RVDBECKIVM. Seniorem, multar. artium & ſcientiarum Virum:

TOT. FVLGENT. LVMINA. IN. VNO. Sidus arctoum ſuis micans ſtellis.

Numiſmatis deſtinata:

1. Numiſmati CAROLI. GVST. Sv. R.

NEC. NVMERVM. HORRESCIT. VIRTVS. Hercules pugnans cum Hydrâ Lernæâ capita habente ſex.

2. Numiſmati CAROLI. XI. Sv. R.

FORTITVDINE. ET. VIGILANTIA. SERVAVIT. Leo ſtans, qvi clypeum erectum tres præferentem coronas uno tenet pede anteriore.

3. Numiſmati CAROLI. XII. Svec. R. in Pacem hoc Proxenetâ Rysvici Chriſtianis redditam:

Superiùs: TANTO. MVNERE. LAETA. TVO. Inferiùs: PACE. ORBI. CHRISTIANO. RYSVICI. ANNO. M DCIIIC. PARTA. Europa, figurâ muliebri, ſtans, capite turrito, à cujus vertice crux exurgit, lævâ adjacentis tauri capiti impoſitâ, & accipiens dexterâ ramum Olivæ (Pacis ſignum) à CAROLO. XII. ſtante, in cujus pectore ſtella micat polaris.

4. Numiſmati ejusdem in Victoriam Narvenſem, ad Regis vultum ſic inſcribendo: CAROLVS. DEI. AVXILIO. RVSSOR. VICTOR.

Suprà ex Martiale: VNVM. PRO. CVNCTIS. FAMA. LOQVATVR, Infra: PARTVM. AD. NARVAM. D. 20. NOV. A. 1700. Tropæum ex ſpoliis de hoſte relatis.

5. Ejusdem Numiſmati inqve eandem Victoriam:

In Summo: SVPERANT. SVPERATA. FIDEM. Inimo: D. 20. NOV. A. 1700. Rex CAROLVS in campo, ad Narvam unà cum

cum Caſtello Ivvanogorodenſi è longinqvo conſpicuam, multâ ſtrage oppleto obeqvitans.

6. Numiſmati FRIDERICI III. Hered. Norvv. Duc. Slesvv. Holſ. &c.

CONSTANTER. ACVMINE. SVRSVM. Obeliſcus, ſeu Lapis qvadratus è lato paulatim in gracilitatem exurgens inqve acutum tendens.

## Ex Typographiis prodierunt.

*Pacifici Verini* Oförgripeligt Betånckiande / Om och huru then i wår tijd ſökte Föreningen Emellan them ſom emottagit then öferandrade Augſpurgiſka Bekånnelſen / med the öfriga / tiena kunde til then Chriſteliga Förſamlingens wälſtånd. Förſwenſkat och til trycket befordrat / af Nicolao Bergio, Sup. Narv. Stockholm / Tryckt uthi ſal. Henrich Keyſers Tryckerij. (2½. plag. in 12.)

Item alius libellus ſeqventis tituli: Then dyra Gudz Mannes *Doct. Martini* Lefwernes Beſkrifning / ſåſom den af *Philippo Melanchtone* warit författat; Nu på Swenſka afſatt / och på egen Bekåſtnad til Trycket befordrat af Nicolao Bergio, Sup. Narv. Tryckt i Stockholm / af Michaele Laurelio, Anno 1701. (3. plag. in 12.)

Ante dictus *Nicolaus Keder*, Auctor eſt ſubjectæ Inſcriptionis qvadripartitæ, qvâ inſignem lætitiam ſuam, ob incomparabilem â Deo ter opt. max. Auguſtiſſimo Sveonum Regi CAROLO XII. contra Moſcovitas in campis Narvenſium die 20. Novembris anno 1700. largè effuſèqve conceſſam Victoriam, inclytus Magiſtratus Civitatis Holmienſis per noctem, qvæ diem menſis Februarii anni 1701. Svecis tunc eucharisticum proximè excepit, publicè teſtatus eſt, idqve literis Lampadum 2500. beneficio pellucidis in Laternâ longè maximâ ad hunc finem ſcalarum inſtar qvater geminarum gradibus undiqve undeviginti, qvot nempe Regi ferè erant anni, in monte conſtructâ Brunconis.

I. EC-

1.

*ECCE*
*VENIT*
*COELI*
*ARCTOI*
*DECOR*
*AMOR. ET*
*OCELLVS*
*INOCCIDVVS*
*CAROLVS. XII.*
*SVECOR: GOTH:*
*VVANDALORVMQ:*
*MONARCHA. PIVS*
*FELIX. AVGVSTVS*
*PATRIAE. PARENS*
*SVORVM. DEFENSOR*
*LIBERTATISQ: VINDEX*
*SOLA. ET. FIRMISSIMA*
*OMNIPOTENTIS. FIDVCIA*
*MIRANDVM.IN.MODVM.NIXVS.*

2.

*ECCE*
*VIDIT*
*CZARIS*
*TETRA*
*ET. ATRA*
*PERFIDIAE*
*SVAE. NOTA*
*OMNIBVS*
*SATIS. NOTI*
*COPIOSAS*
*ILLAS. COPIAS*
*ET. PROTERVAS*
*PROH. CATERVAS*
*QVAE. FIDAM.NARVAM*
*CVIVS. SPES. IN. DEO*
*ET. ARMIS. CAROLI*
*VICTRICIBVS. SITA*
*ARCTISSIME. OBSESSAM*
*ALIQVANDIV. PRESSERE.*

Præter ſupra memorata Scripta etiam Holmiæ Svecorum literis Wankifvvianis impreſſum *Johannis Conradi Dürrii*, P. P. *Enchiridion Theologiæ Moralis*, in qvo Virtutes & Officia Hominis Chriſtiani, tùm *in genere* tùm *in certis Vitæ Statibus* conſiderati, explicantur; in Uſum ſtudioſæ juventutis autem curà ac impenſis *Jeſperi Svvedbergii*, S. Theol. Prof. Prim. & Paſtoris Vpſal. editum: Cujus *Conſilium*, nec non *Theol. Moralis neceſſitatem uſumqe inſignem Oratio*, ab ipſo Vpſaliæ d. 24. Octobr. 1699. publicè habita, operiqve præfixa, ingenuè exhibet. (1. Alphab. 10¾ plag. in 8.)

## Ex INSVLA THORSINGIA

*Petrus Jani* Lucoppidanus Paſtor Eccleſiæ *Landenſis* ibidem, explicationem hanc dedit *Problematis Curioſi*, in *Novis Literariis* Menſ.

3.
*ECCE*
*VICIT*
*PARVA*
*QVIDEM*
*AT. PER. DEI.*
*DEXTERAM*
*DEXTERRIMA*
*HAC. MANV. SVA.*
*VTPOTE. QVA*
*VELVT. MVSCAE*
*MOSCHI. NECATI*
*CAPTI. ET. PVLSI*
*RELINQVENTES*
*NON. SINE. MAGNO*
*CZARIS. TORMENTO*
*OMNIA. TORMENTA*
*INQ: SIGNVM. CLADIS*
*ET. STRAGIS. INSIGNIS*
*SIGNA. LONGE. PLVRIMA.*

4.
*ECCE*
*IVRE*
*OPTIMO*
*NVNC. DE*
*TARTAROR:*
*ET. TVRCAR:*
*VICTORE*
*TRIVMPHAT*
*VICTOR. ILLE*
*A. DEO. DATVS*
*QVI. ANNO. VIX*
*VNDEVIGESIMO*
*SVAE. AETATIS*
*SVMMVM. GLORIAE*
*SVPERAVIT. GRADVM*
*LAETATVR. PROINDE*
*MAGISTRATVS. C. HOLM:*
*AGENS. DEO. IMMORTALI*
*IMMORTALES. GRATIAS.*

Menſ. April. 1701. p. 127. ad ſolvendum propoſiti.

*Problema hoc eſt.*

Sempronius Teſtamentum fecit, in qvo legavit novem Scholaribus pauperibus, qvorum anni harmonicâ proportione ſeſe ſeqvuntur & in ſummam collecti dant 68. annos, 18. ſeptimanas, 5. dies, 12. horas (365. diebus in annum computatis) eximiam ſummam harmonica proportione ita diſtribuendam, ut minimus natu, qvi plura reqvirit educandus, maximam accipiat ſummam, maximus natu minimam. Medius accipit 504. Thaleros, cujus Ducati dant numerum ſeptimanarum ætatis ejusdem. Qvot annos nati? Qvid ſinguli accipiunt? Qvanta legati ſumma? Hactenus illud.

*Explicatio.*

Ita accipio: Ducatum unum æqvivalere duobus Thaleris, atqve

qve hac ratione ætatem Medii, qvi 504. Thaleros accepit, fuiſſe 252. ſeptimanarum, & eâdem ratione ex ſumma annorum omnium, ſc. 68. an. 18. ſeptim. 5. dies 12. horas. qvæ conſtituit ſeptimanas $3564\frac{1}{2}$, colligi totam legati ſummam 7129. Thalerorum.

Datâ igitur totâ legati ſummâ cum portione Medii, item totâ ætatis omnium ſummâ, cum ætate Medii, reliqvum eſt, ut dati numeri ſeptimanarum & Thalerorum proportione harmonicâ in 9. portiones ita diſtribuantur, ut datorum Mediorum ratio habeatur.

Proportio autem Harmonica, cum diverſa ſit à proportione Arithmetica & Geometrica, hanc analogiam reqvirit inter tres numeros, ſive tres illi proximi fuerint, ſive in continuata progresſione, duo remotiores cum medio aliqvo, à qvo utrinqve æqvi diſtant.

Sicut ſe habet maximus ad minimum, ita ſe habet differentia maximi & medii, ad differentiam medii & minimi.

Hac itaqve Harmonicâ proportione diſpoſiti ſunt novem hi Numeri ſeptimanarum, & eorum dupli ſc. Thalerorum.

| | Numeri ſeptimanarum. | Numeri Thalerorum. |
|---|---|---|
| 1 | 140 | 280 |
| 2 | $157\frac{1}{2}$ | 315 |
| 3 | 180 | 360 |
| 4 | 210 | 420 |
| 5 | 252 | 504 |
| 6 | 315 | 630 |
| 7 | 420 | 840 |
| 8 | 630 | 1260 |
| 9 | 1260 | 2520 |
| | $3564\frac{1}{2}$ | 7120 |

Methodus autem qvam pro invenienda hac numerorum proportione adhibui, hæc eſt:

Pro primo & nono Numero poſui ſimpliciter 1 & 9 inter

qvos

qvos medium harmonicè proportionalem qvæſivi pro numero qvinto. Deinde medium inter primum & qvintum pro tertio. Hinc inter qvintum & nonum pro ſeptimo, inter primum & tertium pro ſecundo, & ſic intermedios cæteros omnes.

Facile autem eſt inter qvoslibet duos numeros invenire medium Harmonicè proportionalem ope hujus Regulæ:

Ex ſumma extremorum in medium ducta procreatur numerus duplus producti ex primo in tertium.

Ex fundamento hujus Regulæ duco primum in tertium & ejus producti duplum divido per Summam primi & tertii, & qvotus erit medius qvæſitus. E. g. Inter 1. & 9. volo medium: duco 1. in 9, & manent 9, cujus duplum 18 diviſum per 10, id eſt ſummam 1. & 9, relinqvit qvotum $1\frac{8}{10}$ pro qvæſito medio inter 1. & 9.

Atqve ita procedendo nati mihi ſunt novem hi numeri Harmonicè proportionales

1. $1\frac{1}{8}$. $1\frac{2}{7}$. $1\frac{1}{2}$. $1\frac{8}{10}$. $2\frac{1}{4}$. 3. $4\frac{1}{2}$. 9. qvi additi ſummam faciunt $25\frac{129}{280}$

His autem numeris ita inventis, cum non æqvè mihi conſtare potuerit, an veram proportionem inter primum & ultimum numerum initio aſſumpſerim, cum hæc alia atqve alia eſſe poſſet, niſi ratio habenda eſſet medii dati, tentavi an hac proportione datum Authoris numerum medium conſeqvi liceret, qvodſi enim hæc non ſucceſſiſſet, alia inter primum & ultimum inveſtiganda fuiſſet proportio. Ideoqve per vulgarem proportionis Regulam Arithmeticam ita calculum inſtitui

$25\frac{129}{280}$ - - 7129 - - $1\frac{8}{10}$ ? facit 504.

qvod cum ex voto ſucceſſerit, & ipſum numerum Authoris produxerit, dubitare porrò non potui, qvin cætera omnia ad Authoris poſtulatum rectè ſeſe habeant. Facili itaqve negotio cæteri omnes qvæſiti numeri per eandem rationem ex ſupra inventis prodeunt.

Inventâ jam hoc Numerorum proportione, Septimanæ in Dies, Dies in annos redigantur, habita ratione Anni exactè 365. dierum, & ex Authoris poſtulato ordo numerorum qvi Thaleros continent, invertatur, ut minori ætati major aſſignetur portio.

Erit itaqve

| Ætas ſingulorum: | | | | | Portio ſingulorum ex legato: |
|---|---|---|---|---|---|
| | Ann. | Septim. | Dies | hor. | Thaleri. |
| Primi | 2 | 35 | 5 | - | 2520 |
| Secundi | 3 | 1 | - | 12 | 1260 |
| Tertii | 3 | 23 | 4 | - | 840 |
| Qvarti | 4 | 1 | 3 | - | 630 |
| Qvinti | 4 | 43 | 3 | - | 504 |
| Sexti | 6 | 2 | 1 | - | 420 |
| Septimi | 8 | 2 | 6 | - | 360 |
| Octavi | 12 | 4 | 2 | - | 315 |
| Noni | 24 | 8 | 4 | - | 280 |
| | 68 | 18 | 5 | 12 | 7129 |

## KILONII

### D. *Joh. Ludovici Hannemanni Meletema de Sole.*

Memorabile dictum eſt, qvod legitur Pſalm. XIX, 5. in ſole poſuit (ſcil. Deus) Tabernaculum ſuum. Sic hoc dictum intelligendum ac hunc genuinum ejus ſenſum eſſe, eſt conſtans noſtra ſententia. Non obſtat; *Deus qvidem in cœlis, nunqvam autem in Sole habitare dicitur.* Reſp. Cœli cœlorum ipſum non capiunt, ſiqvidem immenſam habet omnipræſentiam. Sed locus hic ita accipi debet. Qvod Deus talem tantamqve vim, potentiam virtutemqve Soli dederit, ac ſi Deus actu tabernaculum ſuum, habitationem ſuam, in eo haberet. Itaqve Sol qvaſi Dei vicarius, qvi non ſuſpenſo Dei concurſu Rerum naturalium œconomiam generationis, corruptionis, aliarumqve functionum negotia curando, architectando gubernat. Eſt itaqve Sol omnium Creaturarum corporearum nobilisſima, præſtantisſima, & mirabilisſima, à qva tanqvam ab Archæo aliqvo totius Naturæ Oeconomia *in ſuo eſſe, in ſuo fieri, & in ſuo operari* dependet. Qvod autem Solem aliter Mathematici, aliter Philoſophi conſiderent, notum eſt. Qvod & antehac planetis fuerit annumeratus, ſcimus.

ſcimus. Verum eum merito ex Planetarum civitate proſcribimus, & in digniorem locum evehimus. Qvod autem non planeta ſit, ſeqventes rationes demonſtrabunt. (I.) *Planetæ habent motum vagum & vagabundum.* Sol habet *qvintuplicem conſtantem uniformemqve motum* (α) *circa ſuum axem* (β) *Motum ejaculantem* lucem & ignem. (γ) *Motum attractivum*, qvo aqvas ſurſum attrahit, ut ex eâ formentur nubes. (δ) *Motum Magneticum*, qvo lucem & ignem rurſum attrahit. (ε) *Motum qvendam Myſticum.* (II.) Planetæ patiuntur ſuas phaſes, vel incrementa & decrementa luminis: Sol eſt nunqvam non pleni perpetuiqve luminis. (III.) Qvicqvid luminis, qvicqvid ignis in ſe habent planetæ, mutuantur à Sole; hic autem à nullo ſidere qvicqvam mutuatur, vel commodato accipit. (IV.) Planetæ ſunt corpora opaca, craſſa, non ſecus ac noſtræ telluris globus; Sol è contra eſt ſubſtantia fluidisſima, liqvidisſima, perpetuo perenniqve motu ebulliens, ſcaturiens, ac in Centrum ſuum remeans. (V.) Soli tribuitur, qvod Sol & homo generent hominem. Eodem modo Sol & vegetabile generant vegetabile. Sol & minerale generant minerale, ita ut Sol activè & pasſivè ſit panſpermion. Hoc nulli planetæ tribuitur.

Nec omittendum: Sol *tempore pasſionis* Chriſti non per Eclipſin, vel interpoſitionem lunæ obſcuratus eſt, qvi hoc ſentiunt, Scripturam ignorant. Verum Sol tempore eo non ſecus ac mare vehementisſimo vento agitatum, etiam in ſe agitatus vehementisſime fluctuavit, qvi ignei fluctus deſpumarunt, hiqve ſpumantes fluctus lucem ejus obſcurarunt, qvemadmodum videmus, qvod ſpumæ copioſæ ſplendorem aqvæ pellucidum obnubilent, & qvod maris aqva qvando illud venti agitant, ſolito obſcurior & nigrior eſt, ſimili ritu ſe habuit obſcuratio Solis tempore pasſionis Chriſti, qvo tempore ex hac impetuoſa & violenta fluctuatione innumeræ maculæ Solis lucidum diſcum obſcurarunt. Maculæ Solis nihil aliud ſunt, qvam ſpumæ ignei maris. Fruſtra itaqve hîc fingunt Eclipſin (verum hac de re peculiari meletemate D. V. agam) Jam obtinebimus, qvod Sol ſit mare igneum, nunqvam non fluctuans ac ex ſe ejaculans ignem non tam conſumentem qvàm fœcundantem, vivifi-

cantem, ac prolificam vim hypoſtaticam mineralibus, vegetabilibus animalibusqve largiens beneficio ſui fluoris. Qvod ignis ſit (1) probabimus Scripturæ Sacræ aſſerto, Syracid. XLIII. 3. *Qvum meridianus torret regiones, qvis ardorem ejus ferre poterit*, v. 4. *Ter tanto magis montes exurit, qvam qvi fornacem ſufflat accendendis operibus: Vapores igneos exhalat, atqve ſplendor radiorum oculos præſtringit.* Alia Verſio reddit: *Radios igneos exſufflans.* (2) Qvod Sol ſit merus ignis, vitra cauſtica comprobant, qvorum recenſui, cum ubiqve ſint obvia, jam ſuperſedemus, vide inter alia *Acta Lipſienſia anni* 1691. p. 518. 519. Qvod ſi (3) robur aliqvod inſit magnorum virorum ſuffragiis. Tunc *ex antiqvis* præter complures *Anaxagoras, Anaximander, &c.* ex *recentioribus, Simon Marius, Athanaſius Kircherus, Raphael Averſa, Dygbæus, Deuſingius, Stair, Flud, Sebaſtianus VVirdig, Sturmius, Morhofius, St. Romain, Emmartus*, &c. idem aſſerunt. Neqve à vero alienum eſt, ſi aſſeramus: *Solem eſſe Mercurium nitro-ſulphureo-ſalinum perpetuo fluore è Centro ſuo ſcaturiens, ebulliens, rebus naturalibus omnibus vegetativam, qvibusdam & ſenſitivam, aliqvibus ex utraqve mixtam vitam & vim hypoſtaticam largiens, ac in iis perenni influxu renovans.* Adeo ut hoc reſpectu Sol rectè dicatur *Ærarium theſaurorum*, qvibus Deus mundum donat, *inexhauſtum Domini.* Duo Experimenta erudito orbi expendenda proponimus, alterum e *Dygbæi*, alterum è St. *Romain* relatione damus *Tract. I. Cap. VII. de Natura corpor.* §. 8. p. 62. *Subit animum*, ait, *hac occaſione memoria rari admodum Experimenti, qvod nobilis qvidam vir fidei ſinceriſſimæ mihiqve amicitiâ conjunctiſſimus vidiſſe ſe affirmavit, Vaſorum Vitreorum ſcilicet ope peculiari qvodam modo factorum, & artificioſè diſpoſitorum, collectos Solis radios in pulverem fuſci coloris, aut purpurei in rubrum vergentis præcipitata fuiſſe.* Fraus nulla huic operationi ſubeſſe potuit, nihil enim in vaſis anteqvam diſponerentur, continebatur, peragi enim debet in calidiori anni tempeſtate, ut effectus iſte ſeqveretur. Hac porrò operatione aliqvibus diebus duæ ferè unciæ colligi potuerunt. Natura erat ille mirè ſubtilis, qvæ *ipſum* etiam aurum corporum omnium, inter qvæ verſamur, graviſſimum, vi ſuâ ut ſic dicam ſpirituali penetraret, &c. Concludit Dygbæus:

*Exi-*

*Exiſtimo pulverem iſtum fuiſſe corpuſcula qvædam radios Solis comitantia, & ab iis collecta, non autem puram ſinceramqve illorum ſubſtantiam.* Nos ſentimus & hanc ſubſtantiam pulveris qvoqve è ſole cum radiis profluxiſſe. Verum hac de re peculiari meletemate D. V. diſcurremus. *Saint Romain* c. 9. *ſuæ Phyſicæ* p. 175. 176. Dicebat itaqve ſe in provincia Præfecturam gerentem, hominem injuſtæ morti damnatum eâ liberaſſe, qvi in grati animi rem qvandam ei monſtrabat admirandam. Hic homo inqviebat, Vas ſumſit, in qvod tria injiciebat Simplicia, idqve inhumavit in loco radiis ſolaribus (qvi fumi ſunt ſubtilisſimi) expoſito, & accepto ſpeci o concavo, vel parabolico, eoqve loco oppoſito collocato radii co ti, & concentrati turmatim in vas illud deſcendebant, in qvo ta qva reperiebatur clara, ſubflava, & pulverulenta, qvæ in matr. coctа in pulverem redigebatur, qvi cum borace commiſſus vertebatur in aurum, id qvod tribus diverſis præſtitum eſt vicibus. Ex hoc Experimento colligere eſt, annon radii ſolares ſuppeditent aqvam & flammas inſervientes productioni auri, qvod ut dixi Solis filius legitimus, & patris imago in terra eſt. De his duobus experimentis jam arbitrentur eruditi. Nos mentem noſtram D. V. peculiari meletemate aperiemus.

Die 28. Julii Diſputationem Juridicam, Sereniſſ. Princ. ac Dn. Dn. FRIDERICI IV. Clementisſ. Mandato de *Juſtitia*, tàm *commutativæ*, qvàm *diſtributivæ Proportionibus*, ſub Præſidio *Samuelis Reyheri*, JC. Cod. & Mathemat. Prof. Publ. h. t. Fctis Juridicæ Decani, *Johannes Seger*, Sandoviâ Marchicus, LL. Studioſus, habuit. (2. pl. in 4.)

Die 3. Auguſti Diſſertationem *Fridericianam* de *Temperie Aeris*, & inde ortâ *Athenæi Cimbrici Salubritate*, Præſide *D. Wilh. Huld.* Waldſchmiedt/ Med. & Philoſophiæ Experimentalis Prof. Ord. FCtis Medicæ Decano, & S. R. I. Academiæ Leopoldinæ N. C. Collegâ, *Balthaſar Kryſingius*, Med. Candidat. & Practicus Flensburgenſis, publicè ventilandam ſuſcepit. (2½. pl. in 4.)

Typis Reutherianis exſcripta eſt *Joachimi Tiedii Cyclus Lu-*

*næ*

*næ Solaris*, eiqve ſuperſtructum *Calendarium Novum verè Perpetuum ac Perfectum*: Subjiciuntur in fine *Tabulæ Dominicales & Feſtivales huic noſtræ non ſolùm, ſed aliis etiam Anniformis applicabiles. Item: Tabula Paſchalis*, in qvâ ſiſtuntur omnia *Paſchata Juliana & Gregoriana*, uno intuitu conſpicienda, per multa ſæcula, cum præfatione *Samuelis Reyheri*, JC. Codicis & Mathematum Prof. Publ. t. t. Facult. Jurid. Decani. Kiliæ, 1701. ($9\frac{1}{2}$. plag. in 4.)

## HAMBVRGI

Die 30. Aug. Præſide *Sebaſtiano Edzardo*, P.P & Gymnaſ. nunc Rectore, *Joh. Chriſtopherus* Krüſike/ Hamburgenſis, de *Enuntiationibus Contradictoriis* adverſus *Valentinum VVeigelium* diſputavit. ($3\frac{1}{2}$. plag. in 4.)

Typis & ſumtibus *Thomæ à VViering* in publicum prodiit *Paſcaſii Groſippi Mercurius Bilingvis, ſ. Nucleus Linguæ Latinæ*, nunc primùm in Locos Communes redactus & auctus Appendice. Hoc eſt, nova faciliſqve ratio Latinæ vel Germanicæ Linguæ, intra vertentem annum addiſcendæ. In uſum eorum, qvi alterutram linguarum jam intelligunt. Germanicus titulus ita habet: Kern der Lateinſchen Sprache/ nun zum erſten mahl in kurtze Sprüche unter gewiſſe Titulgebracht/und mit einem Anhang vermehret. Oder eine gantz neue und leichte Art die Lateiniſche oder Teutſche Sprache innerhalb Jahres-Friſt fertig zu erlernen. Zum Gebrauch derjenigen/welche eine von dieſen beyden Sprachen ſchon verſtehen. Aus dem lateiniſchen ins Teutſche überſetzet von Johanne Jacobo Schürero, R. S. Hamburgi. 1701. (12. plag. in 8.) Libelli hujus Vim Magiſtri item ac Diſcipuli officium, *Gaſp: Scioppii* præfatio clarè docet.

# NOVA LITERARIA MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS,

*Edita Menſe Octobri M DCCI.*

## ROSTOCHII

Evulgavit nuper Reverenda *Facultas Theologica Roſtochienſis* Scriptum vernaculum, qvo *Reſponſum* ſuum, *in Cauſâ Bœſianâ, de Terminô ſalutis humanæ peremptoriô,* haud ita pridem editum, à variis Adverſariorum impugnationibus, inprimis autem *Apologiâ Bœſianâ,* vindicare & tueri ſtuduit. Titulus ita habet: Des in Cauſâ Bœſianâ gegebenen Roſtockiſchen Reſponſi nothwendige und Schrifft-gemäſſe Beſchirmung: darinnen das Reſponſum ſelbſt zu Anfang geſetzt/nachher aber von unterſchiedlichen Anfechtungen/ und ſonderlich von der Apologiâ Bœſianâ Chriſt-glimpflich vindiciret/auch zugleich incidenter der Tractat M. Bœſii, de Terminô Salutis humanæ peremptoriô, nach Nothdurfft perluſtriret und refutiret worden. Zur Ehre der hocherhabenen Gnade Gottes/zu beybehaltung der H. Warheit/und zum Unterricht der Geirreten/auff geſchehenes Anſuchen endlich ans Licht geſtellet von *Facultate Theologicâ Roſtochienſi.* Roſtock und Leipzig/ bey Joachim Wilden/ 1701. (3. Alphab. in 4.) Huic ſcripto præmittitur præfatio neceſſaria contra D. *Rechenbergium*, qvippe, qvi, anteqvam Scriptum hoc plenè typis fuit exſcriptum, literas FCtis Theologicæ Roſtoch. ad vicinas FCtes Theol. & Eccleſias impugnare cœpit in dem erſten Anhang ſeiner ſiebenden Beylage/ cum fortè exemplar literarum illarum accepiſſet, qvibus conſenſum in hac doctrinâ à vicinis Acad. & Miniſteriis Facultas Theol. requiſivit ſub titulo: Kurtzer Bericht wie der Theologiſchen Facultät zu Roſtock Streitigkeit erwachſen von der von Gott dem Menſchen beſtimmten Gnaden Zeit. In ipſo autem hoc Scripto Germanico ſeqventia 7. Capita ordine tractantur (1) der auffrichtige Vorbericht/ wie die gantze

Böſiſche Sache an die Theol. Facultät zu Roſtock gedien/ nebſt dem was bey ihrem Reſponſo zu erinnern. (2) Eine offenbare Vorſtellung der in dem Arſoviſchen (Soraviſchen) Schreiben an die Leipziſche Facultät übel verſtelleten und verkehrten Warheit. (3) Die Beſchützung Ihrer Lehre vom Chiliasmo wieder das/ was gegen dieſelbe in dem Leipziſchen Reſponſo der halbbeſetzten Facultät dem M. *Böſen* zu gute geſetzet worden. (4) Die Gegen-Vertheidigung des Roſtockiſchen Reſponſi gegen den verſtorbenen Apologeten M. *Böſen*, mit der Prüfung deſſen/ was Er für ſich vorbringen wollen. (5) Ihro der Facultät nothwendige Verwahrung wieder den Editorem von den abſurden Vorbericht und Continuatione Relationis. (6) die billige Antwort auff das/ was hin und her etwa ſonſt Ihnen den Roſtochienſibus Theologis zum unbilligen præjuditz diverſim hierüber geſchrieben/ und (7) Eine offenbare Erklärung über das/ was Sie von dem Termino gratiæ revocantis & ſalutis humanæ lehren / halten und glauben / und darin ſo wohl Ihrer löblichen Vorfahren/ als des allergröſſeſten Theils der Evangeliſchen Lehrer Fußſtapffen beſtändig eintreten. Eidem Scripto annectitur Schediasma aliud, cui titulus: Ubereinſtimmendes Zeugnis der Warheit von der Lehre / daß einen jeden Menſchen die Thür der Gnaden biß an ſein Lebens-Ende offen ſtehe; Aus der Bekäntniß unterſchiedener / meiſtentheils an dem Baltiſchen See-Strand liegenden Univerſität-und Kirchen / zuſammen getragen/ und zu mehrerer Bekräfftigung der Warheit / und Uberzeugung der Irrenden an den Tag gegeben von der Theologiſchen Facultet in der Univerſitet Roſtock. (6½. plag. in 4.) Varia hôc Schediasmate diverſorum Maris Balthici CollegiorumTheologicorum, ad præmiſſam Roſtochienſium (*de portâ gratiæ nemini ante vitæ finem clauſâ*) quæſtionem Reſponſa continentur, videlicet: Reſponſum Miniſterii *Guſtrovienſis*, *Lubecenſis*, *Luneburgenſis*, *Stralſundenſis*, *Dantiscani*, *VVismarienſis*, Facultatis Theologicæ *Gryphisvvaldenſis*, Miniſterii *Stetinenſis*, *Roſtochienſis*, & *Sverinenſis*. Ubi ad Reſponſum Miniſterii *Lubecenſis* notandum, Typographi culpâ in id nonnulla irrepſiſſe παροράματα. Nam p. 3. lin. 9. poſt vocem daß/ omiſſa ſunt verba: vorausgeſetzt/ daß. p. 4. lin. 5. legendum: daß Gott

Gott nach ſeinem vorhergehenden Richterlichen Willen. p. 7. lin. 32. pro redet/ſubſtituendum: lehret. (Occaſione hâc monendum duximus, in Scriptô qvoqve Miniſterii Lubecenſis, menſe Auguſtô p. 256. recenſito, cui titulus: Treuhertzige Warnung/&c. Sphalmata nonnulla typographica occurrere, qvæ B. L. ſeqventem in modum emendabit: Pag. 5. lin. 18. vox alſo delenda. P. 29. lin. 8. pro *Sternins*, legendum *Steinius*. P. 55. lin. 10. pro verleiten/ legendum verleiden. P. 71. lin. 6. omiſſa ſunt verba: zum Moſe ſaget. P. 100. lin. 19. pro in dieſem Articul/ leg. in dieſen Articul. Si qvid præterea occurrerit, B. L. ipſe corriget.

Die 4. Sept. *D. Andreas Daniel Habichhorſt*, FCtis Theol. & Collegii Ducalis totiusqve Vniverſitatis Senior hodieqve Decanus, Programma publicavit, qvo *Diſputationem Inauguralem M. Chriſtophori Conradi Gœrizii* Regiom. Boruſſi, Prof. Theol. Extraord. in patriâ abs Regimine Regio Regiomontano nominati (cujus jam ſuprà meminimus an. 1700. p. 11. 141. 239. & an. 1701. p. 66. 130. & 139.) ſeq. d. 13. habendam indixit, ſimulqve *Ortum, Studia* & *Vitam* Candidati hujus commemoravit. (2. plag. in 4.)

Die 6. Sept. Præſide *D. Johanne Schapero*, Med. Prof. Publ. Ducali & FCtis ſuæ Pro-Decano, Diſputationem Inauguralem de *Variolis*, ſuperiori Menſe Auguſto p. 258. ſeq. indictam, habuit *Johannes Brand*, qvi an. 1677. Lubecæ natus, literisqve in Scholâ patriâ innutritus, ſimulqve Duce Lubecenſi Medico *Tiedemanno* Medicinæ fundamentis inſtructus, an. 1698. *Lipſienſem* adiit Academiam, & ante annum, *Roſtochienſem*, in qvâ Præceptore uſus dicto Præſide ſuo *D. Schapero*, qvartâ vice Medicinam inchoavit tantoqve ſucceſſu abſolvit, ut anteqvam exteras viſurus terras hinc abiret examina pro obtinendis honoribus & privilegiis Doctoralibus ſubiret. Diſputatio conſtat 6. plag. in 4to.

Die 7. Sept. ſub Præſidio *M. Zachariæ Grapii*, S. Theol. Ddi, & Phyſ. ac Metaphyſ. Prof. uti & Archi-Diaconi Jacobæi, *Spicilegium Hiſtorico-Philologicum*, qvo hiſtoria Literaria Alcorani ſiſtitur, reſpondendo propoſuit *Joachimus* Mantzel. Roſt. (5. pl. in 4.)

Die 11. Sept. Inaugurale Programma publicavit D. *Joh. Petrus* Grünenberg/S.Theol.Prof.&Conſiſt.Ducal.nec nonDiſtr.Mecklenb. Superintendens, inq; hoc actuDecanus, qvo *vitamM.Joh.Heinrici*Zenʒen/Paſtoris Fehrbellinenſis,S.Theol.Candidati,deſcribit,ſimulq; ad illius Diſputationem Inauguralē ſeq.d.15.habendā invitat.(2.pl.in 4.)

*Eodem die Jo. Joach.* Schöpffer/ J.V.D.& Prof. Comes Palat. Cæſ. Conſiſt. Duc. Aſſeſſor, Academiæ hodie Rector,atqve FCtis ſuæ Pro-Decanus duo Programmata publicavit, qvibus Diſputationes Inaugurales Juridicas, *Joh. Friderici Oertlingii*, Brunnā-Mecklenb. Conſiſt. Ducalis Advocati & Procuratoris Ord. & *Conradi Bernhardi* Schwaben / Sternbergā Mecklenb. ſuo ſub Præſidio uno eodemqve die 19. Septembr. ventilandas indixit, vitasqve ipſorum deſcripſit. (pl. 1½. & 1. in 4.)

Die 13. Sept. ſub Præſidio dicti antea *D. Habichhorſtii*, FCtis Theol. Senioris & h. t. Decani, paulò ante memoratus *M. Chriſtoph. Conradus Gœrizius*, Regiomontanus Boruſſus, Diſputationem ſuam Inauguralem, in qvâ, *Jeſaias S. S. Trinitatis Præco*, ex ejusdem Cap. XLVIII, 16. demonſtratur, horis antè & pomerid. defendit. Locum illum Jeſaianum, ut attentiore animi lance enodet, tres inſtituit Sectiones. *Prima verum Loci ſenſum*, & qvicqvid pro eodem confirmando facit, exponit. *Secunda* variorum *Pſeudhermenias*, & pro iis allatas inanes ratiunculas explodit. *Tertia* ad praxin ſalutarem explicata dirigit. (7. plag. in 4.) Candidatus hic natus eſt an. 1677. Patre *Conrado Gœrizio*, ArchiDiacono qvondam Templi Cathedralis apud Regiomontanos, Scriptis qvibusdam AntiSyncretiſticis inclyto, cumqve in Scholâ patriâ Cathedrali, Rectore *M. Joh. Deutſchio* in literis eousqve profeciſſet, ut lucem ferre Academicam poſſet, an. 1694. Studioſis Academiæ patriæ annumeratus, & Præceptorem in Philoſophiâ nactus eſt M. *Danielem Hoynovium*, in Theologicis ver... *Gothofredum VVegnerum* & D. *Paulum Pomian Peſarovium*, ſub qvorum Præſidio aliqvot ſpecimina edidit, præcipuè *Chriſtiano Helvvichio*, Med. D. ad Papatum transfugæ oppoſuit *Theologicam rationum ejus irrationalium diſcuſſionem*, eamqve an. 1699. ſub Præſidio D. *Peſarovii* defendit. Anno ſuperiori

periori Menſe Aprili in ead. Academiâ patriâ gradu Magiſterii ornatus, & alios in Philoſ. & Theol. docere cœpit; cumqve faventibus Patronis illuſtribus Theologiam in Patriâ profiteri intenderet; proinde non tantum in Patriâ, ſed & apud exteros documenta profectuum Theologicorum edere Gradumqve in Theol. petere decrevit, adeoqve ſuperiori anno menſe Decembri *Roſtochium* ingreſſus, duas mox Diſputationes Menſe Febr. & Apr. a. c. ſub Præſidio D. *Qvistorpii* t. t. Rectoris Acad. & D. *Fechtii* habuit, iisqve viam ſibi ad petendos honores paravit: ſiqvidem & Menſe Junio ſub Decanatu Præſidis ſui jam dicti examina pro Baccalaureatu & Doctoratu ſubiit. Cumqve finitis examinibus teſtimonio FCtis Theologicæ, & commendatione ornaretur, mox à Regimine Regio Regiomontano ad Prof. Theol. Extraord. ritè eſt nominatus.

Die 15. Sept. Præſide *D. Grünenbergio*, ad actum illum Decano, *M. Joh. Henricus* Lentze/ Paſtor Fehrbellinenſis, ſupra dictus, Diſputationem ſuam inauguralem, de *Gratiâ præ Mole Peccati ſuperabundante* è Rom. V, 20. horis ante & pom. ventilandam propoſuit. Tribus Diſputatio hæc abſolvitur Capitibus, qvorum I. *de Indicio Peccati per Legem*. II. *de Ingenti Mole Peccati*, & III. *de Superabundantiâ Gratiæ Divinæ agit.* (5½. plag. in 4.) In lucem editus hic Candidatus eſt *Ludersſtorffii* in prædio Marchiæ Brandenb. an. 1665. Patre *Joh. Chriſtoph.* Lentzen/ Præfecto qvondam militari, præprimis in Gymnaſio *Svevo Colonienſi* literis eo ſucceſſu fuit imbutus, ut an. 1685. *Lipſiam* abiret. Biennio ibi transacto *VVittebergam* abiit, ibiqve Magiſterium Philoſ. accepit. Inde an. 1687. *Potſtamium* ad Conrectoratum, & poſt biennium a Sereniſſ. Marchione Brandenb. PHILIPPO WILHELMO ad Paſtoratum Chiliadis vocatus eſt, qvo tempore integrum ferè *Belgium* cum regionibus Germaniæ permeavit. Tandemqve per ſexennium jam adeoqve ſatis diu in caſtris & præſidiis verſatum Eccleſiaſten laudatus modò Marchio Electori Brandenburgico, jam Regi qvoqve Boruſſiæ commendavit, à qvo etiam *Fehrbellinenſibus* an. 1695. Paſtor eſt datus, cum ægrè è caſtris dimitteretur, in illisqve jam an. 1689. uxorem duxiſſet, filiam Martini *Guldenhauptii*, Conſulis Potſtamenſis & Ele-

ctoralium ex urbe illa redituum Præfecti. Et licet diverſis exinde literis alio deſideraretur & vocaretur, præſertim ad Paſtoratum Eccleſiæ *Oſterburgenſis* & vicinarum Inſpectionem, poſteaqve ad Superintendenturam Diœceſios *Gardelegenſis*; ſuæ tamen, qvam deamat, Eccleſiæ docendo præeſſe mavult, qvosqve Deo & Regi placuerit. Interim orthodoxias & eruditionis Theol. ſolennius teſtimonium petiturus, per veſtigia agnati ſui B. *Salomonis Lentzii*, S. Th. D. & Superint. qvondam Ratisbonenſis ductus, ſub Decanatu ſuperiori *Grünenbergiano*, Facultati Theol. nomen profiteri non dubitavit.

Die 19. Sept. ſub Præſidio laudati ſuprà *D. Joh. Joachimi Schöpfferi*, Acad. p. t. Rectoris & FCtis ſuæ ProDecani Diſputationes ſuas Inaugurales Juridicas habuerunt *Joh. Fridericus Oerthlingius*, Brunnâ Mecklenb. Conſiſtorii Meckl. Procurator Ord. & *Conradus Bernh.* Schwabe/ Sternbergâ-Meckl. cum diverſis diebus propter anguſtiam temporis & inſtantem ſeq. die 20. Promotionis actum haberi non potuerint. Et illa qvidem *Oerthlingiana* occaſione l. 1. *de contrah. emt.* probat in *Nummis non Subſtantiam, ſed Qvantitatem eſſe attendendam.* (4. plag. in 4.) Hæc verò *Schwabiana* agit de *Diffesſione Inſtrumentorum*, vulgò von Verläugnung der Hand und Siegel. (3. pl. in 4.)

Die 20. Sept. Solennisſimus Promotionis Doctorum actus in tribus Facultatibus Majorum more in Templo Mariano eſt celebratus. In primo actu Theologico Decanus & Promotor idemqve ſimul ProCancellarius *D. Andr. Daniel Habichhorſt*, Facultatis Theol. & totius Academiæ Senior, trigam Candidatorum, nempe M. *Zachariam Grapium*, Roſtochienſem, S. Theol. Baccalaureum, jam an. 1697. hîc promotum, Phyſ. ac Metaph. P. P. & ArchiDiaconum hîc Jacobæum ſuprà ſæpius pauloqve antè laudatum, & *M. Joh: Heinricum* Lentzen/ Luderſtorfio Marchicum, Eccleſiæ Fehrbellinenſis Paſtorem, nec non *M. Chriſtoph. Conradum Gœrizium*, Regiomontano-Boruſſum, ad ProfesſionemTheol. Extraord. in patriâ nominatum (qvorum Diſputationes Inaugurales paulò antè memoravimus) ſu-

ſupremo in Theol. Doctoratus gradu inſignivit. Oratio Decani egit de *Obſtaculis Studii Theologici, qvibus id ſæpè turbatur & difficile redditur.* Qvæſtionem, & qvidem tergeminam, *Pietiſtis*, Juniores Theologos contemnentibus, oppoſitam ſolvit primus ex Doctoribus novellis, an ſcilicet 1. *Junioribus Viris, qvi donis ſufficientibus ſunt inſtructi, Officia publica & Gradus ſummi in Academiis ſint conferendi?* 2. *an Seniorum perperam ſentientium hypotheſibus ſe opponere juniores Theologi qveant?* 3. *Qvid in præſenti negotio juvenem Theologum deceat illiqve auctoritatem conciliet?*

In ſecundo actu Juridico ProDecanus D. *Joh. Joachimus Schöpfferus*, Acad. h. t. Rector, Procancellario D. *Johanne Barnſtorffio*, Inſtitut. Prof. P. Doctorem Juris creavit *Henricum Joach. Sibrandum*, Roſtoch. Moralium hic Prof. Senatorium deſignatum, cujus in N. L. an. 1700. p. 193. meminimus; Licentiatos verò Juris renuntiavit *Joh. Frid. Oerthlingium*, Brunna-Meckl. & *Conradum Bernh. Schwabium*, Sternberga-Mecklenb. qvorum Diſputationes Inaugurales paulò antè laudavimus. Oratio Pro-Decani ventilavit qvæſtionem: *an hoſtem armatâ manu, in amici territorio ſine hujus conſenſu perſeqvi liceat?* ProCancellarius autem dixit *de uberrimâ Studiorum Academicorum meſſe.* Qvæſtio Doctori novello *Sibrando* propoſita hæc fuit: *qvid de titulis Academicis ſentiendum ſit?*

In tertio actu Medico, ProDecano *D. Erneſto Schapero*, Medicinæ Practicæ & Chymiæ Prof. Ducali, & ProCancellario D. *Bernhardo Barnſtorffio* FCtis Medicæ Seniore, Doctoris Gradu ornati ſunt *Henricus Erneſtus Fechtius*, Durlaco-Badenſis, tertius, D. *Jo. Fechtii*, S. Th. P. P. filius, cujus Diſputationem Inauguralem ſuprà pag. 99. recenſuimus, & *Joh. Brand*, Lubecenſis. Thema Orationis Pro-Decani Promotoris fuit *de felici animæ cura per corporis curationem*: Oratio autem Procancellarii demonſtravit proverbium illud: *Optimus Theoreticus peſſimus eſt Practicus*, in veritate nullatenus eſſe fundatum, ſed apertisſimè falſum. Tandem Qvæſtio novitio Doctori *Brandio* propoſita hæc fuit: *qvid de emtione tenendum, qvâ qvis à varioloſo ſuarum variolarum certum numerum, eandemqve*

*demqve earum qvalitatem pretio ſtatim ſoluto emit?* qvâ expeditâ Idem ſimul gratiis ritè actis actum clauſit.

Die 29. Sept. ipſo Michaëlis Feſto Programma publicavit D. *Joh. Joach.* Schöpffer/ Acad. h. t. Rector, qvô *Diabolum tanqvam Studiorum hoſtem* Civibus Academicis odio proſeqvendum ſvadet. (1. plag. in 4.)

STRALESVNDAE

Qvod *M. Lucas Schröderus*, Eccleſiarum Straleſundenſium Superintendens vocatus ſit, ſupra Menſe Junio p. 166. paucis diximus. Jam autem de ejus Vocatione & Vitâ relatio ſeqvens pleniora ſuppeditabit:

Menſe Decembri ſuperioris anni ab Ampliſſ. Senatu Straleſundenſi ad vacantem ex beato diſceſſu Dn. Doct. *Johannis Baudevvini*, p. m. Ephoriam Sundenſem & Paſtoratum Nicolaitanum, applaudente totâ Eccleſiâ, eligebatur & vocabatur *M. Lucas Schröderus*, t. t. Guſtrovii, in Patriâ Paſtor Parochialis, & Rev. Miniſt. ibidem Senior. Vocationem, qvæ planè præter expectationem & ſupra votum obtigerat, acceptare is niſi re cum Eccleſiâ ſuâ, cui ultrà 25. annos ſervierat, communicatâ, religioni ſibi ducebat. Et illa qvidem primùm ægrè ſibi Paſtore ſuo carere poſſe viſa, tandem tamen de voluntate & nutu divino ex multis argumentis & Theologorum reſponſis convicta ceſſit, & in ipſius abitum piè conſenſit. Sub initium menſis Maji demum Sundam intravit, & honorificè exceptus eſt, ubi porro die 10. ejusd. nomine Superintendentis in citer. Pomeran. Vice-Generalis, D. D. *Jacobi Henningii*, Theologi Gryphisvvaldenſis, ægrè decumbentis à *Matthia Kinaſtio*,† Paſtore Mariano, & hactenus R. Miniſt. Directore, munus Superintendentis & Paſtoris Nicolaitani ipſi per ſolennem inſtitutionem impoſitum eſt, qvod & Concione prima auſpicali ipſis feriis Pentecoſtalibus, Spiritui S. ſacris, bono omine eſt aggreſſus.

† Poſonienſi Hungaro.

Ceterùm is Guſtrovii A. 1649. Patre *M. Zacharia Schrödero*, Roſtochienſi, eodemqve illius Eccleſiæ per 36. annos Paſtore, & R. Min. Seniore, natus, familiam paternam ducit ex *Joachimo Schrödero*, olim

olim B. M. *Joachimi Slüteri* in reformandâ Eccleſiâ Roſtochienſi fido Socio, & in Paſtoratu Petrino ibid. Succeſſore. Inter majores maternos veneratur utrumqve *Backmeiſterum*, *Lucam* juniorem, Guſtrovienſis Circuli Superintendentem, & *Lucam*, ſeniorem, Profeſſorem & Urbis Roſtoch. Superint. Theologos clarisſimos, illum Proavum, hunc Abavum. Ab anno ſæculi decimi ſeptimi ſexageſimo octavo usqve ad ſeptuageſimum qvintum in Academiis *Wittebergenſi, Jenenſi, & Roſtochiana* ad pedes Doctorum in qvocunqve Scientiæ genere celeberrimorum freqvens ſedit, in hac etiam A. 72. titulo Magiſterii ornatus, proficientium ſtudia, Collegiis in Philoſophiâ & Philologiâ habitis, pro virili juvare allaboravit, duas etiam interea temporis de *Æternitate Dei* diſputationes Præſes habuit. Inde verò ſub finem anni 75. *Guſtrovium* evocatus eſt ad capeſſendum in locum B. Parentis munus Eccleſiaſticum, qvod ab ineunte anno 76. hucusqve ſuſtinuit, cui etiam ſecundum ſuum & totius Eccleſiæ votum eſſet immortuus, niſi à ſummo Numine aliò eundi neceſſitas ipſi fuiſſet impoſita.

## GRYPHISWALDIAE

Die 11. Auguſti Præſide *M. Nicolao Köppen*, Philoſ. Prof. Diſputationem Philologico-Hiſtoricam de *Domini noſtri Jeſu Chriſti Apparitionibus poſt Reſurrectionem, earumqve ordine*, *Franciſcus Jäde*, Ph. & S. S. Theol. Stud. publicè defendendam ſibi ſumſit. ($4\frac{1}{2}$. pl. in 4.)

Die 20. Septemb. *M. Chriſtianus* Saalbach / Prof. Ord. & Fctis Philoſophicæ h. t. Decanus in memoriam *Victoriæ* CAROLI XII. Sveonum Monarchæ, propè *Rigam* à *Saxonibus* obtentam, Orationem habuit.

Die 26. Septembr. *M. Georgius Friedericus* Riehenck / S. S. Theol. Baccalaureus Lectiones Curſorias ſuper dicto 1. Joh. IV, 1. publicè habuit, Collegii Theologici Decani, *Nicolai Daſſovii*, S. S. Theol. D. Prof. Ord. Regii Conſiſt. Aſſeſſ. & ad D. Mariæ Paſtoris Programmate prævio, in qvo hanc qvæſtionem diu agitatam tractat:

*An ſc. in controverſiis fidei, maximè cum non ceſſat Hæreſis, Amneſtiâ ſ. Abſtinentia ab Elencho ſanciri & probari debeat?* Negativam ſententiam probat (1) illis Scripturæ dictis, in qvibus Doctoribus Eccleſiæ non ſilentium, ſed officium elenchticum demandatur. ut: Act. 20., 28. ſeqq. 2. Tim. 2,24. Tit. I. 11. Ezech. 3,16. 17. 18. Jerem. 6, 17. (2) Dictis illis, gravisſimas Elenchum intermittentibus pœnas minantibus. Jerem. 48,10. Ezech. 3, 8. Apoc. 3, 15. (3) Exemplis tùm *Biblicis*, tùm *Eccleſiaſticis* eorum qvi ſe maſculè & ſtrenuè Hæreticis oppoſuerunt. Exempla Biblica præbent *Elias* 1. Reg. 18. *Jeremias* cap. 23. ipſe *Chriſtus* Matth. 23. *Johannes Baptiſta* Matth. 3, 7. *Paulus* Phil. 3,2. *Petrus*, in 2. Epiſt. 2. 1. Exempla Eccleſiaſtica Tomi Conciliorum, Scripta Eccleſiarum Symbolica, Catalogi Hæreticorum & Diſputationes orthodoxorum Theologorum Elenchticæ ſuppeditant. (4) E maximo elenchi intermisſi damno, Matth. 13,38, c. 16, 11. 2. Tim. 2, 17. (5) Verbis B. D. *VVigandi* è Tractatu *de Amneſtiâ*, ann. 1568. Jenæ edito, deſumtis. His abſolutis ad Objectiones Syncretiſtarum, pro hac Amneſtiâ pugnantium, reſpondet.

## REGIOMONTI

Die 1. Septembr. *M. Michael Schreiber*, Eloqv. P. P. pro Loco Profesſionis Hiſtoriarum Ordinario, Diſputationem habuit *de Inauguratione Regum*, Reſpondente *Joh. Chriſtoph. Teuber*, Regiom. Boruſſo. (3. plag.)

Die 5. Septembr. Præſes *D. Joh. Chriſt.* Boltz/ Prof. Ord. Reſpondente filio ſuo natu majori Diſputationem XXXVII. *ad Tit. ff. de Auctorit. & Conſ. Tut. Qvando ex facto Tut. vel Cur. de ſuſpect. Tut. & Cur. de Excuſat.* propoſuit. (4. plag in 4.)

Die 6. Septembr. *Idem* Præſes, altero filio, *Theodoro*, Reſpondente, Diſputationem XXXVIII. *ad Tit. ff: ubi pupill: educ. vel mor. deb. & de alim. de Tutel. & Ration. diſtr. de Contr. Tut. & utili act. de eo qvi pro Tut: prove Curat. neg. geſſ. Qvod falsò Tut. Auct. geſt. de fidejuſſ. & nom. & hered. Tut. de Magiſtr. Conv. de Reb. eor. qvi ſu. Tut. vel Curat. ſunt non alien. de Curat. furioſ. & aliis extr. minor. dand.* methodô conſuetâ continuavit. (4. plag. in 4.)

Die

Die 8. Septembr. paulo ante laudatus *Eloqventiæ Profeſſor Præſes* Diſputationem ſecundam de *Vario Locorum Topicorum in Oratoriâ uſu* ventilavit, Reſpondente *Chriſtophoro* Boltz / Regiom. Bor. (3. plag.)

Die 15. Septembr. *M. Georgius Thegen*, Phil. Pract. P. P. Ord. de *Actionibus hominum in ſe & ſuâ naturâ non ob legis prohibitionem malis*, diſputavit, Reſpondente *Georgio Friderico VVernero*, Mariæb. Pruſſo.

Die 22. Septembr. *M. Michael Schreiber*, ſemel atqve iterum memoratus, in funere *Vrſulæ Peiſeriæ*, B. *Alberti Pomian Peſarovii*, Paſtoris qvondam ad D. Nicolai, Diſtrictus *Reinenſis* in Pruſſiâ relictæ Viduæ, Programma Germanicum hoc titulo ſcripſit: Gott-ſeelige Hanna. &c. (2. plag.) Nata hæc Matrona an. 1610. d. 19. Octobr. In thalamum ducta an. 1635. d. 7. Maji. Conjugio 61. annos tranqvillo uſa, exqve eodem 7. liberorum, & 81. Nepotum ac Pronepotum Mater & Avia: an. 1692. oculis orba: an. 1696. Vidua facta. Obiit an. 1701. d. 8. Julii, nata 90. annos, 6. Menſes & 8. dies.

Die 23. Septembr. ſub Præſidio laudati *M. Georgii Thegen*, de *Coronis* Hiſtorico-Politicam Diſputationem habuit *Michael Gronert*, Regiom. Pruſſus, Auctor & Reſpondens.

Die 26. Septembr. in exeqviis M. *Johannis Deutſchii*, Scholæ Cneiphoſianæ apud Regiomontanos Rectoris, ſupra aliqvoties nominatus *Eloqventiæ Profeſſor*, publico Academiæ nomine Latinam edidit Intimationem, in qva *Ludimoderatores cum Parentibus comparavit.* (2. plag.) Natus eſt Regiomonti an. 1632. d. 24. Junii. Ibidem an. 1659. Magiſter renunciatus. an. 1660. d. ultimo Novembr. Pro-Rector prædictæ Scholæ, an. 1665. Rector ejusdem conſtitutus. Denatus a. c. d. 17. Menſis Septembris.

## REVALIAE.

Die 4. Julii Styli vet. à Potentisſimo Sveonum Rege in locum

B. Doct. *Joachimi* Salemann/ Epiſcopi qvondam Eſthonienſis & Revalienſis, (cujus obitum ſupra Menſe Junio p. 176. recenſuimus) *D. Jacobus Lange* Epiſcopus fuit vocatus. Cum primum Eccleſiæ *Neovienſi* ab anno 1683. usqve ad annum 1688. præfuiſſet, per 12. annos deinde Superintendentis *Ingrienſis* atqve *Narvenſis* munia obiit, intra hoc tempus etiam ann. videlicet 1690. ſummos in Theologia honores in Vniverſitate Aboënſi, habitâ prius de *Introductione Catechumeni in Scripturam Sacram* Diſputatione, conſecutus eſt. Tandem anno ſuperiori 1700. in Livoniâ Superintendens Generalis & Academiæ Pernavienſis Procancellarius conſtituebatur.

Die 6. Julii ultimum Deo Spiritum reddidit *Paulus Florian Juchius*, Ordinis Eqveſtris in Eſthonia Medicus, & Regii Holmienſis Collegii Medici membrum. Is natus eſt Erfurti ann. 1648 Patre *Herforto Juchio*, Syndico, & poſteà Conſule primario Erfurtenſi. Primis pietatis & eruditionis fundamentis in Scholâ patriâ ad D. *Auguſtini* poſitis, atqve deinde in Gymnaſio, qvod ibidem eſt, auctis, animum ad Medicinam adjecit, Patrui ſui D. *Pauli Juchii* monitis & exemplo excitatus. Cum jam in Academiâ patriâ Medicinæ & inprimis Anatomiæ atqve Botanices cognitione eſſet imbutus, ann. 1668. Almam *Jenenſem*; poſteà *VVittebergenſem* adiit; an. 1670. autem Kilonienſes Muſas ſalutavit, & ſub Præſidio *D. Joh. Danielis Majoris* de *moderamine Conſpirationis* diſputavit. Anno 1674. Holmiam concedens praxi Medicæ ibi operam dedit. Poſtea Rigam & tandem Revaliam profectus eſt, ubi & ſedem fixit. Anno 1679. Eqveſtris in Eſthoniâ Ordinis Medicus Ordinarius fuit conſtitutus, & poſtmodum in Collegium Medicum Holmienſe receptus. Ex duabus Conjugibus, priori videlicet. an. 1680; poſteriori autem adhuc ſuperſtite an. 1691. matrimonio ſibi junctis ſeptem reliqvit liberos, filios nimirum duos, & qvinqve filias.

## ABOAE

Vniverſitatis Aboënſis Profeſſores excudi curarunt *Elenchum Prælectionum Academicarum*, qvibus à die 25. Junii anni 1701. ad idem

idem tempus anni ſeqv. 1702. qva publicè, qva privatim intenti erunt. Ex hoc Lectionum Catalogo facies Academiæ moderna elucet, in qvâ videlicet docent:

*Theologi*

*Johannes Flachſenius*, SS. Theol. D. & Prof. Primarius.
*David* Lund/ SS. Theol. Prof. Ord.
*Simon* Tålpo/ SS. Theol. Prof. Ord.

*JCtus*

*Matthias Schweder.*

*Medicus*

*Nicolaus Vallerius.*

*Philoſophi*

*Petrus Hahn*, Prof. Phyſices.
*Torſt. Rudeen*, Poëſ. Prof.
*Chriſtiern Alander*, Eloqv. Rom. Prof.
*Johannes* Münſter/ Phil. Pract. & Hiſt. Prof.
*Iſaac* Pihlman/ Sacræ Lingvæ Prof.
*Laurent. Tammelin*, Math. Prof. Ord.
*Jo. Rungius*, Log. & Metaph. Prof. Ord.

Cum jam pridem factum ſit, poſtqvam nihil literarum ex ultimo hoc Regionis Finnicæ angulo accepimus; nuperrimè autem epiſtola qvædam cum faſciculo Diſputationum nonnullarum in inclu-ta hâc ad Auram Academia non præſenti ſolùm, ſed & ſuperioribus annis habitarum, ad nos pervenerit, B. L. haud ingratum fore confidimus, ſi illius conſpectui harum Diſputationum Catalogum ſubjiciamus, & qvidem juxta ordinem Profeſſorum modò nobis memoratum.

*Johannes Flachſenius*

An. 1693. Diſputationem Inauguralem habuit de *Verbi Dei Efficacia*, Pro-Decano *D. Petro Laurbecchio*, tunc Profeſſore, nunc Epiſcopo Wiburgenſi, (cujus infra mentio-

 nem

nem faciemus) qvi in ſolenni hâc Promotione Doctorali de *Doctorum Eccleſiæ Neceſſitate, Officio & Dignitate* peroravit.

Sub Præſidio *David* Lund/ antehac Ling. Orientalium, jam SS. Theol. Prof. Ord. ſeqventes Diſputationes habitæ

Anno 1697, d. 20. Maji, de *Vocis* Κεϱατίων *ſignificatu*, Luc. XV. 16. Reſpondente *Nicolao Gezelio, Johannis*, SS. Theol. D. & Diœceſios Aboenſis Epiſcopi filio. (4. pl. in 8.); Diſſertatio hæc occaſione famis gravisſimæ, qvâ Finnlandia an. 1697. affligebatur, conſcripta, *in I. Membro* Vocis Κεϱατίων communi acceptione, qvâ per *legumina* explicatur, rejectâ, illorum ſententiam approbat, qvi peculiares fructus arboris cujusdam *Ceratoniæ* ſiliqvis digitalibus incluſos, aut etiam ipſas ejusdem ſiliqvas hic deſignari autumant, & hanc ſententiam qvatuor argumentis confirmat (1) Qvod leguminum ſiliqvæ non dicantur Κεϱάτια, ſed λοβοὶ. (2) Qvia antiqvisſimi Orientis Interpretes *Syrus* & *Arabs* hunc locum non de leguminum tegumine, ſed de fructu earum arborum, qvæ propriè ſiliqviferæ dicuntur, intellexerint; Qvia etiam (3) huic ſententiæ accedant *Theophylactus, Maldonatus, Janſenius in Harm. Evang. Sam. Bochartus, Matthæus Polus, D. Calovius*, & alii; Nec non deniqve (4) vetuſtisſima Verſio Evang. Gothica. *Membrum II.* explicat *qvænam hæc arbor, qvis fructus, & qvod natale ejus ſolum*; Hoc dum pertractatur, inqviritur, qvomodo hanc arborem Græci & Latini appellârint? Vnde Siliqva derivetur? qvam variè accipiatur & ubinam hæc arbor Κεϱατωνία l. Siliqva naſcatur? ſcilicet non *in Ægypto* neqve *in Judæa*, nec *in Græcia*, ſed *in Syriâ*, & de hac Syriacâ Siliqvâ *Membrum III.* agit, dum diverſas ejus ſpecies, Varia ejus nomina, rationes appellationum ſiliqvarum naturam exprimentium, fructuum horum ulteriorem deſcriptionem eorundemqve uſum enarrat.

Die 13. Novembr. ejusd. anni de *Linguarum Ebrææ & Finnicæ Convenientia*, Reſpondente *Erico Cajano*, Eric. fil. Oſt-Both. (1. pl. in 8.)

Diſputationis memoratæ *Membrum prius* expendit Etymologiam nominis Finni; *Membrum poſterius* Convenientiam Lingv. Ebrææ & Finnicæ probat (1) ex multis Vocibus Ebræis Finnicis originem præbentibus. (2) Exindè, qvod in Lingva Finnicâ ſignificatio Conjugationum cum Ebr. qvadret. (3) ex æqvali Pronominum & affixorum in utrâqve linguâ conditione. (4) ex ſimili Poëſi. (5) ex Idiotiſmis qvibusdam Syntacticis. (6) ex eo, qvod, ſicut Ebræis nullæ, ita etiam Finnonibus rariſſimæ vel nusqvam ſint voces à duplici conſonante incipientes.

Anno 1698. d. 12. Febr. *de Agno Paſchali*, Reſpondente *Zachariâ Froſtero*, Oſtro-Bothn. Vhloenſi. (5. pl. in 8.) Multa Exercitium hoc Philologicum continet *Membra*, qvorum 1. *Præparationem* ad futuram Tractationem ſiſtit; 2. Nominis Agni Paſchalis *Etymologiam, Homonymiam & Synonymiam* inveſtigat; 3. *Tempus*, qvo Agnus Paſchalis ex præſcripto divino immolari debuit, conſiderat; 4. *Diem*, qvo Paſcha qvotannis a Judæis celebrari voluit Jehovah, exprimit; 5. Aliqvo exemplo ſc. Chriſti, demonſtrat, 10. Niſan, Judæos agnum mactaſſe & poſtea comediſſe Paſchalem; excutitur etiam ratio diverſitatis Paſchatis à Chriſto & Judæis celebrati. 6. Specialiſſimam temporis Paſchalis circumſtantiam notat ex Exodi cap. XII. qvod tempus nempè fuit inter duas veſperas. 7. Ad ipſam *ſubſtantiam* & qvidē ad Agnum Paſchalem accedit, conſiderando qvomodo ipſe Agnus Exod. XII. exprimatur (1) Nomine Generico; (2) Qvalitativo, idqve (α) reſpectu Phyſicæ perfectionis (β) reſpectu ſexus, (γ) reſpectu ætatis. 8. *Errorem* illorum, qvi duplicem immolationem ſtatuerunt ex eo, qvod Agnus & hædus mactari debuerint, taxat. 9. *Rabbi Moſen* filium *Amrami*, non tàm Agnum ſed & *bovem* ad-

ad Paſcha reqviſitum fuiſſe,putantem, refutat. 10. *Locum* in qvo immolatio Agni Paſchalis peracta indigitat. 11. *Ritus* atqve *Ceremonias* Agni Paſchalis enumerat, & qvidem hujus Agni ſeparationem; 12. Agni hujus mactationem & jugulationem; 13. Superliminarium & poſtium ædium cum ſanguine Agni Paſchalis ſignationem; 14. Totius Agni Paſchalis aſſationem. 15. aſſati Agni comeſtionem & reliqviarum antelucanis ignibus combuſtionem; 16. Manducantium peculiarem habitum recenſet: 17. Ad Judæos hodiernos exules, Agni Paſchalis cum ſuis ceremoniis inſtitutam manducationem amplius non pertinere docet.

Præſide *Simone* Tolpo/antehac Log. & Met. nunc SS. Theol. Prof. Ordinario Diſſertationes ſeqventes ventilatæ fuerunt.

Anno 1700, d. 4. Decembr. *de Geometriæ Origine*, à *Joh. Muur*, pro Gradu Magiſterii capeſſendo. (1. pl. in 8.)

Die 8. Decemb. *de Via perveniendi ex Lumine Naturæ in notitiam Spiritus*, à *Michaele Sadeel*, Auſt. Finnl. pro Gradu Magiſterii. (1½. pl. in 8.)

Sub Moderamine *M. Petri Hahn*, Philoſ. Naturalis Profeſſoris Publici & Bibliothecarii

Anno 1698, d. 13. Maji δενδρολογίαν bonorum cenſuræ ſubmiſit Andreas Haſſelqviſt, Jun. (6. pl. in 4.)

Hæc arborum doctrina conſideratur ſecundum tria ſingularia momenta, *Naturam*, *Affectiones*, & *Differentias*. *Naturam* arborum optime cognoſci dicitur *primò* ex *Definitione Nominali*, de qva §. 2. 3. 4. & *Reali*, de qvâ §. 5. *Secundò* ex *Cauſis* & *Ortu*; *Cauſis* videlicet *externis*, qvales *Cauſa efficiens remota principaliſſima*, qvæ eſt SS. Trinitas, de qvâ §. 6; *Cauſa efficiens remota minus principalis*, qvæ eſt influentia cœleſtis; *Cauſa efficiens principalis propinqvior*, qvæ eſt planta univoce generans ſibi ſimile, & ſeminale extrudens principium; *Cauſa efficiens prin-*

*principalis omnium proxima*, qvæ eſt ipſa anima ſemini inhærens; & tandem *ultima Cauſa Efficiens Inſtrumentalis*, qvæ eſt vis formatrix arboris, de qvibus §. 7. Per harum Cauſarum concurſum, non verò per ſexuum commixtionem arbores produci aſſeritur. His cauſis additur etiam *finalis*, propter qvam arbores creatæ; & finem hunc vel *ſimpliciter ultimum*, Dei ſcilicet gloriã, vel *in ſuo genere ultimum*, qvod ad perfectionem univerſi, hominum & brutorum uſum, qvi ex neceſſitate æſtimatur, arbores ſint conditæ, vel *proximum* eſſe docetur §. 8. *Naturam* arborum porrò optimè cognoſci demonſtratur ex *Cauſis internis*, vel ex *Materia*, qvæ eſt vel *remotiſſima*, de qva §. 9. vel *propinqva*, qvæ ſunt tria Principia Chymica, *Sal, Sulphur* & *Mercurius*, vel *propinqvior*, qvæ eſt ſemen animatum, vel *omnium proxima*, qvæ eſt Corpus Organizatum ad debitas operationes animæ ſummè neceſſarium, de qvibus §. 11. Poſtea §. 12. 13. 14. expenditur *Cauſa formalis* arborum, qvæ eſt vel *generica* vel *ſpecifica*? His Cauſis abſolutis ad *Ortum* arborum fit progreſſus, qvi perhibetur eſſe vel *naturalis*, vel *artificialis*; de *naturali* agitur §. 15. & 16. de *artificiali* §. 17. *Tertiò Naturam* arborum optimè cognoſci affirmatur ex *Partibus*, qvæ vel *principales*, vel *minus præcipuæ*, utræqve *ſimilares*, vel *diſſimilares*, de qvibus §. 18. *Affectiones* arborum qvod attinet, eæ accipiuntur (1) ex natali ſolo. (2) Fœcunditate. (3) Subſtantiæ proprietate, & (4) ex Proprietatibus Elementaribus, de qvibus omnibus tractatur §. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. Natura & Affectionibus arborum pertractatis, §. 26. *Sciographiâ* qvâdam diviſiones earum generales exhibentur, & a §. 27. usqve ad finem *Differentiæ* conſiderantur ſecundum arborum *Subſtantiam* & *Accidentia*.

Anno 1699. d. 29. Novembr. *de Qviete Cœli* diſputavit *Johannes* Tillpo/S. F. (2½. pl. in 8.)

Anno 1700. d. 5. Martii Diſputationem Phyſicam *de Voluntate Humanâ* eruditorum examini ſubmiſit *Nicolaus L. Bruzelius.* (1½. plag. in 8.)

Die 28. Aprilis Exercitium Academicum *de Ingenio Humano Carol. Laurbecchius*, P. F. Diſputationi publicæ expoſuit. In qvo tres comparent *Sectiones*, qvarum qvælibet totidem conſtat *Particulis*. *Primam* conſtituunt προκείμενα vel Præliganea ad Ingenium, qvò ſpectant (1) *Contemplatio* τοῦ ὅτι Ingenii; & *Qvæſtio: Numqvid illud intus latens ſignis corporeis prodatur?* qvæ affirmatur. (2) Ventilatio Definiti, reſpectu *notationis nominis*, ejusdem *ambiguæ acceptionis & æqvipollentium* (3) Problema; *Num in hoc ſtatu Vitæ perfectum Ingenium in Humano cœtu colligi qveat? Secundam* Particulam conſtituit Κατάστασις, Habitudo Ingenii, & huc ſpectant (α) Expoſitio Definitionis, *ubi qvoqve de* Ingenio, *res eſt, qvatenus primum eſt reqviſitorum ad habitum.* (β) Evolutio Diviſionis, *ubi Ingenii diverſæ habitudines, tam ratione ſui, qvam ſtatuum vitæ delineantur.* (γ) Inqviſitio Cauſarum diverſitatis Ingenii, *qvà ſecreta homini innata. Tertiam* Particulam abſolvunt ἑπόμενα, vel ſuccedanea ad Ingenium, ubi Cauſæ diverſitatis ejus remotæ recenſentur (1) ætates humanæ & ſexus, *qvatenus Temperamentum alterant.* (2) Eſculenta & potus, *in qvantum diverſorum humorum ſunt principia.* (3) Situs locorum, ubi cœli & ſoli genius ad diverſa ingenii formanda attenditur. *(6½.* plag. in 8.)

Die 21. Novembr. Specimen Academicum *de Nutritione Corporis Animalis* pro conſeqvendis Magiſterii honoribus publicæ cenſuræ detulit *Johannes* Wickelgreen. Hujus Speciminis *Membrum Primum*, notatione vocum, qvas Titulus exhibet, paucis perſpectâ; Alimentorum, qvæ in ore, dentium, linguæ & humoris ſalivalis operâ peragitur, explicat præparationem. Qvod excipit *Secundum*, modum

dum deglutionis, ut & Ciborum in ventriculo concoćtionem, qvam primam dicimus, exponens. Cui adjungitur *Tertium*, qvod Chyli per inteſtina, glandulas meſenterii & venas lacteas,percolationem & dućtum inveſtigat. Hoc ſeqvitur *Qvartum*, in qvo ſanguinis per ventriculos cordis, nec non arteriarum & venarum vaſa circuitu obſervato; Nutritionis, Augmentationis & Diminutionis modus in compendium mittitur. Illud deniqve *Qvintum*, ubi poſt Nutritionis expoſitionem ex more & ſententiâ Veterum, Appetitus famis & ſitis expenditur. Et tandem *Sextum* & ultimum ſubnećtitur, qvod Nutrimentum hominis ſecundum ſex momenta conſiderat, qvorum (1) *Cibi ſubſtantia.* (2) *Cibi qvantitas.* (3) *Cibi qvalitas.* (4) *Varius cibi modus ratione temporis* (5) *Ordo in cibis capiendis.* (6) *Conſuetudo in cibo & potu, qvæ haud temerè mutanda.* (3½. plag. in 8.)

Anno 1701. d. 17. Aprilis *de Notitiâ Dei Naturali* Diſputationem Philoſophicam publicæ disqviſitioni ſubmiſit *Henricus* P. Göſling/ Weck. Wiburg. Hujus Diſputationis §. 1. utilitatem in contemplatione ſummi Numinis demonſtrat. §. 2. Etymologiam Vocis *Notitiæ*, qvæ à *Noſſe* derivatur, proponit, & per Notitiam hanc non *diſtinćtivam*, ſed *confuſam* intelligendam venire, deinde vocabulum Notitiæ vel ἀσυνδῶς, qvatenus aliqvam anticipationem ac prænotionem infert, vel ἐνεργητικῶς, prout apud nos prænotionem qvandam præſupponat, ſumi dicit, tandem addit, qvid per Notitiam Naturalem hîc intelligatur. §. 3. docet, qvod vocabulũ *Dei* ſumatur vel in ſenſu *abuſivo*, vel *tropico*, vel *proprio*, & hîc qvidem in ſenſu *proprio*, prout deſignat Ens aliqvod ſupremum, infinitum, qvod non ab alio ſit produćtum, ſed à *ſe ipſo negativè* eſt, &c. Porrò de Nomine *Dei* tenendum aſſerit, qvod hîc per nomen *Dei* non conſideretur *eſſentia* ejus *relativè*, ſed *abſolutè*. §. 4. perpendit terminos æqvipollentes Notitiæ Dei Naturalis. §. 5.

Notitiæ Dei Naturalis Definitionem ſiſtit. §. 6. Hanc Notitiam dividit in *inſitam* & *acqviſitam*, de priori hæc ipſa theſis, de poſteriori §. 7. agit. Porro §. 8. Differentiam Notitiæ Dei Naturalis *innatæ* & *acqviſitæ* demonſtrat. Vt verò meliùs nobis innoteſcat qvæſtio τὸ ὅτι, qvod revera detur, §. 9. 10. & 11. disqvirunt de ejus *Subjecto*, *Objecto*, & *Qvidditate*. §. 12. de exiſtentia *Notitiæ Dei Naturalis* aliqvid profert, eamqve probat (1) e Rom. I. 18. 19. (2) ex intuitu ordinis naturæ & Pauli ſuffragio Rom. II. 14. (3) Ex omnium omninò gentium ſtudio ad ſummi Numinis cultum & obſervantiam. (4) ex Sceleratorum expaveſcentiâ, Proverb. XXVIII. 1. (5) ex communi omnium gentium populorumqve conſenſu atqve ductu. §. 13. diſpicit, *num Notitia hæc Dei Inſita ſit fallax aut erronea?* & negat qvæſitum (1) ex eo, qvia eſt qvaſi pars qvædam vel ſcintillula, ex imagine Dei amiſſa, in nobis hominibus ſuperſtes relicta, & Paulus eam diſertè appellat ἀλήθειαν, item ἀλήθειαν τοῦ Θεοῦ, Rom. I. 18. 25. (2) ex Neceſſitate, omnibus enim neceſſariò ineſſe debet hæc Notitia, ſi non ſemper qvoad χρῆσιν & *actum ſecundum*, tamen qvoad κτῆσιν, & *actum primum*. (3) Si hæc Notitia Dei inſita, falſa atqve erronea eſſet, tum æqve aliæ Notitiæ inſitæ principiaqve nobiſcum nata & per diſcurſum acqviſita, falſa atqve erronea forent. Demonſtrata hactenus Notitiæ Dei Naturalis veritate §. 14. 15. & 16. Conceptum ejus qvidditativum conſiderant, interrogando: ad qvamnam rerum claſſem iſta Dei Notitia inſita pertineat? ubi refutatur eorum opinio, qvi ſtatuunt, eam eſſe ipſum intellectum ſeu facultatem judicatricem, vel ſpeciem impreſſam, vel actum aliqvem, & aſſeritur illam ipſum principium actionis eſſe, adeoqve non ad Prædicamentum Actionis, ſed ad Qvalitatis pertinere. §. 17. Qvæſtionis hujus veritatem inveſtigat: *An propoſitio iſta, Deus eſt, ſit per ſe nota?* §. 18. proponit Qvæſtionem, an

*Athei*

*Athei dentur*? & diſtinguit inter Atheos *Speculativos* & *Practicos*. §. 19. De *Notitiâ* Dei *Acqviſitâ* agit, conſiderando ejus *Objectum*, *Medium*, atqve *Principium*. §. 20. De ejus *Exiſtentia* pauca habet. §. 21. Qvæſtionem ſeqventem in medium profert: *An dari in qvoqvam homine poſſit ignorantia Dei invincibilis*? *Neg*. §. 22. De Mediis cognoſcendi Deum per triplicem viam, ſcilicet (1) *Negationis* (2) *Cauſalitatis* & (3) *Eminentiæ* tractat. ($3\frac{1}{4}$. pl. in 8.)

*Torſt. Rudeen*, Poëſ. Prof. Præſidis munus ſuſtinente

Anno 1698. d. 31. Maji *Johannes Muur*, Angerm. Svec. de *Crepuſculis* Diſſertationem Mathematicam Eruditorum examini ſubjecit. *Membrum I.* continet Evolutionem Nominis; *Membrum II.* Oſtendit initium, finem, & cauſam utriusqve Crepuſculi; *Membrum III.* obſervat modum inveſtigandi initium, finem durationemqve Crepuſculorum; *Membrum IV.* eruit Cauſam præcipuam variæ durationis Crepuſculorum, variis temporibus variisqve locis. (2. plag. in 8.)

Anno 1699. d. 21. Junii *Rhabdologiam*, ſeu *Numerationem per Virgulas* Doctorum cenſuræ ſubmiſit *Gabriel Frondelius*. (2. plag. in 8.)

Die 16. Decembr. Cogitationes Philoſophicas de *Prædictionibus Aſtrologicis* ventilandas propoſuit *Birgerus Gierdzlin*, Calm. (4. pl. in 8.)

Anno 1700, d. 17. Febr. *Gabriel J.* Haartmann/ Auſtro-Finnus Auctor ac Reſpondens, *Philoſophiam Fabularem*, *nec non Poëtarum Vindicias* examini commiſit. ($3\frac{1}{2}$. plag. in 8.)

Die 17. Martii Specimine Academico enucleatam γιγαντομαχίαν pro Gradu Magiſterii publicè defendit *Daniel Steckſenius*, Weſt-Both. Speciminis hujus *Membrum I.* probat, Gigantes in terris extitiſſe; eorum etiam proceritatis & membrorum roboris, Loci habitationis, qvi *Palæ-*

*ſtina*, *Sicilia*, novus Orbis &c. probabiliter qvoqve *Scandinavia* fuit, porro rerum ab iſtis geſtarum meminit; tandem multa Scripturæ loca de gigantibus in medium profert; *Membrum II.* nonnullas Auctorum de Origine Gigantum ſententias enarrat; *primò* eorum, qvi Gigantes ex ſeminatis Draconis dentibus progenitos fuiſſe fabulati ſunt; *Deinde* illorum, qvi Gigantes ex Angelorum cum filiabus hominum concubitu genitos aſſerunt; *Tandem* affirmat Gigantes non minus, qvam pumiliones aliosqve ab hominibus ſtaturæ uſitatæ productos eſſe; *Membrum III.* γιγαντομαχίας Etymologiam, Gigantum adverſus Deos prælium, & fabulæ hujus expoſitionem tradit. (*6.* pl. in 8.)

Die *6.* Octobr. Diſputationem Magiſtralem de *Providentiâ Fatali* æqvè cenſentium judicio detulit *Magnus Alopæus.*

Die *6.* Decembr. *Circulus artium, qvæ appellantur liberales*, Diſputatione Graduali exhibitus eſt à *Gabriele Frondelio.* (1½ pl. in 8.)

Anno 1701. d. 25. Maji Diſſertationem de *Licentiâ Poëticâ* publicæ ventilationi exhibuit *Jacobus J:* Haartmann/Auſt-Finl. *Sectio* Diſputationis *Ima* exhibet Etymologiam, Homonymiam & Synonymiam vocis *Licentiæ. Sectio IIda* progreditur ad argumentum, qvatenus ſcilicet Licentia hæc Poëtis eſt familiaris. *Sectio IIIia* in imitatione Poëtis Licentiam conceſſam eſſe docet. *Sectio IVta* de primordiis imitationis Poëticæ qvædam habet, & Auctorem ejus ipſum Deum eſſe, uſum qvoqve Poëſis Patribus ante-diluvianis. Gen. 4. v. 21. & Hebræis poſt diluvium longè ante Græcorum Poëtas cognitum fuiſſe, ſtudium Poëticum apud Græcos poſt Hebræorum Vatum tempora floruiſſe, apud Latinos autem à Bello Punico ſecundo initium habere demonſtrat. *Sectio Vta* de præcipuo Poëtices ſcopo, qvi eſt delectatio & informatio animorum, mentionem facit. *Sectio VIta* dicit qvanta ſit conceſſa Poëtis Licentia

præ

præ Hiſtoricis & Oratoribus. *Sectio VIIma* diſpicit, qvæ Licentia ſit vitioſa & tolerabilis minime (1) Reſpectu rerum, in inventione ineptâ & disſidentium juncturâ; (2) Iniqvum & illicitum prorſus eſt longè digredi à propoſito, & inducere res à themate alienas; (3) Reſpectu ſermonis in linguæ adulteratione, qvæ tolerari neutiqvam poteſt, cum Poëſis ſit genus doctrinæ verbis ita adſtrictum, ut eſt rebus ſolutum & licentioſum. *Sectio VIIIva* Licentiam non exiguam in Metaplaſmo concedi aſſerit, cujus ſpecies potisſimæ ſunt (α) ἀφαίρεσις (β) Πρόθεσις (γ) Ἐπένθεσις (δ) Συγκοπὴ (ε) Ἀποκοπὴ (ζ) Παραγωγὴ (η) Κρᾶσις ſive συναίρεσις (θ) Διαίρεσις (ι) Συστολὴ (κ) Διαστολὴ (λ) Μετάθεσις (μ) Ἀντίστοιχον ſive Ἀντίθεσις (ν) Συναλοιφὴ (ξ) Ἐκθλίψις (ο) Τμῆσις. (3. plag. in 8.)

Moderatore *Chriſtierno Alandro*, Eloqv. Rom. Prof. Regio & Ordinario.

Anno 1697, d. 18. Maji *de Cognitione Humanâ* Diſſertationem Philoſophicam publico examini ſubmiſit *Claudius T. Auſtriin*, Oſt-Gothus (2¼. plag. in 8.).

Anno 1699., d. 23. Septembr. Diſputationem Rhetoricam *de bono Hypocritâ* Alexander Alex. Kepplerus, B. F. diſcutiendam communicavit. (3. plag. in 8.)

Die 13. Decembr. *Sigfridus Brumerus*, Helſing. Nyl. bonorum cenſuræ obtulit Diſputationem Philoſophicam *de Principiis Primis*, cujus Cap. I. de Exiſtentiâ, Æqvivocatione & Definitione Principiorum Primorum; Cap. II. de Affectionibus Principiorum Primorum; Cap. III. de enodatione Primorum Principiorum penes naturam diſtinctivam & diviſivam ſpectatorum agit. (5¾. pl. in 8.)

Anno 1700, d. 10. Febr. *de Dictione Extemporaneâ* diſputavit *Magnus Alopæus*, Wib. Carel. & In *Cap. Imo* agit de illo qvod in Vocibus, *Dictio Extemporanea*, obſervandum; In *Cap. IIdo*

*IIdo* docetur, qvod hæc Dictio ſit *neceſſaria*, ob varias utilitates: ſed *difficilis*: & tamen *poſſibilis*, ut Specimine aliqvo Dictionis Extemporaneæ monſtratur. In *Cap.IIItio* disqviritur, Vtrum memoriâ an judicio hæc res magis agatur? *In Cap.IV.* dicitur, non eligendam eſſe extemporaneam Dictionem, ne amittatur benè dicendi facultas. In *Cap. Vto.* qværitur: an pueris ſit commendandus extemporalis uſus Latinæ lingvæ? (4. pl. in 8.)

Die 11. Aprilis Academicam de *Gradibus Academicis* Diſſertationem publicæ Cenſuræ detulit *Guſtavus Hacké*. Vocabulis, qvæ frontiſpicium Diſſertationis hujus exhibet, in theſibus 2.3.&4. expoſitis, §.5, Graduum Academicorum fundamentum deſcribit. §.6. incipit varias variorum circa primam horum Graduum originem enarrare ſententias, & *primò* eorum, qvi Graduum dictorum initia ad ipſa humani generis incunabula referunt, & Adamum primum Doctorem à Deo ipſo promotum extitiſſe dicunt. §.7. In recenſione ſententiarum Auctorum pergit, qvorum alii Judæorum hanc primam laudem eſſe putant: alii advectas è Sinarum Regno has dignitates ſibi, & aliis perſuaſum eunt: alii Græcorum Philoſophis hoc ipſum tribuunt: nonnulli harum dignitatum ad Romanos referunt initia: plerisqve, ac magni nominis viris, Lotharius II. Saxo auctor hujus inſtituti creditur. Ad Gallos hujus inventi laudem pertinere exiſtimant perplurimi. De omnibus his ſententiis à §.8. usqve ad 18. incluſivè agitur, & præcipuè theſis 18. Magiſtros & Doctores creandi morem ex celeberrimo Pariſienſi Muſarum domicilio in omnes Europæ partes manaſſe, demonſtrat. §. 19. oſtendit qvibus competat jus conferendi Gradus Academicos, ſcilicet omnibus illis, qvi ſummâ poteſtate in Republicâ gaudent. §. 20. 21. & 22. *Modum*, qvo hanc ſuam poteſtatem exercet Magiſtratus, explicant, qvi modus vel *mediatus*, vel *immediatus*. §. 23, 24. & 25. Perſonas, qvibus conferri de-

debent, contemplantur. §. 26. 27. 28. 29. & 30. de qvibusdam Graduum Academicorum reqviſitis dicunt, qvæ ſunt *Probatio*, *Ritus* item & *Inſignia*, & *Teſtificationes*. §. 31. 32. 33. 34. 35. & 36. delineant ipſos Gradus Academicos, qvi hodiè ſunt, *Baccalaureatus*, *Magiſterium*, *Licentia & Doctoratus*. §. 37. 38. 39. & 40. de horum Graduum dignitate qvædam adjiciunt. §. 41. & ſeqventes monſtrant, *an & qvomodo hi Gradus ſint expetendi?* (6½. pl. in 8.)

Die 29. Novembr. *Johannes* Norrgreen, Wib. Carel. ventilationi publicæ commiſit Diſputationem Philologicam Gradualem de *Honoribus Heroicis*. (2. pl. in 8.)

Die 3. Decembr. *Philoſophia Symbolica* Diſputatione Magiſtrali detecta eſt ab *Andreâ Muur*, Ang. Svec. *Cap. I.* Conſtitutionem Vocum examinat. *Cap. II.* Philoſophiæ Symbolicæ partes expendit. *Cap. III.* Docendi modum exhibet. *Cap. IV.* Philoſophiæ hujus Principium & finem indicat. (2½. pl. in 8.)

Anno 1701, d. 1. Junii Diſputationem ſuper *Humanitatis Studiis* inſtituit *Samuel Laur. Kiellinus*. Vocum genuina ſignificatione expoſitâ, qvinqve Canones tractantur, qvorum *Imus* hic eſt: *Humanitatis Studia ſunt qvæ maximè naturam attingunt humanam.* *IIdus*, *Qvi novit cogitare, loqvi & judicare ut rerum fert natura, in ſtudiis humanitatis non parum proceſſit.* *IIItius*, *Progreſſus nullus ſperandus & credendus eſt, ſi animus nihil deponit ſuæ dementiæ.* *IVtus*, *Qvi cum malis ingeniis & amicitiis per errorem compoſitus eſt, & non vincit, ſed cedit, vel ſe non abſtrahit, fruſtra ſe in ſtudiis humanitatis exercet.* *Vtus*, *Fruſtra ſperat ſe proficere, qvi credit ſe jam profeciſſe.* (2½. pl. in 8.) Sub moderamine *M. Bernh.* Münſter / Phil. Pract. & Hiſt. Prof. Regio & Ordinario

Anno 1699, d. 2. Decembr. Αὐτογνωσίαν, ſive Diſſertationem Philoſophicam *de Vera Notitia* Sui, *Guſtavus M. Brodzenius*, Helſingſ. Nyl. publicè defendit. Hujus Diſſertationis *Cap. Imum* introitum Diſcurſus, nec non auctoritatem ſententiæ: γνῶθι σεαυτὸν proponit. In *Cap. 2do* ad ὀνοματολογίαν & πραγματολογίαν fit progreſſus, qvæ per totum deinceps continuatur Diſcurſum; ſcilicet in *Cap. 3tio* exponendo inprimis diviſionem Objecti, & Originem noſtram tum qvoad animam, tum qvoad corpus; huic ſubjungitur *Cap. 4tum*, tradens brevisſimè animæ noſtræ indolem, cum ſuis facultatibus præcipuis earumqve dotibus, nec non *Cap: 5tum* corporis pariter noſtri qvalemcunqve exhibens σκιαγραφίαν, ut & *Cap. 6tum* affectuum & ſenſuum proponens delineationem. His jam recenſitis in *Cap. 7mo* adduntur officia adverſus noſmet ipſos præſtanda, tàm in præciſione ad certum ſtatum, qvam determinatione ad ſtatum Politicum; tandem in *Cap. 8vo* explicantur obligationes, qvibus adſtringimur, & adverſus Deum, & proximum, idqve non tantùm qvà eas, qvas ex ſimilitudine naturæ proximo debemus, ſed & illas, qvæ ex inſtituto humano, aut certo ſtatu nobis impoſitæ ſunt. (6. plag. in 8.)

Anno 1700, d. 14. Aprilis *de Monarchiâ Papali*, publicè diſſeruit *Iſrael J. Steckſenius*, Weſtro-Bothnienſis. ($2\frac{3}{4}$ plag. in 8.)

## VPSALIAE

Die 3. Junii Præſide *Joh. Esbergio*, præterito menſe Septembri p. 270. nobis laudato, *Nicolaus Almgreen*, Rosl. *de Tonſurâ Pontificiis uſitatâ* diſputavit. (3. pl. in 8.)

Die 5. Junii ſub *Ejusdem* Præſidio Diſſertationem de *Trituratio-*

*tione Veterum* publicè propoſuit *Abraham Samzelius*, Neric. (1½. plag. in 8.)

Die 18. Junii Moderatore *Johanne* Uppmarck/ ſuprà p. 140. ſq. memorato, *Jonas Norberg*, Geſtricius, *Uſum Philoſophiæ in Theologiâ*, publicâ Diſputatione demonſtravit. (pl. 3. in 8.)

Die 19. Junii ſub moderamine *Andreæ Gæding* de *naturâ Diviſionis in genere* Diſputationem habuit *Petrus Elfsberg*. (1. pl. in 8)

Eodem die *Hemmingus Forelius* Præſes, Reſpondente *Nicolao Forsman*, Holmienſ. de *Coronâ Hederaceâ* publicè diſſeruit, (plag. 3. in 8.)

Die 21. Junii *Johanne Palmroot*, cujus ſuperiori Menſe p. 271. meminimus, Præſidis munus ſuſtinente, *Carolus Folker*, Geſtricius, Diſſertationem publicam *de Laceratione Veſtium apud Hebræos*, ventilavit. (1½. pl. in 8.)

## KILONII

Die 11. Septembris terræ mandabatur *Bernhardus Matthias Franckius*, Med. D. ac Prof. Publ. qvi natus erat Kilonii anno 1667. d. 20. Aug. Patre *Chriſtophoro Franckio*, S. Theol. D. & Prof. Primario, Academiæ hujus Procancellario, & in ſupremo Senatu Eccleſiaſtico Conſiliario. Perceptis literis & neceſſario lingvarum inſtrumento parato, anno 1685. in numerum Studioſorum receptus eſt, atqve ad Academiam Noricorum *Altdorffinam* conceſſit, ubi etiam anno 1690. Diſputationem *de Catarrho*, pro honoribus in Medicinâ ſummis habuit. Hinc *Lugdunum Batavorum* profectus eſt, ibiqve per ſeſqviannum ſubſtitit. Anglia atqve Italia deinde peragratâ anno 1692. ad ſuos rediit, ubi publica Medicinæ Profesſio extra ordinem à Sereniſſimo Principe ipſi fuit demandata. Aſt inopinâ morte die 3. Septembr. viventium numero ereptus eſt, poſtqvam 34. annos & dies inſuper 14. feciſſet vivens. Ex vidua unicum filium reliqvit ſuperſtitem.

Die 24. Septembr. Præſide *Jo. Friderico Mayero*, S. S. Theol. D. S. Reg. Maj. Svec. Viro fideli, Conſiliario in Sacris primario, Celſiſſ. item Cimbriæ Duci in Supremo Senatu Eccleſiaſt. à Conſiliis, Facult. Theol. in Acad. Kilon. h. t. Decano, ad D. Jacobi Eccleſiæ Hamburgenſis Paſtore, & vocato Vniverſitatis Gryphicæ Pro-Cancellario, S. Theol. Profeſſ. Primario, Conſiſt. Regii Præſide, atqve per Pomeraniam Svecicam Rugiamqve Superintendente Generali, M. *Gothofredus Coblreiff*, Strelizenſis Mecklenb. ad D. Mariæ apud Neo-Brandenburgenſes in Patriâ vocatus Paſtor Primarius, pro Licentia Doctorales in Theologiâ impetrandi honores publicæ disqviſitioni ſubmiſit, *Vanitatem Romæ Triumphalis*, hoc eſt, *Probationem luculentam & ſuccinctam*, Sereniſſimam Principem Palatino-Bipontinam *Argumentis illis qvæ nuper Ipſius nomine publicè vendita ſunt, ad amplectendam Religionem Pontificiam nullatenus potuiſſe commoveri.* Duæ Disputationis hujus ſunt Sectiones, qvarum *prior, vanum Triumphi Apparatum, poſterior, Vanum Triumphi Exitum* breviter aperit, & Lectorum oculis exhibet contemplandum. (9. pl. in 4.) Candidatus hic natus eſt Strelizii an. 1676. Patre *M. Matthia Eraſmo Coblreiff*, primùm in Scholâ *Primislavienſi & Neobrandenburgenſi* Rectore, deindè Eccleſiæ *Strelizenſis* Paſtore, & nuper à Sereniſſimo Mecklenburgico Duce Seniore ADOLPHO FRIDERICO II. vocato Concionatore Aulico, Conſiſtoriali & Superintendente. Sub curâ & inſtitutione privatorum Informatorum ut & Genitoris ſui ita profecit, ut 15. annos natus *Roſtochienſem* peteret Academiam, anno videlicet 1692. Anno 1694. *Halam* proficiſcens poſtridie natalium Academiæ Fridericianæ Gradu Magiſteriali ibi ornabatur, habitâ prius ſub Præſidio *Chriſtophori Cellarii* de *Johanne Baptiſtâ* Disputatione. Deinde in Almas *Lipſienſem* & *VVitebergenſem* conceſſit. Domum reverſus an. 1695. *Roſtochium* ſecundâ vice inviſit, atqve aliqvot menſes ibi commoratus eſt. Anno 1699. *Hamburgum* ſe recepit, & Collegiis Præſidis ſuprà dicti nec non *Joh. VVinckleri* ſedulò interfuit. Ad *Kilonienſes* excurrens ibi *de Keſchet Jhudah* h. e. *Arcu filiorum Jhudah* ex II. Sam. I. 18. & *de* He-

*Hebrææ linguæ divitiis,qvas poſſidet,realibus*,diſputavit. Poſtea qvoqve ſub Præſide ante laudato duas Diſſertationes Theologicas, alteram de λόγῳ πολλαχῶς ϗ ποσαχῶς λεγομένῳ, alteram *varia Sacra ex TheologiâThetico-Polemicâ potiſſimùm ſelecta* complexam, unà die publico examini ſubjecit.

*Joh. Ludov. Hannemanni, D. & P.P. Obſervatio de Vermiculis ex dentibus deciduis.*

QVod dolorem utplurimum gignant vermiculi, qvi partem eam, qvæ dolet, lancinant vellicant & morſicant, compertum eſt. Qvod & non rarò ex eodem fonte odontalgia ortum ſuum trahat, docet experientia. Cujus in rei ac iſtius experimenti teſtimonium & confirmationem ſeqventem adduco hiſtoriam. Ruſticus contumacisſimo ac invictisſimo torqvebatur dolore,qvo ſe liberaret, hoc conſilium arripuit, & ſatis feliciter amplexus eſt. Accipit ſemen hyoſcyami,qvod commiſcuit ceræ nondum in uſum adhibitæ, qvam ceram ſemine iſto commixtam prunis commiſit, ac per infundibulum fumum aſcendentem ore patulo accepit.Qvem proceſſum bis inſtituit. Prima vice multi vermiculi ex ore elapſi in ſubſtratum linteum. Altera vice plures, qvo & factum omnis ille dolor evanuerit. Qvod non temnendum pathologiæ animatæ exemplum, & meritò notandum. Nihil qvippe negligendum vel poſtponendum, qvo magis & magis pathologia animata aliqvod incrementum capiat. Non ignoro, & antehac vermiculorum ex dentibus deciduorum mentionem eſſe factam: itaqve hanc meam obſervationem eo fine, ut præcedentem confirmem & illuſtrem adduco. Sed JCti dicunt,*qvælibet circumſtantia variat caſum.* Ita & heic occurrit circumſtantia, cujus in præcedentibus relationibus ab *aliis Auctoribus* adductis nulla omninò mentio facta eſt. Qvod ſi *clarisſimus Levventforius* hos vermiculos ſuo microſcopio obſervaſſet, miram forſan in iſtorum corporum fabrica figuram animadvertiſſet. Vnde autem iſta inſecta in dentibus generentur, ſi qværatur? reſpondebunt illi,qvi æqvivocam generationem è mundi proſcenio proſcribunt, qvod vermiculi

ſua ſemina in alimenta, vel frumenta, vel & carnem inſeruerint, qvæ ſemina in iſtis locis in vermiculos fuerint transmutata. Qvi autem æqvivocæ generationi ſubſcribunt, nec omne generationis myſterium fato univocæ generationis ſubjiciunt, horum vermiculorum geneſin ex putreſcente qvadam materiâ deducunt. Cui poſteriori ſententiæ noſtrum apponimus calculum. (1) Qvod ſi iſti vermiculi originem ſuam debeant ſpermati qvorundam vermiculorum, tum & neceſſe, id genus vermiculi, qvales è dentibus decidunt, aliqvando alimentis inſidentes animadvertantur, aſt hoc non apparet. Et ſi appareret mira inſectorum in inſecta metamorphoſis ipsâ *Ovidianâ* mirabilior fingenda foret, qvod abſonum & abſurdum. (2) Natura non adeo legibus ſuæ generationis univocæ adſtricta, qvin ei posſibile, jubente occaſione, à viâ regiâ deflectat, etiam ad generationem æqvivocam deflectere poteſt. (3) Qvis ita vim naturæ generationis ſic in numerato habet, ut omne id myſterium ſic perſpectum & exploratum, ut eidem æqvivocam generationem denegare auſit. (4) Qvis cognitum habet omne illud qvod Naturæ Deus indidit, ut posſit tam confidenter aſſerere, Naturæ à Deo non datum eſſe, ut aliqvid per æqvivocam generationem gignere qveat. (5) Si Naturæ posſibile, multas res in ſe invicem transformet, qvæ priſtinæ ſuæ ſpeciei nullam formam analogam retinent, eodem modo naturæ posſibile eſt, *æqvivocæ* generationis beneficio corpus producat. Bombycum hiſtoria docet, qvod ſucceſſu temporis & alii donentur, & tali formâ prorſus à priori diſtincta videantur. Qvod ſi naturæ posſibile eſt ita ludere transformando priſtinam formam in unius inſecti ſpecie, qvid obſtaret, qvod & ex materia æqvivocæ generationis inſecta oriri faceret? (6) Vis generandi, qvam Deus juſſu ſuo Naturæ largitus, dicendo: Creſcite & multiplicamini & replete terram, non ſolum ad ſemina determinata determinantia ſpeciem reſtricta & limitata eſt. (7) Qvod ex qvolibet qvodlibet fiat, potius aſſerendum. (8) Citius univoca generatio, qvam æqvivocatio in dubium vocari poteſt. (9) Qvoqve conſiderandum, qvod materia generationi æqvivocæ apta longè aliter ſe habet, qvam materia univocæ generationis, & qvæ ad putidam,

ſœ-

fœtidam putredinem eſt redacta qvæ & hinc ſubjectum æqvivocæ generationis. Et qvamvis in univoca generatione etiam locum habeat corruptio, ut qvæ omnem generationem præcedit; hæc tamen corruptio caret fœtidâ putredine. Putredo & corruptio toto cœlo differunt. Putredo eſt cadaveroſa, non autem corruptio. Omnis putredo præſupponit corruptionem; Sed omnis corruptio non præſupponit putredinem. Verum hac de re aliàs.

Prodiit *Samuelis Reyheri*, JC. in Academiâ Chriſtian-Albertinâ Codicis & Mathem. P. P. *Calendariorum Juliani, Gregoriani & Naturalis Comparatio, & Demonſtratio*, qvare *hoc illis* præferendum ſit, dum pleraqve Æqvinoctia, & ſic Feſta immobilia, nec non multa plenilunia Paſchalia, ac propterea Feſta mobilia à Cœlo, cui ſemper *Naturale* reſpondet, aberrare oſtenduntur. Typis Joach. Reumanni 1701. (½ plag. in 4.)

## PREZAE in HOLSATIA

Superiori menſe Auguſto exeunte *Johannes Poltzius*, Lubecenſis, (hactenus *Luneburgi* in Lyceo, qvod ad S. Johannis eſt, per qvinqvennium *Conrectoris*, deinde verò per ſeptennium *Rectoris* Spartâ functus) ad officium *Paſtoris Eccleſiæ Prezenſis* ſolenniter fuit introductus. Qvid in utroqve munere Scholaſticô præſtiterit, duplici Programmate, paullò ante abitum Luneburgi publicatô, docuit, qvorum alterum varios Labores Logicos, ad formandum ritè juventutis intellectum ſuſceptos, enarrat; alterum verò Rethorica ſtudia, eloqventiæ parandæ ergo cum diſcipulis tractata, nec non qvinqve & triginta Orationibus, ſubinde habitis, confirmata, recenſet. Qvibus addi poſſunt, qvæ in his *N. L.* menſe Februario h. a. p. 63. ſq. dicta ſunt.

## HAMBVRGI

Sumptibus *Benj. Schilleri*, ſeqventes Libri prodierunt: Neuer-öffnete Kunſt- und Schatz-Kammer / rarer und neuer Curioſitæten / von den allerwunderbarſten Ubungen der Natur und Kunſt / durch und durch mit allerhand ſeltzamen ungemeinen Geheimniſ-

ſen /

ſen / Chymiſchen Experimenten, bewehrten Artzneyen / ſinnreichen Inventis, beliebten Wiſſenſchafften / und außerleſenen Kunſt-Stücken angefüllet. Bey dieſer fünfften Edition mit 3000. auffrichtigen bewehrten Kunſtſtücken vermehret. Hamburg/ 1701. (2. Alphab. 15. pl. in 8.)

Chronologiſche Tabellen, darinnen die richtige Ordnung der Päbſte/ Käyſer und Könige/ welche von der Geburt Chriſti biß ietzo regieret haben / enthalten/ in einem kurtzen Entwurff zum Nutz derjenigen/welche die Profan-Hiſtorie leſen/heraus gegeben von G. Marcell. Hamburg/ 1701. (4. pl. in 8.)

Chronologiſche Tabellen, darinnen die richtige Ordnung der Churfürſten/ Hertzogen und Fürſten / welche vom X. Sæculo nach Chriſti Geburt biß ietzo in Europa gelebet/ enthalten iſt/ von Georg. Marcell. Hambnrg/ 1701. (3½. pl. in 8.)

*Valentinus Heins*, Scholæ Hamburgenſis ad D. Michaëlis Collega iteratam editionem Gazophylacii Arithmetices, multis in locis corectiorem noviſqve acceſſionibus auctiorem publicæ luci expoſuit, titulus ita habet: Der ſogenandten Schatz-Kammer andere Edition, hie und da verbeſſert / und mit beſondern Zugaben vermehret; welcher beygefüget der ſo genandte Haupt-Schlüſſel / oder die Solutiones derer in beſagter Schatz-Kammer vorfallenden etwas ſchweren / ſowohl auch derer / in die Algebram lauffenden Problematum, nicht weniger der Schluß-Zugabe/ ſo durch eine/ dem Italiäniſchen Buchhalten ähnliche Dispoſition entſchieden.

# NOVA LITERARIA

## MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS,

*Edita Menſe Novembri M DCCI.*

### WISMARIAE

M. *Johannis Kindleri*, Lycéi Wiſmarienſis Rectoris, manuductionem ſecuti *Johannes Joachimus Jörcke*, *Johannes Henricus Höfer*, *& Daniel Henricus Müller*, Wismarienſes, in Auditorio novo publicis Orationibus *Victoriam Svecorum*, *ad Dunam Fl. contra Saxones* d. 9. *Julii*, *reportatam* expoſuerunt, & *primus* qvidem *Saxones victos* deſcripſit, *ſecundus Svecos Victores* laudavit, & *tertius juſtitiam*, *potentiam & bonitatem eminentiſſimi Numinis in hâc Victoriâ ſatis conſpicuam*, *Carmine Heroico*, *eoqve Eucharistico*, celebravit.

Typis *Matthiæ Martini* impreſſa exſtat Concio illa in Conſecratione Templi Muchovienſis Dominicâ XIV. poſt Trin: ex Evangelio Luc. XVII, 11-19. habita, ſeqventi modo inſcripta: Die Muchowiſche Kirch-Weihe / aus dem ordentlichen Evangelio Luc. 17, v. 11-19. am XIV. Sonntage nach Trinitatis, anno 1701. bey Einweihung der daſelbſt erbauten neuen Kirche / freudigſt vorgeſtellet von Henrico Helms, Paſtore zu Muchovv und Zerſovv. (6. plag. in 4.)

### ROSTOCHII

Die 8. Octobr. Diſſertationem Philologicam de *Formulis Juramentorum Judaicorum*, examini publico ſubmiſit M. *Chriſtianus Ditericus* Palte-mann / Roſtochienſis, Reſpondente *Johanne Hiobo*, Nicolai fil. *VVaſmuth*, Parchum. Mecklenb. (4. pl. in 4.)

Die 11. Octobr. *Georgius Dethardīng*, Med. D. & Anatomiæ P. P. Facultat. Medicæ h. t. Decanus ad *Anatomen, in nobilioris Sexus*

*Subjecto* publicè diebus ſubſeqq. *adornandam*, & ad Demonſtrationes inde inſtituendas Omnes Omniumqve Ordinum Cives Academicos programmate invitavit. (1. plag. in fol.)

Die 15. Octobr. Præſide *Jo. Fechtio*, S.S. Theol. D. & Prof. Conſiſt. Ducal. Aſſeſſore, & Diſtr. Roſtoch. Superintendente, *Pietatem Cornelii Centurionis Cæſarienſis*, *anteqvam ad Eum mitteretur Petrus*, ex Act. X. 2. delineatam publicæ Eruditorum disqviſitioni ſubmiſit *Jacobus Beetz*, Rigâ-Livonus. (4. pl. in 4.)

Die 21. Octobr. ſub Præſidio *Joh. Joach.* Schöpffer/ J.V.D. Prof. Comitis Palat. Cæſar. Conſiſt. Conſiliarii & Academiæ Rectoris, Exercitationem Disputatoriam, qvæ continet *Meditationes Juridicas*, *occaſione Inſcriptionis Proœmio Inſtitutionum præmiſſæ elaboratas*, ventilandam propoſuit *Jens Chriſtoph.* von Lehſten/ Eqves Mecklenburgicus, Auctor & Reſpondens, de cujus Stirpe ſuprà p. 65. ad funus fratris diximus (2. plag. in 4.) *Meditatio prima* eſt (occaſione Inſcriptionis) An nomen Dei, ſolennitatis cauſa, adhiberi posſit? *Secunda* (occaſione ejusdem Inſcriptionis) An privatus uti posſit Titulo, *Dei gratiâ*, Germ. von Gottes Gnaden? *Tertia* (occaſione Tituli) An Princeps uti posſit Titulo Regionis vel Regni, licet actualem non teneat poſſesſionem? *Qvarta* (occaſione Tituli) An privati honorum Titulos ſuo adſcribere posſint nomini? *Qvinta* (occaſione verbor. in Tit. Victor ac Triumphator) An Imperatori Romano tribui posſit Titulus, *Invictiſſimus*, unüberwindlichſten? *Sexta* (occaſione, verb. Semper Auguſtus) An Imperator vi Juramenti præſtiti de augendo Imperio, impugnare posſit terras, publicâ pacificatione, alienatas. *Vltima* Meditatio (occaſione verb. Cupidæ legum juventuti) hæc eſt: An virgo Collegia Juridica freqventare, & Matriculæ inſeri posſit Academicæ?

Die 22. Octobr. *Albertus Joach. de Krakevitz*, S. S. Theol. D. & Hebr. Lingv. ut & Chriſt. Catech. P. D. P. pro publico exercitio propoſuit Disputationum Theologicarum *de præcipuis noſtri Sæculi Qvæſtionibus Theologicis juxta Articulorum Fidei* ſe-

*ſeriem diſpoſitis*, primam, Reſpondente *Henrico Erneſto* de Gramm/ Eqv. Mecklenb. S. S. Theol. Cultore. (3. plag. in 4.)

Die 27. Octobr. paullò ante laudatus *D. Joh. Joach.* Schöpffer/ Academiæ hactenus Rector ſceptra Acad. depoſuit, eademqve electo nuper Rectori novo *D. Johanni Barnſtorfio*, Inſtitut. Prof. Publ. tradidit, in qvo actu ille *de juribus & privilegiis electi & introducti Rectoris*; hic verò *de moderamine lingvæ peroravit*.

STRALESVNDAE

*M. Lucas Schröderus*, Eccleſiarum Straleſundenſium Superintendens, cujus præterito Menſe Octobri p. 296 mentionem fecimus, *Concionem ſuam Valedictoriam* Guſtrovii habitam, hoc poſteriori loco typis exprimi curavit. (7. pl. in 4.)

*Joh. Chriſtianus Bunſovius*, Scholæ Anclamenſis hactenus Con-Rector, ad eandem ſpartam in Gymnaſio Straleſundenſi obeundam vocatus eſt.

*Johannes Franck*, Paſtor Baggendorfenſis, præter evulgatum illud Scriptum *de Chiliaſmo*, ſuprà p. 227. memorato, in qvod nonnulla vitia Typographica irrepſerunt, qvæ B. L. tollere velit, adhuc alium Tractatum editioni paratum habet, ſeqventi modo inſcriptum: *Tenebræ Lucidæ ſ. Diacritica Sacra, in qva Doctrina de Ebræorum Diſtinctione & Interpunctione pleniſſimè, planiſſimè, ſimulqve breviſſimè proponitur; tribus Regulis Fundamentalibus illuqve breviſſimis ad Diſtinctionem; & duabus Tabulis non adeò prolixis ad Interpunctionem ſufficientibus, ut, qvæ hactenus, nec immeritò, obſcuriſſima & difficillima fuit, nunc facillima & paucis horis addiſcenda veniat. Acceſſit Elucidarius, in qvo omnia prolixius explicantur & exemplis illuſtrantur; Regulæ datæ probantur; aliorum placita modeſtè examinantur; Vſus Doctrinæ hujus indicatur; multa ab aliis prætermiſſa adduntur; & pleraqve ſi non omnia, qvæ his neceſſaria vel utilia ſunt, exponuntur.*

GRYPHISWALDIAE

Die 18. Octobr. Præſide *Nicolao Daſſovio*, S. Theol. D. & Prof.

Prof. Ordinario, ad D. Mariæ ædem Paſtore, Regii Conſiſt. Aſſeſſore, FCtis Theologicæ h. t. Decano, *M. Georgius Fridericus* Mieheneck/ Roſtoch. S. Theol. Baccalaureus, prætecito menſe Octobri p. 297. nobis laudatus, pro Licentia ſummos in Theologiâ Honores capeſſendi, propoſuit ac defendit *Theſes Theologicas* ex Articulis de *Efficaciâ Verbi Divini, de Angelis malis, de Peccato in Spiritum S. de Induratione, de Benevolentiâ Dei univerſali, de Satisfactione & Interceſſione Chriſti*, & *de Pœnitentiâ* deſumtas. (1. pl. in 4.)

*D. Jo. Frid. Mayer*, Lipſienſis, Vniverſitatis Gryphicæ Pro-Cancellarius, S. Reg. Maj. Svec. Sereniſſ. Holſatiæ Ducis, ut & Reverendisſimæ ac Illuſtrisſimæ Abbatiſſæ Qvedlinburgenſis Conſiliarius in Sacris Primarius, cum ipſi die 30. Octobr. Generalis ἐπισκοπῇ Eccleſiarum per Pomeraniam ac Rugiam demandata eſſet, Regiæ Voluntatis interprete L. *VVittio*, Sedinenſis Synodi Præpoſito, poſtero 31. Octobr. die, præmiſſo Programmate invitatorio, *Memoriam Reformationis Lutheri, cui ille dies initium dedit, publica lectione recoluit*, in amplisſimo Auditorum diverſi Ordinis conſesſu, præſentibus præter cœtum Studioſorum, Illuſtri Status Pomeranici Conſiliario, Dn. de *Jäger*, qvi inaugurationis actum pridie direxerat, Deputatisqve Nobilitatis ac Civitatum, Profeſſoribus item Academiæ, ac Eccleſiarum per Pomeraniam ac Rugiam Præpoſitis, qvi omnes peractæ pridie inveſtituræ affuerant. Idem, poſtqvam die 1. Novembr. locum Præſidis in Conſiſtorio, die 2. locum Primarii Profeſſoris Theologiæ in Concilio Academico, *eodemqve* die locum Superintendent s ac Paſtoris urbani in Miniſterio occupaſſet, traditis ſolenni ritu acceptisqve ad ſingula officia literis vocatoriis, die 4. Rector Academiæ Gryphicæ in futurum annum felicisſimis auſpiciis electus, die 9. primam Concionem in templo Nicolaitano ſuper verſ. 9. 10. Cap. XVI. Act. die 10. *Orationem ſolennem qvam vocant introductoriam, de eo qvod univerſa Chriſti Eccleſia Pomeraniæ ob Johannem Bugenhagium debet*, habuit, in freqventisſimo Civium Hoſpitumqve a *Jo. Philippo Palthenio* t. t. Academiæ Rectore ante invitatorum panegyri, plaudente ac exultan-

te Gryphisvvaldiâ, ac fauſtisſima qvæqve ſibi de tanto Viro, cujus jam ante complures annos copiam ſibi fieri exoptaverat, pollicente, qvam ſuam exſpectationem ſeqventi epigrammate teſtatam fecit:

Parva fui, parvamqve alui neglecta cohortem
    Gryphia, nunc vires ſpesqve ego ſumo novas.
MAYERO Duce major ero. Jam tollor in auras,
    Altius ad ſuperas ſemper itura domos.
Deſine me parvis, Hamburgum, adſcribere poſthac
    Urbibus, & qvam nunc ſim ſpacioſa vide,
MAYERUM capio, qvem nec Leucourea cepit,
    Nec capere amplexus qvem potuere Tui.

## REGIOMONTI

Die 13. Octobr. Præſide *Bernhardo von Sanden,* Jun. S. S. Theol. D. & P. P. Ord. Diſputatio Theologica de *Roſario, ſive modo precandi Ave Maria & Pater Noſter,* ad calculos & numerum, Pontificiis proprio, publicè propoſita eſt à *Friderico Trentovio,* Cumilſc. Pruſſo. (4½. plag.)

Die 20. Octobr. *Eodem Præſide* Decas Theſium Controverſarum ex Loco *de Vnione duarum Naturarum & Communicatione Idiomatum in Chriſto ſelectarum* exhibita à Reſpondente *Adamo Friderico* Schimmelpfenning/ Inſterb. Pruſſo. (2½. pl.)

Die 21. Octobr. *Benjamin Ewald,* Med. D. Reſpondente *Michaele* Kirchhoff. Regiom. Pruſſo, pro Receptione in Facultatem Medicam Diſputationem habuit, qvæ inſcribitur: *Medicus Practicus dubitans de Subtilitatibus curioſis, an in Praxi uſum habeant?* cujus tota tractatio eò tendit, ut demonſtret, *ſubtilitates theoreticas, Anatomico-Chirurgicas, parum aut nihil in praxi proficere, adeoqve jure à Medico dubitante rejici; cùm, ut ex celeb. Ammanni Paræneſ. ad diſcent. in præfat. adduxit, vanæ dicendæ ſint, qvæ nullum praxi Medicæ largiantur uſum. Atqve inde à talibus plerumqve divulgentur, qvi nimia turgidi curioſitate, per Momi vitra in abdyta rerum* in-

*inſpicere, non ad utilitatem ullam, ſed petulantis admodum otii oblectamentum, aſt irrito ſatis ſucceſſu annituntur, vel certè geſtiunt, vix ſatis perpendentes, hôc ipsô ſtudium non tantum reddi intricatius; verum plures etiam ad Medicinam euntes perſpectis tot difficultatibus, lacertas dudum vel admotas deſperabundos planè retrahere* ($2\frac{1}{4}$ pl. in 4.)

## ABOAE

Sub Præſidio *M. Bernhardi* Münſter / præterito menſe Octobri p. 313. nobis laudato.

Anno 1700. d. 12. Maji loco ſpeciminis publici *Aboam veterem & novam* deſcriptam bonorum Cenſuræ exhibuit *Daniel D. Juslenius*, Boreâ-Fennus, & in *capite primo* Topographiam Vrbis Aboæ ſiſtit; In *Capite ſecundo* Hiſtoriam Aboënſem contexit; In *Capite tertio* Statum Politicum & mores Aboënſium deſcribit. ($7\frac{1}{4}$. pl. in 8.)

Die 30. Junii *Gabriel G.* Kihl/Tavaſtenſis, *Sororium Disciplinarum Vinculum*, Diſſertatione Philoſophicâ breviter adumbravit. ($3\frac{1}{2}$. plag. in 8.)

Die 22. Septembr. *de Martyrio Philoſophi* pro Gradu Magiſteriali capeſſendo Disputationem habuit *Ericus Z.* Dahlman/ Wib. Voce Martyrii in *Membro* I. expoſitâ, *Membrum II.* de Certitudine naturalis ſcientiæ agit; *Membrum III.* de iis aliqvid dicit, qvi ſtultè adeò ſapuerunt, ut nihil unqvam pro certo habuerint in totâ ſuâ Philoſophiâ, ut *Pyrrhonii*; *Membrum IV.* de Conſolatione Philoſophicâ differit, qvomodo hæc potuerit tranqvillare animos, ut ſummi viri hâc utentes tutò & intrepidè mortem adierint, ut, *Brutus*, *Socrates*, & alii, ſimul etiam docet, unde factum ſit, qvod mortem non formidaverint, ſcilicet id provenisse à nimia qvadam perſuaſione, ſtupiditate, & partim Diaboli *νάρκωσι*. *Membrum* V. accuratius diſpicit de certitudine ſcientiæ, qvæ procedit à veris cauſis, *Subjecto*, *Affectionibus* & *Principiis*, qvibus fulcris ſuas aſſertiones Philoſo-

loſophi ſolent ſtabilire, & demonſtrat certitudinem eſſe duplicem, *alteram Objecti, qvâ res dicitur certa, cum actu eſt extra ſuas cauſas; alteram actuum intellectus, qvæ eſt determinatio intellectionis ad verum ut verum.* Poſtqvam præmiſſa docuerunt neminem oportere martyrium ſuſcipere propter Philoſophiam, *Membrum VI.* refert, Martyrum fortitudinem non à Philoſophia l. principio aliqvo inſito provenire ſed virtutis & conſolationis divinæ eſſe opus. (2½. plag. in 8.)

Die 14. Novembr. *Johannes Joh.* Thorwöſte/ Nylandus, *Examen Argumenti Pythagorici* pro Vnitate Numinis propoſuit. (4½. pl. in 4.)

Anno 1701. d. 21. Januarii Diſcurſum Philologo-Moralem, *de Primogeniturâ ejusqve Prærogativis*, hauſtum ex genuinis ſuis fontibus, occaſione verb. Juſtinii l. 2. c. 10. §. 2. candidis rerum cenſoribus examinandum exhibuit *Andreas A. Herkepæus*, Tavaſtenſis. In Capite *primo* hujus Diſcurſus, Etymologia, Homonymia & Synonymia vocabuli Primogenituræ ſiſtitur; *Caput ſecundum* definitionem Primogenituræ exhibet, & qvatenus privilegium primogenituræ juribus qvibusdam, ceu fundamentis, ſive naturali, ſive gentium, ſive divino, innitatur, oſtendit; *Caput tertium* præcipuas primogenituræ prærogativas recenſet, & qvidem hac vice eas, qvæ olim in populo Ebræo obtinebant, examinat, qvarum *prima, Principatus in Regno & Familiâ, ſecunda, Munus ſacerdotale, tertia, Dupla in paternis bonis hereditas*; harum *primam* & *tertiam* hodie in multis, ſi non omnibus Rebuspubl. adhuc uſurpari, *ſecundam* populo Iſraelitico magis propriam fuiſſe aſſerit; *Caput qvartum* Objectiones nonnullas, circa hoc negotium afferri ſolitas, ſolvit. (2½. plag. in 8.)

Die 23. Febr. *Daniel Roſin*, Calmarienſis, publicè ventilandum propoſuit *Triumphum generoſi animi, ſeu contemtum Invidiæ & Calumniæ. Membrum Imum* ſeqventia complec-

plectitur: Homo, licet naturâ animal ſociabile, præter multos alios pravos affectus, qvibus eſt obnoxius, ob qvamcunqve injuriam ſibi illatam, ſive qvà bona, ſive qvà exiſtimationem, iræ plerumqve & vindictæ,ultra decorem, tangitur cupiditate, qvam moderatur Triumphus generoſi animi cujus deſcribitur Character. *Membrum IIdum*,Rationes, qvarum reſpectu iram & ultionem refrenare decet,proponit. *Prima* deſumta eſt à generoſitatis natura; *ſecunda*, à funeſtisſimis iræ effectis, ejusqve pœnis gravisſimis, qvæ ſunt (1) Odium (2) Exitus tragici & horribiles; *tertia* à teſtimonio *Plutarchi & Senecæ*, qvi iram fugiendam eſſe docuerunt, argumentis præcipuè petitis ex pasſionis hujus (α) Violentia (β) Deformitate (γ) Incommodo (δ) Ignobilitate; *qvarta* ratio deſumta eſt ex Doctrina & Diſciplina Chriſtiana,multis argumentis vindictæ cupiditatem prohibente, qvalia ſunt (1) *Mandata divina*, tam *poſitiva*, i. e. charitatem, dilectionem, patientiam, manſuetudinem ſvadentia,qvàm *negativa*, hoc eſt, iram, odium, contentionem & vindictæ cupiditatem vetantia Prov. 24. Eccl. 28. Matth. 5. Rom. 12. Hebr. 10. Eph. 4. &c. (2) Ὁμοίωσις qvantum fieri poteſt, cum Deo ſectanda. (3) Vt majori cum fiducia delictorum veniam à ſupremo Numine impetrare posſit, eò freqventius animus generoſus offenſas proximo condonet. (4) Idem ſuadent Exempla Chriſti & Sanctorum. (5) Proprietas electi filii Dei (6) Fructus manſvetudinis, qvales ſunt (α) gratia Dei (β) recta & cum fructu Deum invocandi ratio (γ) Vita tranqvilla (δ) terræ habitatio & poſſesſio (ε) victoria ſuper hoſtes (ζ) poſt mortem vita beata. Porrò *Membrum* hoc ſecundum docet iram & vindictam reprimendam eſſe injuriarum, nec non ſpeciatim calumniæ & invidiæ, qvando iis virum generoſum peti contingit,contemtu aut oblivione. *IIItium* demonſtrat iram omnem non penitus tollendam eſſe, & ἀμνηστίαν locum habere, niſi

niſi vindicari injurias Reipubl. & eorum, qvi injurias inferunt, intereſſit, ne lata qvibusvis injuriis feneſtra aperiatur, & bonæ leges penitus conculcentur. *Membrum IVtum* ad modum in irâ ſervandum, qvatuor potisſimum circumſtantiarum attendendam eſſe rationem exponit, nempe cauſarum, perſonarum, modi & temporis, & in eo multum valere variam ingeniorum diſpoſitionem & corporum temperaturam, qvam tamen multum alterare posſit inſtitutio & generoſitatis affectus. *Membrum Vtum* iræ & calumniæ ſeptem remedia enumerat, qvorum (a) *Sola animi bona pro verè bonis cenſenda, cetera contemnenda.* (b) *Sorte ſuâ qvemvis contentum eſſe oportet*, cogitando ſecum, cuiqve demenſum à Deo diſtribui. (c) *Vitiorum illorum deformitas & damna ponderanda.* Si in re lautâ exiſtentem, aliorum invidiâ & obtrectatione tangi contigerit, ad faciliorem earundem fugam (1) *cum honoribus & opibus conjungendæ erunt modeſtia, humanitas & beneficentia erga pares & inferiores.* (2) *Specialis æmulorum & his vitiis obnoxiorum, humaniter licet amplectendorum, familiaritas & converſatio non ambienda, ut & bona, qvæ nobis contigerunt, apud illos nec jactanda, ſed fortunæ potius, qvam induſtriæ, aut virtuti tribuenda.* (3) *Sycophantiæ decenter eliminandæ apud Principem*, teſtium ingenioſâ refutatione, rationibus, legibus &c. *apud populum* verò, tum multitudine & potentia amicorum te laudantium, tùm vitæ ſinceritate & oppoſitis rationibus &c. (4) *Invidiæ Obtrectationes, duplici* præprimis clypeo, *innocentiæ* nimirum & *patientiæ retundendæ.* ($3\frac{3}{4}$ pl. in 8.)

Sub Vmbone *Iſaaci* Pflmann / Lingv. Orientalium Prof. Ord. Anno 1698. d. 7. Maji Exercitium Academicum *de Metamorphoſi Nebucadnezaris* exhibuit Michael Gonth / Erici fil. Oſt. Bothn. ($3\frac{3}{4}$. plag. in 8.) Nomine *Nebucadnezaris* expoſito, illius fata propitia, & immitia conſiderantur; ad poſteriora pertinent, illius in brutalem ſtatum dejectio,

expulſio, cum brutis cohabitatio, alimentum inſvetum, pilorum & ungvium augmentum. Deinde pauca adduntur de hujus transformationis duratione & in priſtinum ſtatum reſtitutione. Tandem qvid de *Metamorphoſibus* à Poëtis depictis & de *Lycanthropia* cenſendum ſit oſtenditur.

Anno 1700. d. 16. Maji *Traditio Manualis* leviter delineata & Eruditorum Cenſuræ ſubmiſſa eſt ab *Erico Choſelio*. ($3\frac{1}{2}$. plag. in 8)

Die 7. Decembr. Diſputationem Pnevmatico-Philologicam de Angelis Imperiorum, ex Dan. X. 13, 20. pro Gradu Magiſterii habuit *Zacharias Lithovius*, Vhloa-Oſtro Bothn. Diſſertationis hujus *Sectio prior* per gradus Entium ordine ad Angelorum conſiderationem aſcendit, qvorum exiſtentiâ ex lumine naturæ & Scripturæ probatâ, de Geniis Ethnicorum pauca ſiſtit; atqve ſic per certa eorundem officia, ad ea qvæ circa Respublicâs præcipuè ſunt conſpicua, aditum parat. *Sectio poſterior* curam Angelorum circa Respublicas, etiam Gentilibus in Diis ſuis tutelaribus notam, exponit, ejusqve nonnulla experimenta exhibet; hinc ad conſiderationem Angeli Regni Perſici factâ digreſſione, eum malum, ſeu Diabolum aulicum, fuiſſe probat, cujus perverſa ſtudia atqve effectus, non in Regno tantum Perſico, ſed & in aliis breviter detegit. ($2\frac{1}{2}$. pl. in 8.)

Anno 1701. d. 6. Julii Diſſertationem Philologicam de *Mannâ Cœleſti* examinandam voluit *Petrus Tigerſtedt*, *Erici*, Aſſeſſoris olim in Regio Dicaſterio Aboënſi, filius.

Præſide *Laurentio Tammelin*, Mathem. Prof. Ord. & Regio.

Anno 1699, d. 15. Decembr. pro Gradu Magiſterii Diſſertationem Philoſophicam *de Erogatione Pœnarum* examini Eruditorum ſtitit *Chriſtophorus* Bonſtorff. (1. plag. in 8.)

Anno 1700, d. 15. Septembr. *Theorema Pythagoricum, de Qvadratis Laterum Trianguli Rectanguli*, ſuccinctâ Diſſertatione demonſtratum, pro Gradu Magiſterii capeſ-

ſendo

ſendo, ad publicam cenſuram detulit *Pet. Petrejus* ($2\frac{1}{4}$. plag. in 8.)

Die 28. Novembr. *Decades octo* Aphoriſmorum Mathematicorum, *de Naturâ Geometriæ, ejusqve Figurarum Simplicium, Andreas Haſſelqviſt*, Magiſterium in Philoſophiâ aditurus, ventilationi publicæ commiſit. ($1\frac{1}{2}$. plag. in 8.)

Die 10. Decembr. Diſputationem Gradualem de *Anno Solari Aſtronomico Andreas C. Kiemmer*, Oſt-Bothn. habuit. ($1\frac{1}{2}$. pl. in 8.)

Diſputationibus hiſce juxta ſeriem Profeſſorum ſuprà pag. 301. memoratam recenſitis, porrò alias aliorum Diſſertationes, in hâc ipsâ Academiâ, paucis abhinc annis habitas, nec non qvosdam Tractatus addere placet.

Sub moderamine *Johannis Gezelii*, S. S. Theol. D. Aboenſis Diœceſios Epiſcopi, Regiæ itidem Academiæ Pro-Cancellarii, an. 1697. Venerando Clero in Synodum convocato, Diſputationem Theologicam *de Cruce Piorum, & Dei Invocatione*, diſcutiendam exhibuit *Henricus Paulinus*, Paſtor in Sumo / Reſpondentibus *Jacobo Zidenio*, Sacell. in Wirmo *Johanne* Sençwiſt / Pædagogo in Nyſtadt. ($3\frac{1}{2}$. pl. in 4.) *Caput prius de Cruce* agit, §. 1. *Definitionem Nominalem & Realem*; §. 2. *Cauſas, Efficientem principalem, Inſtrumentalem, Materiam* in qvâ, *Formam* & *Finem*; §. 3. *Diviſionem* nec non varias *Crucis ſpecies*; §. 4. deniqve ejus *Adjuncta* proponendo. *Caput poſterius* eadem Methodo ac prius pertractatur.

*D. Petrus Laurbecchius*, primùm Poëſios, deindè S. S. Theol. Prof. primarius, jam verò Epiſcopus Wib. (cujus pag. 301. ſeq. meminimus) Reſpondente *Johanne Agricolâ*, Nyl. publicæ diſceptationi ſubmiſit Diſcurſum Theologicum de *Deſponſatione Fidelium cum Chriſto*. (1. plag. in 8.)

*Idem* pro Licentia Doctorali in Theologiâ Anno 1689. die 10. Maji, *de Communione Naturarum in Chriſto, Prædicationibus Perſonalibus & Communicatione Idiomatum*, diſputavit, Reſpondente *M. Arvido A. Rothovio*, Satag. Finlando, S. S. Theol. Stu-

dioſo. Argumenti hujus *dignitate* & *utilitate* in Prœmio expoſitâ, *Pontificiorum* & *Calviniſeqvarum* abſurditatem hæreticam demonſtrat, & qvidem in *Cap. I. Circa Communionem Naturarum in Chriſto*; In *Cap. II, Qvâ Prædicationes Perſonales ex hâc Communione ortas*; in *Cap. III, Qvâ Idiomatum Communicationem trium generum, & ſingulorum Prædicationes Idiomaticas.* ($5\frac{1}{4}$ plag. in 4.)

Aliqvoties nobis laudatus *D. Laurbecchius* antehac etiam Tractatum qvendam ſeqventis tituli evulgavit: *Διάσκεψις de Cauſis Salutis Humanæ, præſertim Gratia Dei, & Merito Chriſti Salvatoris; in Regiâ Academiâ Aböenſi Diſputationibus publicis propoſita, & coram Studioſa juventute ventilata.* Impreſſa Aboæ à *Jo. Laurentii VVallio.* (21. plag. in 4.) In hoc libro Doctrina de *Gratia Dei* in *qvatuor* diſpeſcitur *Capita*, qvorum *primi* hæc ſunt contenta: *Gratia* unde dicta; qvæ Gratiæ *Synonyma*, & qvot Significata. *pag.* 2. Significatio vera, *paternus* ſc. *divinæ miſericordiæ favor*, & *immenſus amor Dei*, *pag.* 3. Errores *Pelagianorum, Socinianorum*, item *Pontificiorum*, horumqve *refutatio*, *pag.* 4. 5. *Cauſa Gratiæ*, nempe Pater, Filius, Spiritus S. ſervato ordine & Charactere perſonarum, ejusqve *Definitio*, *pag.* 6. 7. *Cap. ſecundi.* Gratiæ diſtinctiones (*α*) in *Prævenientem, Operantem, Perficientem*: qvæ definiuntur: *Præveniens* eſt actus ille divinæ benevolentiæ, qvo Spiritus S. ante omnem motum ſalutarem hominis, ſive voluntatis noſtræ, mortuum in peccatis invitat, pulſat, reſiſtentiam refrenat. Eſ. LV. 1. Joh. VII. 37. ſq. *Operans Gratia* eſt affectionis univerſalis diſpenſatio, qvâ in homine externa & liberalis notitia, nec non hiſtorica Evangelii generalisqve fiducia in Deum, & per Legem contritio cordis producitur, Actor. XIII. 46. ſeq. Apoc. III. 20. *Perficiens Gratia* eſt Operatio Dei in homine talis, qvâ ejus intellectum, voluntatem & appetitum *actu* liberat à ſervitio Diaboli, fiduciam de remiſſione peccatorum & adoptione in filios, & promtitudinem Deo ſerviendi, & peccata vitandi operatur. Phil. I. 6. II. 13. *pag.* 8. Errores *Pontificiorum* de *Gratia Excitante* & *Adjuvante*, *Operante* & *Cooperante*, *pag.* 9. 10. *de Præveniente*, *concomitante* & *ſubſeqvente*

*pag.*

*pag.* 11. Graduum Gratiæ diſcrimen ratione *Gratiæ Prævenientis, Operantis & Perficientis pag.* 12. Refutantur Errores Pontificiorum *p.* 13. (β) diſtingvitur in Gratiam, *media Salutis ordinantem*, *eademqve applicantem*; *prior eſt*, qvâ Deus genus humanum in miſeriâ ab æterno reſpiciens, Filium ſuum illis Redemtorem decrevit, & in temporis plenitudine in carne miſit, ut ejus ſatisfactione pro peccatis fide apprehensâ, omnes homines ſalvi fiant Joh. III. 16. Gal. IV. 4. 2. Timoth. I. 9. 1. Timoth. II. 4. *Poſterior eſt*, qvæ media ſalutis humano generi benigniſſimâ Dei voluntate deſtinata, & fraternâ Jeſu Chriſti redemtione acqviſita, hominibus offert, exhibet, communicat & applicat. Eph. II. 4, 5, 16, 17. Coloſſ. I. 20. II. 13, 14. *pag.* 14. Refutantur Errores *Calvinianorum & Calvinizantium*, *pag.* 15. & 16. etiam *Pontificiorum* eorumqve *Seqvacium pag.* 17. Obſervatio circa Gratiæ diviſiones *pag.* 18. *Gratia Applicans* modò deſcripta, eſt vel *Ordinaria*, vel *Extraordinaria*. *Illa*, qvâ omnes omninò homines, ordinario Evangelii miniſterio ad regnum Dei, vitamqve & ſalutem æternam vocantur; *hæc* verò, qvâ certi homines ſingulari Dei potentiâ, & miraculis utplurimum illuſtribus, è regno tenebrarum in regnum lucis filii Dei vocantur. *pag.* 18. 19. Annotatio *B. D. Scherzeri Breviar. Hülſemann. enucleat. c.* 6. §. 15. de Converſione Pauli Apoſtoli, *pag.* 19. (γ) dividitur Gratia in *ſufficientem & efficacem*, *pag.* 20. qvæ diſtinctio explicatur contra Calvinianos & Jeſuitas, *pag.* 21. probatur ex Scripturæ dictis *ſufficiens Gratia* Proverb. I. 24, 25. Luc. VII. 30. Joh. V. 39, 40. Actor. XIII. 46. Eſ. LV. 5. ſeqq. Matth. XXIII. 37. Luc. XIII. 34. Ezech. XII. 2. Act. VII. 51. Jerem. VI. 10. Eſ. V. 1. ſeqq. Jerem. II. 21. *pag.* 22. *Efficax gratia* Luc. VIII. 25. Act. II. 37. XIII. 48. Rom. VI. 17. ſeq. Joh. VIII. 31. 2. Theſſ. II. 13. 1. 3. &c. *pag.* 23. Gratia ſufficiens & efficax deſcribuntur, explicatio & diſtinctio hujus Gratiæ Pontificia & Calviniana refutatur *pag.* 23. Refutantur Pontificii & Calviniani circa explicationem Gratiæ ſufficientis, *pag.* 25. Refutantur Pontificii circa explicationem Gratiæ efficacis vagam & incertam *pag.* 26. *ſeqq.* Diluitur ἰσοδυναμία Gratiæ diviſionis in *ordinariam & extraordinariam*, cum illâ in *ſufficientem & efficacem*, *pag.* 28. ſeq. Calvinianorum di-

 ſtin-

ſtinctio Gratiæ in *internam & externam* excutitur & refellitur, *pag.* 30. ſeq. *Caput tertium* ſeqventia complectitur: Gratiæ Dei proprietates ſunt (α) *gratuitam*, ſeu *indebitam* eſſe, *pag.* 33. Refutantur Pelagiani & Pontificii, Arminiani & Remonſtrantes, *pag.* 34. *ſeqq.* (β) Eſſe *ſupernaturalem pag.* 36. Rejiciuntur Pelagiani, Weigeliani & Arminiani, Photiniani & Pontificii, *pag.* 37. *ſeq.* (γ) Eſt Gratia Dei univerſalis, *p.* 39. Refelluntur Pontificii & Calviniani *pag.* 40. *ſeq.* Gratiæ Dei univerſalitas qvâ *Objecta* adſtruitur, contra Calvinianos, *pag.* 43. *ſeq.* Eſtqve *intra & extra* Eccleſiam *pag.* 44. *ſeqq.* Refelluntur Arminiani & Pontificii, *pag.* 47. *ſeq.* Circa finem Gratiæ univerſalis extra Eccleſiam errant Pontificii, Calviniani, Arminiani, *pag:* 49. *ſeq.* Gratia Dei in ſe univerſalis, qvâ applicationem fit inæqvalis (1) *Ex modo vocationis extraordinario per miſſionem Prophetarum, & edita miracula* (2) *Ex plantatæ jam veræ Eccleſiæ ſingulari privilegio, per collatam efficaciam donorum miniſterii, interdum peculiarem & extraordinariam.* (3) *Ex præviſa Credulitatis* προσκαιρία, *aut incredulitatis perſeverantiâ, temporariâ vel perpetuâ, pag.* 51. *ſeq.* Rejiciuntur Gratiæ inæqvalitatis cauſæ ſpuriæ Pontificiorum, Semipelagianorum etiam Calvinianorum, qvâ *Affectum Dei diverſum, qvâ Redemtionem Chriſti, qvâ abſolutum Dei decretum p.* 52. *ſeqq.* (δ) Eſt Gratia Dei *Reſiſtibilis* (a) *Vbi Dei verbum ſpernitur, aut homo in audiendo verbo remiſſus eſt & ſecurè negligens* (b) *Cum ad audienda & legenda myſteria divina acceditur cum præjudicio.* (c) *Gratia Dei reſiſtitur Zelo inconſiderato.* (d) *Nimiâ rerum mundanarum curâ.* (e) *Nimio ſui amore, ac inſatiabili gloriæ hujus mundi cupiditate* (f) *Perfidiâ Diaboli, pag.* 57. *ſeqq.* Refelluntur Calviniani, objicientes, vel *Hominum impotentiam adverſus Deum*, vel *Dei omnipotentiam in actibus Salvificis*, vel *actionum humanarum à Deo dependentiam, pag.* 61. *ſeq.* Exceptionibus occurritur Adverſariorum, *pag.* 63. *ſeqq.* (ε) Gratia Dei eſt amisſibilis, hac in re qvatuor obſervanda (1) Gratiæ Incrementum, & qvibus ex cauſis, *pag.* 66. *ſeq.* Refelluntur merita Pontificiorum, *pag.* 68. *ſeqq.* Rejicitur donum perſeverantiæ Calvinianorum, *pag.* 71. *ſeqq.* Refutatur Arminianorum connexio *Luminis Naturæ* cum *Lumine Gratiæ, pag.* 74. *ſeqq.* (2) Gratiæ Dei decrementum, an & qvale ſit? *pag.* 78. *ſeq.*

*ſeq.* Calviniani refelluntur *pag.* 80. *ſeq.* (3) Gratiæ Dei amiſſibilitas ulterius probatur, *pag.* 85. De imputatione peccatorum novâ, *pag.* 86. Errores; Pontificiorum & Calvinianorum taxantur *pag.* 87. Gratiæ Dei reparabilitas (4) defenditur à *parte Dei* contra Photinianos, *pag.* 88. *ſeq.* à *parte Hominum*, contra Pontificiorum merita, *pag.* 90. *ſeq.* Gratia Dei qvomodo continuetur; ubi rejicitur ſententia Pontificiorum, *pag.* 92. *ſeq. Cap. qvarti hæc ſunt contenta*: qvid tenendum, *qvâ Gratiæ Dei diffidentes pag.* 94. *qvâ Gratiæ Dei amplitudine abutentes, pag.* 95. ſeq. *qvâ Gratiæ Dei diverſam diſpenſationem, pag.* 97. ſeq, *qvâ Crucem & afflictiones temporales, pag.* 99. ſeqq. *qvâ reparabilitatem Gratiæ Dei poſt peccatum in SpiritumSanctum, pag.* 104. ſeqq. qvare *irreparabilis* ſit *Gratia Dei* poſt peccatum in Spiritum Sanctum, *pag.* 109. ſeqq.

Hactenus Doctrina *de Gratia Dei*, ſeqvitur *de Merito Chriſti*, qvæ tribus comprehenditur articulis, *primus* disqvirit, *Meritum Chriſti an ſit? ſecundus*, ejus *Natura & Ratio qvæ ſit? tertius, qvarum ſit partium?* Continet *hæc Doctrina* ſeqventia: Gratiæ Dei fundamentum eſt Meritum Chriſti, *pag.* 113. qvod impugnant Photiniani *pag.* 114. Satisfactio Chriſti an in ſacris literis habeat fundamentum? affirmatur. *pag.* 115. Id negant Photiniani *qvâ Chriſti oblationem, pag.* 116. *qvâ peccati expiationem & Noſtri Redemtionem, pag.* 117. ſeq. An Satisfactio Chriſti ſacris literis repugnet? affirmant Photiniani, *pag.* 119. *ſeq.* Refelluntur Sociniani, ajentes, Deum velle hominibus remittere peccata citra Satisfactionem, *pag.* 121. ſeq. In actibus Chriſti *Exinanitionis* & *Exaltationis* eſſe vimMeritoriam, contra Photinianos ex Scripturâ adſtruitur, *pag.* 122. *ſeqq.* Refutantur Photinianorum Objectiones *pag.* 124. ſeqq. *Meritum Chriſti* qvid ſignificet? *pag.* 129. qvomodo definiatur, ſc. *Meritum Chriſti eſt actio Filii Dei* θεανθρώπου, *qvâ ipſe promtiſſimâ & humillimâ obedientiâ, activâ & paſſivâ, Legi Dei per peccatum violatæ, vice noſtri omnium ſufficientiſſime ſolus ſatisfaciens, & omnipotenti ſuâ virtute Diabolum, Mortem, atqve Infernum devincens ac triumphans, æternam toti generi humano redemtionem invenit & Gratiam Dei ac ſalutem æternam verè ad finem usqve credentibus recuperavit. pag.* 130. *ſeq.* Meriti Chriſti proprieta-

tes (1) Efficacia infinita. *pag.* 132. Errores circa hoc Photinianorum, Calvinianorum, Pontificiorum refutantur, *pag.* 133. *ſeqq.* (2) Sufficientia univerſalis, *pag.* 136. Errores Pontificiorum rejiciuntur, *pag.* 137. Meriti Chriſti partes, obedientia & victoria, *pag.* 138. Refutantur Objectiones de Obedientia Chriſti, *pag.* 139. *ſeq.* item de Intercesſione Chriſti, *pag.* 142. *ſeq.* Chriſti obedientia eſt *Servilis & Triumphalis*; *Servilis* verò *activa & pasſiva*, *pag.* 143. *ſeq.* Error Piſcatoris refutatur, *pag.* 145. Victoria Chriſti qvid ſit; ejusqve Fructus & Triumphus qvotuplex, *pag.* 146. *ſeqq.* Partes Meriti Chriſti alienæ ac inſufficientes indicantur. *pag.* 150. De annunciatione viæ Salutis *pag.* 151. *ſeq.* de viæ ſalutis confirmatione *pag:* 153. de Vitæ Chriſti Exemplo, *pag.* 154. de viæ ſalutis oſtenſione per Reſurrectionem Chriſti, *pag.* 154. *ſeqq.* de Datione vitæ æternæ, *pag.* 156. *ſeq.* de Chriſti Mediatione internuncii, *pag.* 157. *ſeq.* de Meriti Chriſti applicatione, *pag.* 159. *ſeq.*

*M. Andreas B.* Haſſelqwiſt/ Calm. S. S. Theol. Prof. Extraordinarius, & Paſtor in Pargas/ante paucos annos publicæ luci expoſuit Scriptum qvoddam hac Inſcriptione: *Lumen de Lumine ſparſum*, Pſalm. 36. verſ. 10. ſeu *Vera & γνησίως Chriſtiana Religio:* qvam qvoad ejusdem *Eſſentiam*, *Proprietates*, *Summam* atqve *Oppoſita*, ſub Decade Disputationum Theologicarum in Regia Acad. Aboënſi publicè habitarum, ex Lumine Lucido Verbo Dei, orthodoxorum Theologorum, ac Patrum Scriptis, qvibus, Heterodoxorum contrariis opinionibus ſemper obſervatis, evictum, unicè ſalvificam eſſe *Lutheranam*; novâ artificioſâ methodo illuſtravit *M. Andreas B.* Haſſelqwiſt/ Calm. Impr. Aboæ apud *Jo. Laurentii VVallium.* (15. pl. in 4.)

Hanc materiam ita tractat Auctor, ut primùm ipſam *Religionis naturam*, qvoad *ipſum eſſentiale conſtituens*, exponat, tradens ſcilicet §. 1. Ejus Definitionem; §. 2. & 3. Cauſas Efficientem principalem, Inſtrumentalem & Miniſterialem; §. 4. Materialem; §. 5. Formalem, & §. 6. Finalem. Deinde *Religionis extraeſſentiale conſeqvens*, per 13. affectiones explanatum, conſiderat. & qvidem §. 8. Religionis

nis veræ & γνησίως Chriſtianæ divinam *ſublimitatem*, undè ſeqventia fluunt πορίσματα (a) *Totius Religionis Chriſtianæ, ob divinam ſublimitatem, μόνον κ̣ ἰκανὸν, unicum proprium, adæqvatum & ordinarium cognoſcendi principium eſt divina revelatio Sacris literis comprehenſa, Deut. 4. v. 2. Joſ.23. v. 6.* (b) *Romani Pontificis ficta infallibilitas, decreta & definitiones, non ſunt Religionis γνησίως Chriſtianæ principium.* (c) *Nec ratio humana ſeu naturalis, Religionis γνησίως Chriſtianæ principium eſt.* (d) *Nec etiam conſenſus primitivæ Eccleſiæ, aut Patrum qvinque priorum poſt Chriſtum ſæculorum, principium Chriſtianæ Religionis eſt, ſive primarium, ſive ſecundarium, nec divinam, ſed tantùm humanam & probabilem fidem gignit.* (e) *Nec deniqve peculiares Enthuſiasmi, privatæ revelationes, viſiones, apparitiones, interna alloqvia angelica, ſunt principium Religionis γνησίως Chriſtianæ.* §. 9. conſiderationi ſubjicit Religionis *Unitatem*, ex qvâ πορίσματα ſeqventia deducit (α) *Una eademqve eſt, in Veteri ac Novo Teſtamento, qvoad ſubſtantiam, Religio.* (β) *Cum una ſit Religio, qvâ itur ad ſalutem, ergò non qvivis ſalvatur in ſua Religione.* §. 10. expendit Religionis *Veritatem* & πορίσματα indè fluentia, qvorum (1) *Qvi tenet Lutheri Catecheſin, non tumet præconceptis opinionibus, ſed ſtudet cognitioni veritatis, ſecundum pietatem, Tit. 1. v. 1. Cum in ſeſe pietas virtutes continet omnes.* (2) *Veritas Religionis γνησίως Chriſtianæ cum ſit indiviſibilis, ergò incongruè plures ejus veritates ſtatuuntur.* §. 11. Religionis *Sanctitatem* ſiſtit cum hoc Conſectario: *Religio Lutherana non eſt damnanda ob delicta aliqvorum, ceu non ſancta.* §. 12. Religionis ſingularem *perfectionem* probat, & πόρισμα hoc addit: *Deo ſummè perfecto nulla adſcribi poteſt, nec debet imperfectio aut defectus.* §. 13. *Antiqvitatem* Religionis adſtruit, nec non ſeqvens πόρισμα: *Religio Lutherana eſt antiqviſſima, ergò veriſſima.* §. 14. Religionis *neceſſitatem* & hoc πόρισμα proponit: *Religionis Chriſtianæ cura maximè eſt omnibus neceſſaria.* §. 15. *Utilitatem* Religionis confirmat, addito Conſectario: *Religio Chriſtiana, ob inſignem utilitatem, maximi eſt æſtimanda.* §. 16. Religionis *invinci-*

*tibilitatem* evincit, & *πόρισμα* ſubjungit: *Exigente ſic veritatis neceſſitate, religio, qvam profitemur, & corde & ore eſt confitenda.* §. 17. expendit Religionis *perpetuitatem*, cum hoc poriſmate: *Religio Catholica reſpicit omnium & ſingulorum hominum informationem ad ſalutem.* §. 18. *Spontaneitatem* Religionis exponit, unde oritur hoc *πόρισμα*: *Nemo ad fidem & Religionem Chriſtianam invitus eſt cogendus.* §. 19. *Sortis varietatem* Religionis ob oculos ponit, cui ſeqvens *πόρισμα* ſubjicit: *augetur Religio, qvanto magis premitur*, Cant. 2. v. 1. §. 20. Religionis veræ & *γνησίως* Chriſtianæ *efficacitatem* cum inde orto Conſectario conſiderat, qvod ita ſonat: *Hæc intrinſeca, divina, ſufficiens, indifferensqve ad omnes homines, vis & efficacia etiam ante & extra uſum legitimum, ex Dei ordinatione, immediatè, verè ac propriè competit Religioni.* His 13. affectionibus hactenus pertractatis poſtea ſubjicit *Religionis Summam*, qvæ continetur in Symbolis Chriſtianam fidem complectentibus, de qvibus, tùm *œcumenicis*, tum *particularibus*, agit §. 21. 22. 23. 24. & 25. Ex *illis* hæc deducit Conſectaria (α) *Symbolum Apoſtolicum, licet contineat Apoſtolica dogmata, non tamen eſt compoſitum nec conſcriptum ab Apoſtolis* (β) *Symbolum Apoſtolicum non continet omnes articulos fidei; nec eſt nota diſcretiva Hæreticorum ab Orthodoxis*; *ex his* Symbolis *particularibus autem ſeqventia*, (1) *Auguſtana Confeſſio maximi pretii ac dignitatis eſt cenſenda atqve æſtimanda.* (2) *B. Martinus Lutherus, opere Reformationis ingentia beneficia, ſempiternâ memoriâ, gratiâqve immortali digna, exhibuit Eccleſiæ Dei.* (3) *Non veremur nec erubeſcimus à Divo Luthero nominari Lutherani.* Tandem progreditur ad Religionis *Oppoſita*, qvæ ſunt *ἀθρησκεία irreligioſitas*, & *falſæ Religiones*, tùm *extra*, tùm *intra* Eccleſiam.

*Ericus Gyllenbring*, Holmienſis, in memoriam Victoriæ, d. 20. Novembr. anni præteriti, in Ruſſos obtentæ, Orationem habuit.

Diſputatio Synodalis de *Anti-Chriſto Magno* habita eſt diebus 6. & 7. Septembr. defendente eam *M. Elia Woiwalenio*, Præpoſito, nec non Paſtore in Saxmäki/ Reſpondentibus *Hemmingio Ollo-*

*Ollonio*, Paſt. in Saʒalax/ & *Simone Sadenio*, Sacellano Eccleſiæ Finnicæ Aboënſis.

Disputationum nonnullarum ſub Præſidio *M. David Lund*, S. S. Theologiæ Profeſſoris Ordinarii, & Eccleſ. Svec. Aboënſis, ut & Numenſis Paſtoris, habitarum ſupra p. 302. ſeqq. mentionem injecimus. Jam ipſius hujus *Præſidis* Diſſertationem Theologicam, pro Licentiâ, aſſumendi in illa Facultate Axioma Doctoris, die 19. Junii c. a. publicæ ventilationi, Reſpondente *Daniel D. Juslenio*, Bor. Finl. ſubjectam, & paucis modò abhinc diebus ad nos transmiſſam, recenſere juvat. Agit autem illa de Σωτηριοϐȣλία, ſeu, *Conſilio Dei circa ſalutem noſtram, qvod evidens eſt in Decreto Paſſionis Jeſu*, ut illud patefactum exſtat oraculis Act. II, 23. & IV, 28. Disputationis hujus (α) παρασκευὴ ἐισαγωγικὴ ſiſtit breviter Conſilium Dei in genere de conſervando toto humano genere per mortem Filii. (β) Ἐξέτασις φιλολογικὴ Verborum ſenſum genuinum ob oculos ponit. (γ) Ἀνάλυσις τοπικὴ expoſitionem rerum accuratam & ſolidam ſuppeditat. (δ) Κρίσις διανοητικὴ ϗ ἐλεγκτικὴ proponit Conſeqventias in textu latentes, qvarum (1) *Oportuit Chriſtum pati ex definito Dei conſilio.* (2) *Paſſio Chriſti, ut eſt à Judæis Salvatori innocenti inflicta, non eſt arcesſenda ex definito Dei conſilio ac voluntate, ſed Dei hominumqve adverſario, Diabolo, ejusqve ſuggeſtione, eſtqve ſceleſtisſimum flagitium.* (3) *Placuit optimo maximo Deo, ac cœleſti Patri, hoc & non aliò modò, per acerbam nempe Filii Paſſionem & Mortem liberationis humanæ promovere & perficere negotium.* (13½. plag. in 4.)

BERGIS.

*M. Nicolaus Smed*, S. Theol. Lector Bergenſis, & Paſtor Phanenſis, habitam in funere Auguſtisſimi Regis CHRISTIANI V. Glor. mem. concionem vernaculam, prélo paratam habet, propediem excudendam.

Die 10. Octobris Per-Illuſtrem & Generoſisſimum Dn. *Chriſtianum Stokfleth*, S. R. M. Dan. & Norvag. Conſiliarium Status, Juſtitiæ & Cancellariæ, Supremum Diœceſeos Bergenſis Præfectum Regium, in Supremo Juſtitiæ Tribunali Norvagiæ (Ober Hoff-Rettſ) Juſtitiarium; virum de omnibus officiis optimè meritum, ſolidæ eruditionis literarumqve inprimis elegantiorum Fautorem magnum, cum Scholam Bergenſem primùm inviſeret, geminâ allocutione gratulatoriâ metricâ exceperunt *M. Severinus Lintrupius*, Def. Prof. Havn. & Sch. Berg. Rector, & M. *Rudolphus Burennæus*, Con-Rector, ille qvidem Heroico; hic autem Carmine Elegiaco.

*Eodem die* in locum *Petri Frider. Kragelundii*, Cimbriâ-Dani, Phil. Baccal. (cujus præter disp. P. *Poulſonii* de *Cultu Molochi*, & *Dav. Fogii* de *fluxu & refluxu maris*, reſpondendo defenſas, extant *Heptas theſium* ex *Hiſtoriá Philoſ. Pythagoricæ*, & *Pentas dubiorum* ex eadem 1696. ſub præſidio *M. En. Dalhuuſii* ventilatæ, disſertat. hiſtorico-philologica de *Scytala* apud Corn. Nepotem, 1697. & diſſert. hiſtorica de defectu Oraculorum Ethnicorum circa adventum Christi, 1698. memorata in N. L. 1699. p. 21) qvi defuncto pridem *Salomoni Theonymo*, 4. Ordinis Collegæ ſurrogatus, ſpartam hanc vix ſuſceptam ſponte depoſuit, vitam Academicam Scholaſticæ prælaturus, *Claudium Urſinum*, Nordlandum, dicti ordinis 4. Progymnaſtam ſolenniter introduxit Rector, *M. Lintrupius*, præmiſsâ Oratione, de *Sæculo XVII. nuper elapſo, Hæreſium, Schismatum, Sectarumqve feraciſſimo, graviſſimis* præſertim in *Eccleſiâ Romanenſi controverſiis, qva Moliniſtarum & Prædeterminantiſtarum ſ. Dominicanorum* de *auxiliis gratiæ, Janſeniſtarum & Jeſuitarum* &c. *Arnaldiſtarum* de *æqvalitate Petri & Pauli, Jeſuitarum de Theologiâ Morali, &c. Dominicanorum & Franciscanorum* de *conceptione* Θεοτόκȣ *immaculatâ*, *Illuminatorum*, *Qvietiſtarum*, *Archiepiscopi Cameracenſis* &c. controverſias, *Reipublicæ* item *Venetæ* cum *Paulo V. Aulæqve* & *Eccleſiæ Gallicanæ* cum curiâ Papali concerta-

tationes ex Hiſtoriâ Sæculi nuperi Eccleſiaſticâ diſtinctè recenſuit. Novellus autem Collega de *Scholis Ebræorum, Græcorum, Romanorum & Chriſtianorum veterum* diſſeruit.

## CHISTIANSANDIAE

*M. Michael Leigh,* hactenus Rector Scholæ *Stavangrienſis,* jam verò S. Theologiæ Lector *Chriſtianſandenſis*, poſt varia ingenii monumenta hactenus edita (qvorum catalogus ad calcem *Commentarii in Obadiam* exhibetur) *Norvagiæ Literatæ* conſpectum meditatur, eruditorum, qvi publica in Eccleſiis Scholisqve Norvagicicis officia, inde à reformatione ad noſtra usqve tempora ornarunt, biographiam, ad eum ferè modum, qvô Academiam Havnienſem repræſentavit *Ill. Vindingius*, exhibiturum.

## HAFNIAE

Die 7. Octobr. Præſide *Olao Theſtrupio*, (cujus menſe Januario c. a. p. 21. mentionem fecimus) Reſpondens *Theophilus Ruchradt* in Collegio Mediceo Diſputationem *primam de Hædo non coqvendo in lacte matris,* ventilavit. (2½. plag. in 4.)

Diem 11. Octobr. qvi Auguſtiſſimo Daniæ Regi, FRIDERICO IV. ante 30. annos fuit natalis, *D. Caſpar Bartholinus*, Vniverſitatis Rector, Conſiliarius Juſtitiæ, in Supremo Tribunali, Cancellariâ Conſiſtorio Aſſeſſor, Medic. & Phyſices Profeſſor Regius, Oratione publicè habitâ, celebravit.

Die 21. Octobr. Præſes *M. Laurentius Petrus Lundius* Diſſertationem Hiſtoricam *Græcorum Imperatorum*, & qvidem *Chriſtianorum cum Symbolis*, habuit, in Auditorio inferiori, Reſpondente *Laurentio Jani Baggæo.* (4. plag. in 4.)

Die 31. Octobr. *Georgius Fridericus Francus de Frankenau*, Med. D. (*Georgii Franci* Conſiliarii & Archiatri Regii filius),

qvi d. 5. Aug. c. a. Medicinæ & Philoſophiæ Profeſſor fuit conſtitutus, de *Reformatione Lutheri Orationem Jubilæam* habuit, qvâ beneficia per Megalandrum iſtum Eccleſiæ præſtita, ſeorſum anno primo hujus Sæculi decimi & octavi παραλλήλως exhibita in memoriam revocavit, eandem, ſi nihil impedimenti intervenerit, cum Orbe erudito communicaturus.

Sub finem hujus menſis Octobris *M. Chriſtian Mues*, hactenus Paſtor primarius *Chriſtianenſis* ad officium *Rypenſis* Epiſcopi ordinabatur.

*D. Caſpar Bartholinus*, paullò antè nobis laudatus edidit *Specimen Hiſtoriæ Anatomicæ partium corporis humani.* Typis Viduæ Bockenhofers, cum fig. æn. (25. pl. in 4.)

Impenſis *Joh. Melchior Lieben* editione octavâ prodiit B. D. *Joh. Laſſenii* Bibliſcher Weyrauch; & editione ſecundâ *Ejusdem Auctoris* Heiliger Perlen-Schatz/ cui novus Index, nec non Introductio Dominicalis acceſſerunt. (in 4.)

Lucem publicam etiam aſpexit Tractatus qvidam lingvâ Gallicâ, cui titulus: *Le parfait Secretaire François, par P. Canel, Maitre de langue de ſon A. S. le Prince Guillaume de Dannemarc.* (14. pl. in 12.)

*Petrus Brinch* Collegii Medicéi Inſpector, *majoris Operis*, jam ante biennium confecti, *partem aliqvam* publicavit, cujus titulus ita habet: *Chronologiæ & Hiſtoriæ Fl. Joſephi Examen*, qvo *I. Univerſa V. T. Chronologia*, à Creatione Mundi ad usqve mortem *Herodis Magni*, qvalis in Scriptis *Joſephi* impresſis hodie exſtat, proponitur, &, facta numerorum omnium in *Joſepho* huc pertinentium, nec non Verſionis Bibliorum S. Græcæ & *Iſ. Voſſii* Chronologiæ collatione, examinatur, & qvid veri, qvid falſi habeat, declaratur.

*II. Ex Antiqvitatibus Judaicis* notantur & examinantur ea, qvæ Scriptoribus Sacris V. T. parum conſentanea ſunt, aut ſaltem

illis

illis non memorata. Hafniæ, Impenſis *Joh. Juſti Erythropili*, Bibliopolæ: Typis *Joh. Jacobi Bornheinrich*, 1701. (7. plag. in 4.)

Præfatione ad Lectorem de inſtituto & uſu hujus Scripti præmiſsâ, Examinis *Membrum prim* in *Cap. I.* monſtrat (α) Qvalis hodiè exſtet in *Joſepho* Periodi antediluvianæ Chronologia. (β) Qvomodo reformetur à *Voſſio*, & Verſioni Bibliorum Græcæ conformetur. (γ) Verſionem Græcam rectè ita à *Voſſio* corrigi ut anni conficiantur 2256. à Creatione ad Diluvium numerandi. (δ) Iſtam tamen Chronologiam nunqvam in Codice S. Hebræo exſtitiſſe nec pro veriori acceptandam. (ε) A qvibus & qvare adaucti ſint olim numeri Geneſ. V. & XI. in Verſione Græcâ (ζ) Cur hîc *Joſephus* Verſionem Græcam ſecutus ſit. In *Cap. II.* docet; (a) Annorum à Diluvio ad mortem *Tharæ* transactorum qvalis in *Joſepho* exiſtat computatio, qvalis in Verſione Græcâ, qvalemqve ex utrâqve conficiat *Voſſius* tertiam. (b) Qvid de hâc & de illâ & de iſtâ computatione, nec non de Cainane Verſionis Græcæ fictitio judicandum ſit. In *Cap. III.* demonſtrat (1) Spatium temporis ab adventu *Abrahami* in Palæſtinam ad egreſſum Iſraelitarum ex Ægypto rectè definiviſſe *Joſephum*. (2) Attamen eraſſe alibi in ſpatio Servitutis Iſraëlitarum Ægyptiacæ determinando, nec poſſe ex Geneſ. XV. 13. aut ex Exod. XII, 40. ſatis excuſari. In *Cap. IV.* oſtendit (1) *Joſephum* in ſpatio temporis ab egreſſu Ebræorum ex Ægypto ad fundationem Templi Salomonis definiendo tàm à ſe ipſo, qvàm à Scriptoribus ſacris diſcrepare plurimum, annosqve hujus Periodi ipſum propter neglectum ſervitutum & Judicum ſynchroniſmum nec ſummatim nec particulatim rectè computaſſe (2) Qvales fuerint Ebræorum Judices, qvalesqve temporibus Judicum ſervitutes, ex libro Judicum demonſtrat. (3) Rectam annorum hujus Periodi collectionem & Summam ſubjicit. In *Cap. V.* Spatium temporis (α) à fundatione Templi Salomonis ad ejusdem interitum elapſi ex Codice S. Hebræo definit. (β) Proponit & examinat Chronologiam ejusdem Periodi in *Joſepho*, & inſtitutâ numerorum huc pertinentium collatione pravitatem & diſcordiam ingentem oſtendit, ſimulqve hujus Examinis conſilium indicat. In *Cap. VI.* (a) Partitionem hujus

Periodi inſtituit, (b)docet ab excidio Vrbis & Templi à *Chaldæis* illato ad *Aſſamonæorum* Principatus primordia annos 421. numerandos eſſe. (c) In annis ſucceſſorum *Nebucadnezaris* numerandis turpe notat in *Joſepho* erratum,(d)monſtrat,ad Judæorum ex Babylonia in patriam, permiſſu *Cyri*,reditum,nec ab excidio Vrbis,ut fecit *Joſephus*, nec à deportatione *Jechoniæ*, ut alii, annos 70. numerari oportere. Ex Literis Sacris nec hoc, nec illud probari poſſe. *Danielem* Cap. I. v. 1. non de priori, ſed de poſteriori *Nebucadnezaris* in *Joachimum* expeditione loqvi, & illam priorem rectè à *Joſepho* ad annum 8. Regis *Joachimi* referri, malè ab aliis ad annum 4. (e) A reditu Judæorum ex Babyloniâ ſub *Cyro* ad mortem *Menelai* Pontificis annos 374. tranſiiſſe, non 414. ut ſcribit *Joſephus*. (f) Principatui *Aſſamonæorum* annos adſcribi oportere 130, non 126. tantum, qvod fecit *Joſephus*. (g) Qvâ ratione anni iſti 130. inter Principes Aſſamonæos diſtribuendi ſint,& qvid hîc in *Joſepho* veri, qvid pravi ſit. (h) In tempore regnantis Herodis definiendo biennium prætermiſiſſe Joſephum. Regnaſſe *Herodem* poſt acceptum à Romanis Regnum annos integros 39, poſt captum *Antigonum* 36. exſpiraſſe anno,aut ad ſummum ſesqvianno poſt natalem Chriſti. *Membrum poſterius* hujus *Examinis*, in *Cap. I.* notat errata qvædam *Joſephi* de hominum priorum conditione,& lapſu,de *Sacrificiis Caini & Abelis*, nec non de filiis Dei. Geneſ. VI. 2. 4. In *Cap. II.* ex *Joſepho* qvædam de *Nimrodo*, de *Thara*, de *Abrahamo*, *Moſi* non memorata, nec non de *Canaane* aliqvid minus verum annotat. In *Cap. III.* notat in Joſepho nonnulla qvæ habet de cauſa profectionis *Abrahami* in Ægyptum, deqve morâ & doctrinâ ejus ibidem. Porro de *Agara*, Ancilla Saræ, de Sichemitis à *Simeone* & Levi occiſis, de nomine Filii poſterioris Rachelis, de officio Potipharis, & ejus uxore; In *Cap. IV.* non pauca de Moſe, Joſepho memorata, qvæ nec à Moſe tradita ſunt,nec iis,qvæ Moſes de ſe ſcribit,conſentanea. In *Cap. V.* (α) tepidum Joſephi de Miraculis qvibusdam Divinis judicium. (β) Nugas de aqvis amaris & de Mannâ, (γ) Silentium de Ebræorum Idololatriâ in deſerto. (δ) In recenſu præceptorum Decalogi errorem & ſuperſtitionem; In *Cap. VI.* in Joſepho (1) de

de Tabernaculo ſacro & rebus eò pertinentibus profanum judicium, (2) ambitioſam φιλαυτίαν Moſi adſcriptam, (3) Vocabulorum qvorundam Ebraicorum ineptam interpretationem, (4) mendacium in Idolorum honorem & Romanorum gratiam, (5) aliqvid Sauli, aliqvid Davidi perperam adſcriptum; In *Cap. VII*, notat in *Joſepho* (a) de nomine *Pharaonis* apud Ægyptios aſſertionem parum firmam, (b) impiam de miraculo *Jonæ* dubitationem, (c) fabuloſa qvædam de Rege *Vſiâ*, (d) in hiſtoriâ *Danielis* referendâ erratum Chronologicum; In *Cap. VIII*, animadvertit in Joſepho (a) Interdictum *Artaxerxis* perperam *Cambyſi* adſcriptum, (b) de voto Darii, de Sorobabelis ad Regem Darium profectione & inde ſecutâ Judæorum in patriam reductione fabulas, (c) ad tempora Darii relata qvædam, qvæ Cyro regnante facta ſunt; In *Cap. IX.* deniqve annotat in Joſepho (1) hiſtoriam repetitæ ſub Dario ædificationis Templi malè alicubi ordinatam; (2) conſummationem Templi ad annum 9. Darii relatam; (3) Eſram & Nehemiam a Xerxe miſſos dici; (4) indicat laboris hujus in erratis Joſephi, mendisqve recognoſcendis ſcopum, nec non Auctoris de ſcriptis Joſephi judicium.

*D. Bartoldus Botſaccus*, publicæ luci Scriptum qvoddam expóſuit ſeqventi titulo: *Medulla Theologiæ Moralis, ſeu Tractatus Theologicus de Irreprehenſibilitate præprimis fidelium, per diſtinctas Theſes, earumqve ulteriores explicationes & confirmationes, cum triplici Indice, Scripturæ Locorum, rerum & theſium*, Opera & Studio *Bartoldi Botſacci*, SS. Theologiæ Doctoris, ejusdemqve Profeſſoris Regii in Vniverſitate Hafnienſi, & Eccleſiæ Teutonicæ Paſtoris. Francofurti & Lipſiæ, Impenſis *Viduæ* & Heredum B. *Caſparis Gruberi*, Bibliopolæ Brunſvicenſis, anno 1701. (22. plag. in 8.)

In præfatione ad Lectorem, Scripti hujus obſtetricantem Auctor exponit cauſam, qvam Studioſum qvendam, operam ſuam ad Diſſertationem qvandam conſcribendam, expoſcentem, ſed dum de hâc materiâ primæ ducerentur lineæ, alioſum ad Paſtoris mu-

nus obeundum abeuntem fuiſſe ait. Alium poſtea, vel plures etiam, qvi diviſum inter ſe tractatum publicæ luci darent, ſe expectaſſe meminit. Aſt & hoc fuiſſe in vanum; plures enim ibi ex Studioſorum ſubſelliis numerari poſſe in Diſputationibus Philoſophicis & Philologicis Præſides, qvàm in Theologicis ſub Præſidio Profeſſoris Reſpondentes. Proindè abſqve Diſputatione lectioni ſe expoſuiſſe has de Irreprehenſibilitate Theſes, qvas Lectoris oculis, bonâ tamen ipſius gratiâ, hîc ſubjiciemus: §. I. *Danturpii irreprehenſibiles.* §. II. *Imò omnibus, qvi piorum nomen tueri volunt, id ſeriò agendum, ut tales ſemper reperiantur.* §. III. *Iis præſertim, qvi aliis bono exemplo prælucere tenentur.* §. IV. *Et qvidem eò majori niſu, qvo pluribus & fortioribus impedimentis ſe expoſitos norunt.* §. V. *Intelligitur autem irreprehenſibilitas, non qvæ imaginaria, ſed, qvæ vera.* §. IV. *Non affectata, ſed genuina.* §. VII. *Non ab aliis facta & picta, ſed rei congrua.* §. VIII. *Non merè civilis, ſed Theologica.* §. IX. *Non qvæ per eſſentiam, ſed qvæ per participationem.* §. X. *Eaque non angelica, ſed humana.* §. XI. *Nec, quæ in Deo-homine, ſed quæ in mero homine.* §. XII. *Non ſupra lapſaria, ſed infra lapſaria.* §. XIII. *Non, quæ in ſtatu deſtitutionis, ſed reſtitutionis.* §. XIV. *Non quæ certæ tantum cauſæ, ſed quæ perſonæ.* §. XV. *Non, quæ comparate, ſed quæ ſimpliciter talis.* §. XVI. *Non, quæ erit alterius vitæ, ſed quæ hujus.* §. XVII. *Non tam illa, quæ coram hominibus, quam quæ coram Deo.* §. XVIII. *Hæc eſt cùm appropriata ſivè imputata Chriſti, tùm inchoata propria irreprehenſibilitas.* §. XIX. *Vtraque quidem conjunctiſſima, ſed & diſtinctiſſima.* Cum autem inter hanc & iſtam diſcrimen vigeat non unum, id theſibus aliqvot diſtinctius explicatur, unde §. XX (1) *Altera non inhæret nobis, ſed tantum imputatur; altera verò inhæret.* §. XXI. (2) *Altera eadem eſt in omnibus fidelibus, altera in ſingulis eſt diverſa.* §. XXII. (3) *Altera ordine*

*dine & naturâ præcedit; altera ſequitur.* §. XXIII. (4) *Altera per ſe Deo placet, altera non niſi per aliud.* §. XXIV. (5) *Altera in hâc & in futurâ vitâ ſemper eadem; altera minor in hâc, & major in futurâ vitâ.* §. XXV. (6) *Altera eſt ſuperior eâ, quam habuimus in Adamo; altera verò inferior.* §. XXVI (7) *Altera ne qvidem locum habuit in ſtatu ante lapſum; altera habuit, ſed plenior.* §. XXVII. (8) *Altera ſibi non ſolùm ſufficit, ſed & alterius adhærentibus infirmitatibus tegendis inſervit; altera ne ſibi qvidem ſufficit, ne dum aliis.* §. XXVIII. (9) *Altera ne quidem jus reprehendendi Deo relinqvit; altera verò actum tantum tollit.* §. XXIX. (10) *Altera ſumma eſt per nullos gradus intendenda; altera ſuis gradibus conſtat jam intenſior, jam remiſſior.* §. XXX. *Sed iſti gradus ab ipsâ eſſentiâ propriæ irreprehenſibilitatis probè ſunt diſcernendi.* §. XXXI. *Nunquam autem à quoquam mero homine in hac vitâ ille attingitur gradus, qui legis rigori exactè ſatisfaciat.* §. XXXII. (11) *Altera legem perfectè implet; altera non.* §. XXXIII. *Proindè irreprehenſibilitas propria non infert abſentiam omnis omninò peccati, utut repugnet hypocriſi.* §. XXXIV. *Sit itaque licet quæpiam, eſt tamen imperfecta perfectio.* §. XXXV. (12) *Altera ad juſtificationem ſpectat; altera ad ſanctificationem ſive renovationem.* §. XXXVI. *Vtriusqve origo eſt ſupernaturalis.* §. XXXVII. *Arceſſenda ex gratiâ Dei in merito Chriſti, per operationem Spiritus Sancti.* §. XXXVIII. *Mediante Verbo & Sacramentis.* §. XXXIX. *Adminiculante fide hujusque oratione & ſtudio.* §. XL. *Norma ejus eſt Verbum Dei.* §. XLI. *Subjectum eſt homo renatus.* §. XLII. *Affectiones ejus ſunt ex parte, quæ & juſtificationis; ex parte, quæ ſanctificationis.* §. XLIII. *Connexa ejus ſunt plura, in quibus eſt (1) Dei beneplacitum, (2) inhabitatio Dei*

*gratia;* (3) *bona conſcientia.* §. XLIV. *Conſequens eſt Cœli beatitudo.*

## KILONII

### *Joh. Ludov. Hannemanni, D. & P. P. de Præſagiis mortis Meletema.*

Si excipiam Bibliorum Sacrorum lectionem, nulla lectio me magis oblectat, qvam illarum hiſtoriarum, qvæ occupantur circa recenſionem præſagiorum mortis, ac ultimorum verborum moribundorum hominum, qvibus non raro qvid divinæ providentiæ ineſt. Illa autem præſagia mortis, vel ſunt divina, vel diabolica, vel naturalia, ita & non raro moribundorum verba ultima vaticinantia vel de futuro Eccleſiæ aut Reipublicæ ſtatu, in qvibus colligendis, ut & præſagiis juſto ſegniores ſumus, qvorum tamen recenſu non abſtinuit Scripturæ Codex. Verum ut nunc duntaxat de *præſagiis mortis* dicamus, qvorum etiam aliqva ſilva à qvibusdam Auctoribus, qvi omnium manibus teruntur, collecta eſt, idqve genus exempla plura magno pietatis timorisqve Dei commodo poſſent colligi. *Præſagia mortis divina* vel per intrinſecas ſuggeſtiones, vel per ſomnia, vel etiam apparitiones &c. fiunt. Et hæc præſagia nunqvam ſunt terrifica, nec tumultuantia, animum inqvietantia, ſed exhilarantia, inqve his, & qvibusdam aliis à Diabolicis differunt. Id genus unum inſigne exemplum dabo, qvod ex ore Beati noſtri *Morhofii* habeo. Qvidam Doctor Medicinæ *Vpſaliæ* in Svediâ letali morbo decumbens, qvo & defunctus, paucis diebus anteqvam debitum naturæ ſolveret, in ſomno vidit hæc verba aureis characteribus uncialibus in chartaRegia deſcripta: *O portus portuum, recipe me in tuum portum.* Non diu poſt anima corporis carcere exceſſit. (2) *Diabolica* ſunt intempeſtivi clamores, nocturnæ vociferationes, ululantium horriſonæ voces, canum latratus, aliarumqve rerum tumultuoſi Stridores. Qvò & referri debet illa pulſatio, qvam *Rabundus* ante obitum Col-

lega-

legæ alicujus Reverendi Capituli,ſi alias verum eſt, qvod de eo fama fert; an autem ante Obitum *Joachimi Rantzovii*, Reverendi Capituli Decani, nec non *Ignatii à Bertram*, Canonici Senioris ſuum tumultum non ediderit *Rabundus*, lubenter mecum permulti ſcire deſiderant? hac de re me & alios informare velint, obnixè rogo. Vnam hiſtoriam notatu dignam referam. Qvidam magni nominis & inclutæ famæ Superintendens habebat filiam gravi & periculoſo morbo decumbentem. Qvid fit? Diabolus more ſolito magnum pulſando cit tumultum, qvem hic Vir forti animo,fortioriqve mente Theologus ſic affatur: *Scio; O tu humani generis perditiſſime hoſtis! me mortalem genuiſſe filiam, qvam & Dei providentiæ ac miſericordiæ commendo,qvi de ea, ut ſibi licet, clementiſſimè decernat. Tuus tumultus me non terret, nec ex eo præſagium mortis capiam, qvamvis tu nunc iſto tuo tumultu mihi perſvadere velis, filiam meam morituram eſſe. Certo autem certius ſcio, Dei auxilio filiam meam priſtinam ſanitatem recuperaturam eſſe, Et ſic tuo tumultu argueris mendacii.* Qvod & factum, ſiqvidem ad ſanitatem magno parentum gaudio rediit. Qvare id genus tumultus à Chriſtiano, & Deum timente homine attendi non debent. Pio & Chriſto deditos,hæc ſigna non terrent, ſed eos, ut olim Ægyptios impios terruit Diabolus ſuis terriculamentis, *Sapientiæ Cap.* 16. Interim negari non poteſt Diabolum interdum inſtantis mortis præſcientiam vel ex cognitione cauſarum naturalium habere poſſe; vel qvod à Deo Executor ſit conſtitutus, 1. *Regum cap.* XXII, Job. I. &c. Si autem tali tumultui qvid veri ſubeſt, ut interdum ſubeſſe ſolet, ut probant innumeræ hiſtoriæ, tunc ejusmodi tumultus certamen eſt boni & mali angeli de funere pii hominis, ut legimus olim Diabolum cum Magno Angelo Michaele de corpore Moſis certaſſe. *Epiſt. Judæ*, v. 8. Verum hæc latius deducere non permittit inſtituti ratio. (3) *Præſagia mortis naturalia* permulta ſunt, qvæ vel *ordinaria*, & hæc ſuppeditant prognoſtica Medicorum; vel *extraordinaria*, qvæ vel ſunt

certa ſigna in corporibus corporumqve partibus, aut indumentis apparentia; vel geſtus, corporumqve accubitus &c. vel & non rarò ſomnia. Beatæ memoriæ *D. Hannæus* mihi hanc hiſtoriam retulit de qvadam Generoſisſima Matrona, hæc letali morbo, & qvidem maligno decumbens, cujus lecti lodices, ut & induſium innumeris atris parvis crucibus fuerint ſignata & notata. Has cruces videns Matrona in hæc erupit verba: *hæc ſigna mihi præſagiunt mortem*, qvæ & paulo poſt ſubſecuta eſt. Sed hîc figo pedem, obnixè rogans, hanc materiam eruditi viri non inſuper habeant, aut ſus deqve æſtiment, aliqvid enim divini in ea latet.

Die 10. Septembris auſpicio Dei Principisqve, *Imperatorem Fridericum Aenobarbum ab Alexandro III. Pontifice pede non eſſe conculcatum*, Præſide *Jo. Burchardo Majo*, Eloqv. & Hiſtoriarum Prof. Publ. defendit *Andreas Ludovicus Königsmannus*, Slesvicenſis. (2. pl. in 4.)

Diſputationis hujus *Caput primum* proponit conculcationis *Friderici* hiſtoriam, nec non qvæſtione: *utrum Imperator Fridericus Barbaroſſa pede conculcat? Alexandri III. Pontificis notisſimū ab eo dictum Davidis* (*Pſalm: 91. v. 13.*) *audiverit?* notat etiam Controverſiæ hujus gravitatem, uti & maledicendi fervorem *Bodini*, infenſisſimi illius Imperii Germanici hoſtis, *Caſſani*, Galliæ Regis Conſiliarii, & Scriptorum *Italorum* ac *Venetorum*, hâc hiſtoriâ, tanqvam egregiò qvodam ad Germanos invidiâ onerandos inſtrumento utentium. *Caput ſecundum* affirmativam & negativam ſententiam circa qvæſtionem paullò antememoratam exhibet, & tam illam, qvàm hanc propugnantes recenſet plurimos. *Caput tertium* qvæſtionem illam decidit, atqve ad negantium tranſit partes. Rationes deſumuntur (α) *A fide ſuſpectâ* Italorum, partim ob adulationem in Pontificem, partim ob invidiam odiumqve in Germanos. (β) *A dubiæ narrationis notis*: *fertur*, *dicitur*, *item addunt*, *tradunt alii*. (γ) *A ſilentio Scriptorum æqvalium*. (δ) *A*

*A diſcrepantia adverſarum nobis partium*, in locis, temporis, aliarumqve rerum deſignatione. (ε) *Ab ingenio Friderici*, Imperatoris magnanimi, ſuæqve dignitatis in utrâqve fortunâ tenaciſſimi. (ζ) *A ſtudio Germaniæ Procerum in Imperatorem*, qvi nec in ipſa Italiâ fuiſſent permiſſuri, tàm indignè violari Caput ſuum. (η) *Ab inconvenienti*, cum omni lite ac diſſenſione jam compoſitâ Imperator magnâ cum pompâ & plauſu Venetias ingreſſus, & per aliqvot dierum hebdomades amicè cum Pontifice verſatus ſit. (ϑ) *A multitudine mendaciorum*, qvibus hiſtoriam Friderici contaminatam eſſe conſtat.

Die 15. Octobr. Auſpicio Sereniſſimi Principis ſub Præſidio *Joh. Ludovici Hannemanni*, D. & Philoſophiæ Naturalis P. P. Ord. Leopoldinæ Societatis Neſtoris II. Exercitationem Phyſicam Fridericianam, *Omnium Corporum Naturalium in ſextiduo Creationis à Deo conditorum Oeconomiam, in ſuas partes potiores, ſc. in Atalantam & Hippomanen diviſam*, exhibentem publicè defendit *Adolphus Wilhelmus* von Guren / Lubecenſis. *Septem* Diſſertatio exhibet *Theſes*, qvarum *I. Phyſicæ Objectum*; *II. Subſtantiæ Corporeæ Qvidditatem*; *III. Corporum Diſtinctionem* ſiſtit. IV. Theſis, *qvænam Subſtantiæ* Fluidiſſimæ ſint, docet; *V. Lucis, VI. Ignis & VII. Cœli definitionem* tradit. Singulis Theſibus *Exegeſis* eſt addita. Tandem ſubjungit *Decadem qvæſtionum*, qvam curioſorum Philoſophorum & Medicorum induſtriæ ſolvendam offert; addit etiam Curioſitatis ergo aliqvot *Experimenta Chymica*. (3½. plag. in 4.)

Die 18. Octobr. ſub Præſidio *Günth. Chriſtoph. Schelhammeri*, Med. D. & in Acad. Kilonienſi Prof. Primarii, Sereniſſ. Ducis Cimbr. Gottorpienſ. Archiatri, Societat. N. C. Leopoldinæ Adjuncti, & in Italiâ Recuperatorum Socii, Diſſertationem ſolennem de *Odontalgiâ Tactu ſedandâ*, ad capeſſendum ritè ſummos in Medicinâ Honores, ac privilegia Doctoralia publicæ disqviſitioni ſubmiſit *Balthaſar Kryſingius*, Flensburgo Cimber, in patriâ Medicus, *D. Wilhelmi*

*Hub-*

*Hulderici* Waldſchmiedt / Programmate prævio. Diſſertationis hujus argumento generatim in proœmio præmiſſo *Caput I.* de *ſalubri in morbis tactu in genere*; *Caput II.* de *ſalubri manuum tactu* in ſpecie agit; *Caput III.* de *ſalubri manuum tactu* in compeſcendis doloribus, præſertim in Odontalgiâ ſedandâ tractat; *Caput IV.* de *Diſcrimine contactuum ſingularium, eorumqve operandi modo* generatim qvædam habet; *Caput V.* de *Diſcrimine vulgati manuum uſus, earumqve operandi modo* generatim docet; *Caput VI.* de *partium corporis humani*, ſpeciatim *Dentium auriumqve conſenſu* tractationem inſtituit; *Caput VII.* *Conſenſus partium uſum* in Medicina proponit; *Caput VIII.* de *tactus, hac methodo in dolore dentium adhibiti, modo operandi* ſpeciatim nonnulla tradit. Conſtat cum Programmate & adjectis Epiſtolis gratulatoriis 9½. plag. in 4.

## HAMBVRGI

Die 18. & 19. Octobr. *Johannei Hamburgenſis* Examen publicum & ſolenne fuit habitum. Hac occaſione iterum omnes omnium hujus Scholæ Claſſium Præceptores, in *Catalogo qvodam Lectionum & Exercitationum* per proximè elapſam ætatem habitarum, fidei atqve ſolertiæ ſuæ rationem reddiderunt. Index ille implet 1½. plag. in 4.

*Johannes* Schultze / Johannei Hamburgenſis Rector, cujus in his N. L. p. 123. 159. 190. & paullò ante mentionem fecimus, edidit *Exercitium Catecheticum, in qvo Diſcipuli ex Hebræorum Pſalmis, tùm in Vocabulorum non punctatorum lectione, tùm in ſolicitâ eorum ad analogiam fidei interpretatione, diſtinctè & perſpicuè erudiuntur.* (2. plag. in 4.)

# NOVA LITERARIA
## MARIS BALTHICI ET SEPTENTRIONIS,
*Edita Menſe Decembri M DCCI.*

### ROSTOCHII

Die 6. Novembris *M. David Henricus Kœpkenius*, Luneburgenſis, cujus ſupra ſæpiuſculè mentio facta (vid. N. L. 1700. p. 289.) *Diatriben Philologicam* in verba Pauli ἄρτι γὰρ ἀνθρώπους πείθω ἢ τὸν Θεόν, ex Epiſtolâ ad Galatas I. v. 10. enucleata ſiſtentem, Reſpondente *Johanne Eberhardo Vdam*, Revaliâ Livono, examini publico ſubjecit. (2. pl. in 4.)

Die 26. Novembris ſub Præſidio *Caſp. Matthæi Mülleri*, V. J. D. & Prof. Inſtitut. Publici Ducal. ordinarii Diſputationem Juridicam *de Sponſalibus ſine Teſtibus contractis*, Von Verlöbniſſen/ ſo ohne Zeugen vollenzogen/ publicæ disqviſitioni ſubmiſit, Reſpondente *Chriſtiano Friderico* Tramp/ Lind. Pomerano. (5½. plag. in 4.) Duo hujus Diſſertationis ſunt *capita*, in *primo* explicatur & an & qvatenus abſentia teſtium Sponſalia reddat invalida; in *ſecundo* autem, qvomodo eadem convalidentur, exponitur.

Sub finem menſis Germanicum Scriptum, ſub titulo *Terminiſta Convitiator*, qvod ſuperiori menſe Julio (vid. N. L. p. 227.) ſæpius laudatus *M. Georg. Fridericus* Niehenck/ S. Theol. Bacc. jam qvoqve S. Theol. Licentiatus, typis hîc ſubjecit, & qvo ipſo *M. Zachariæ Grapii*, Phyſ. ac Metaph. Prof. & Archidiaconi Jacobæi, jam S. Theol. Doctoris, concionem pœnitentialem von der verſäumten Gottes Gnade/ ex Rom. II. 1-11. habitam, contra *M. Jo. Sigism. Beſſerizii* convitia, in gratiam *D. Adami Rechenbergii* in *M. Grapium* fuſa, defendit, prelo Wepplingiano liberatum eſt. (10. plag. in 4.)

## GRYPHISWALDIAE

Die 13. Novembris *Jo. Frid. Mayer*, D. Conſiliarius Regius & Ducalis, S. Theol. Profeſſ. Primarius, Vniverſitatis Gryphicæ Pro-Cancellarius, Regii Conſiſtorii Præſes, & Pomeraniæ citerioris ut & Rugiæ Superintendens Generalis publico Programmate indicavit *Operas Academicas* in uſum Studioſorum in poſterum conferendas, qvæ erunt ſeqventes: In *Lectionibus publicis* à 10. ad 11. *Theologiæ Conſcientiariæ & Practicæ* rationem habebit, &c. cum hoc penſum qvovis ſemeſtri abſoluturus ſit, *Libri cujusdam Biblici* (α) partes, argumentum & connexionem, (β) hæreticorum confutationes, (γ) uſus practicos, & qvâ ratione non ad propriam vitam tantum, ſed & aliorum emendandam, moresqve piè formandos, pro concione is adhiberi posſit, accuratè oſtendet. In *Lectionibus privatis* qvolibet ſemeſtri *Scherzeri Breviculum*, aut aliud aliqvod Theologiæ Compendium explicabit, huicqve alternis vicibus ad ductum *Concilii Tridentini* controverſias cum *Pontificiis*, ad ductum *Catechismi Heidelbergenſis* controverſias cum *Reformatis*, ad ductum *Catechismi Racovienſis* controverſias cum *Socinianis*, ad ductum *Confeſſ. Remonſtrantium* controverſias cum *Remonſtrantibus*, cum appendice illarum, qvæ cum *Anabaptiſtis*, *Qvakeris* atqve hodiernis *Schismaticis* nobis intercedunt, ſubjiciet. Qvolibet die *Jovis* à 9. ad 10. ſermonibus ſacris ſtudioſam juventutem, & gratis qvidem exercebit (1) ſuppeditando textum (2) qvæ in elaboratione ipſaqve actione jure poterant deſiderari & emendari indicando, (3) diſpoſitiones alias in textum communicando. Textus autem varii generis & ad varios caſus applicandos daturus eſt. Die *Jovis & Saturni* à 2. ad 4. pomeridianam non ſolùm Bibliotheca illius omnibus patebit, & libri ipſi à Bibliothecario cuilibet petenti communicabuntur; ſed ipſe etiam præſens, qvantum per aliorum officiorum occupationes erit integrum, de Auctoribus diſſeret. Hanc ob cauſam Studioſos Gryphisvvaldenſes ad Bibliothecam ſuam, diebus & horis ſupra dictis in illorum uſus aperiendam peculiariter invitavit, & cum ſingulis futuri anni menſibus Auctorum, qvos oſten-

oſtendere & de qvibus diſſerere velit, exhibiturus ſit, ejusmodi Catalogum hujus menſis Decembris dedit.

Die 22. Novembris ſub Præſidio modò dicti *D. Jo. Frid. Mayeri*, Ecloga Theologica de *Dominicis adventus* defenſa à *Chriſtiano Erneſto Krull*, Dômicenſi Mecklenburgico. Cui Hymni illius, tempori Adventus proprii, Nun kommt der Heyden-Heyland/ explicatio à Præſide adornata, annexa eſt. (3½. pl. in 4.)

Die 24. Novembris *Johannes Schack*, J. V. D. P. P. O. & Conſiſt. Reg. Aſſeſſor, publico Programmate expoſuit, qvomodo ſingulis ſeptimanis, die Mercurii ab horâ 8, usq; ad 10. ſuper fundamentis Juris Juſtinianei, ex *Compendio Strykiano*, anno 1698. Halæ Magdeburgicæ impreſſo, hauſtis, publice disputaturus ſit. Nomina etiam illorum, qvi ſecum in hanc Palæſtram condeſcendere volunt, expresſit, ſcilicet (1) *Carolus Balthaſar*, Gryphisvvaldâ-Pomeranus. (2) *Georgius* Bölſchow / Gryphisvvaldâ-Pomeranus. (3) *Carolus Bonafos*, Caſtellionenſis Gallus. (4) *Jacobus Gabriel* Wolff/ Gryphisvv. Pomeranus. (5) *Jo. David* de Engelcken/ Eqves Pomeranus. (6) *David* Baarß/ Stargardâ-Pomeranus. (6) *Daniel* Woyke/ Neo-Sedino-Pomeranus. (8) *Johannes* Krüger/ Kenzenſis Pomeranus. (9) *Georgius Chriſtophorus* Macke / Stolpa-Pomeranus. (10) *Johannes Chriſtophorus* Gruel / Gryphisvv. Pomeranus. Præterea addidit Regulas, qvibus in hoc Exercitio Disputatorio uſuri ſunt, (α) liberè & ſeriò disputabitur. (β) Omnis arrogantia in Disputationibus hisce evitabitur. (γ) Hæ Concertationes placido & ſedato judicio fient. (δ) Certabitur ex Lege & ratione (1. pl. in 4.)

## GEDANI

*D. Samuel Schelguigius* disputando continuavit qvæſtionum Theologicarum

Pugillum LIII. Reſp. *Michaele Gottlieb Hanſchio*, Gedan. 31. Aug. An inter Cœlum & Infernum detur πȣ̃ aliqvod medium, qvod animas à corpore ſeparatas usqve ad diem extremi judicii recipiat & ſervet? Neg. An receptacula hominum poſt mortem qvatuor

ſint,nempe (1) Cœlum perfectè beatorum. (2) Paradiſus eorum,qvi reſuſcitati, cum Chriſto per mille annos regnaturi ſunt. (3) Infernus damnatorum. (4) τῶ eorum, qvi primæ reſurrectionis participes non ſunt, nec tamen ad Infernum pervenerunt, ſed diem Judicii adhuc expectant? Neg. An damnati homines, imò Diaboli ipſi, elapſis ſæculorum ſæculis, ſeu æternitatum æternitate, i.e. poſt annos 50000 purificationi eorum deſtinatos, pœna eximendi atqve à Deo in gratiam cœlumqve beatorum recipiendi ſint? itemqve an dogma hoc rectè titulum æterni Evangelii, de univerſali ἀποκαταστάσει i. e. reſtitutione (der Wiederbringung) Act. III. 21. promiſsâ, gerat? Neg.

Pugillum LIV. Reſp. *Joh. Georgio* Koch / Soldinô-Neo-Marchico, d. 6. Sept. An animæ eorum. qvi in infidelitate deceſſerunt, ipſiqve Diaboli, jam in inferno pro damnatis parato ſint, ibidemqve torqveantur? Aff. An mos ille, beatos, qvi ſine evidenti infidelitatis notâ, nempe finali Verbi & Miniſterii contemtu ex vitâ deceſſerunt, appellandi, probandus ſit? Aff.

Pugillum LV. Reſp. *Joh. Leonardo Schlichero*, Ged. d. 13. Sept. An futura corporum Reſurrectio duplex ſit, prima ſolorum piorum, & ſecunda, à priore illâ longè diſtinctiſſima, etiã impiorũ? Neg. An ſalus ſeu beatitudo gratiæ ac gloriæ, qvatenus ſubjectivè formaliterq; conſiderantur, non eſſentiâ, ſed gradu tantùm differant, adeò ut in hâc vitâ jam *ipſius ſalutis glorioſæ*, qvamvis in *minori* ac *inferiori gradu per fruitionem Dei* compotes ſimus? Neg. An conſummatio ſæculi non mutationem duntaxat accidentalem, ſed propriè ſic dictam annihilationem cœli terræqve hujus inferat? Aff. An ante Judicium extremum Chriſtus cum Sanctis, partim à morte reſuſcitatis, partim ſuperſtitibus, per mille annos, oppreſſis impiis, in mundo pacatè feliciterqve regnaturus ſit? Neg.

Pugillum LVI. Reſp. *Gabriele Bentero*, Gedan. 15. Sept. An mille anni, qvorum Apoc. XX. 1-6. mentio fit, jam præterierint? Aff.

Pugillum LVII. Reſp. *Salom. Theoph. Pomian Peſarovio*, Gedan. 20. Sept. An meliora tempora, qvæ nunc ſperantur, â Chiliaſmo, præſertim Peterſeniano, ita differant, ut propterea ſperantes è Chiliaſta-

haſtarum cenſu eximi mereantur? Neg. An doctrina Chiliaſtica qvicqvam faciat ad converſionem Judæorum? Neg. An Chiliaſmus Pietiſticus in Auguſtanâ Confeſsione, aliisqve ſcriptis Symbolicis, rejiciatur? Aff.

Pugillum LIIX. Reſp. *Joh. Ephraim Gnoſpio*, Gedan. 21. Sept. An doctrina de Chiliaſmo Pietiſtico Articulos qvosdam fidei Chriſtianæ, etiam ex fundamentalibus, pariterqve praxin fidei, in uſu Orationis Dominicæ, labefactet? Aff. An doctrina Chiliaſmi Pietiſtici Remp. periculo exponat, & ſeditionis ſemina ſpargat? Aff. An doctrina Chiliaſmi Pietiſtici ſcandaloſa ſit? Aff. An Chiliaſtæ hodierni, præſertim ſeductores, pro Schismaticis habendi ſint? Aff.

Pugillum LIX. Reſp. *Joh. VVoltersdorffio*, Iglebiâ Palæo-Marchico, 26. Sept. An de Chiliaſmo cuivis libere, qvicqvid voluerit, publicè ſtatuendi facultas ſine contradictione & animadverſione, relinqvi debeat? Neg. An Doctor Eccleſiæ, qvi ſubortis de Weigelii, Bohemii, ſimiliumqve Fanaticorum doctrinâ litibus, propterea qvod libros illorum non legerit, ipſos etiam librorum Autores rejicere aut damnare recuſat, ad legendum poſthac obligetur? Aff. An qvi Evangelicæ religioni ſincerè addictus eſt, ſcripta qvæ ſub nomine Bohemii proſtant, in dogmatibus fidei plurimis rejicere & damnare teneatur? Aff.

Pugillum LX. Reſp. *Jacobo Matthæi*, Gedan. 27. Sept. An qvi Heterodoxis ſe verbo veritatis opponunt, coerceri, imò puniri mereantur? Neg. An Chriſtianum ex Schiſmatum odio deceat, inter cœtus eorum, cum in dogmatibus diſſentiant, omnes tamen Chriſtum profitentur nulli ſe addicere, ſed delectis ex qvacunqve ſectâ hypotheſibus maximè placentibus, rem ſuam ſibi ſeorſim habere? Neg.

Pugillum LXI. & ultimum. Reſp. *Frid. Godofr. VVegnero*, Stolbergâ-Saxone. 4. Octob. An in qvacunqve hæreſi, imò & in Judaiſmo, Muhametaniſmo, aut Gentiliſmo ſalvari qveamus? Neg.

Diſputationibus hiſce omnibus ad colophonem feliciter per Dei gratiam deductis, totum Opuſculum prodiit ſub titulo ſeqventi:

*D. Samuelis Schelguigii, Synopſis Controverſiarum, ſub Pietatis Prætextu motarum, qvæ in Pugillos Qvæſtionum LXI. diſtributæ, ordinariis Diputationibus, in Athenæo Gedanenſi argumentum præbuerunt: Nunc verò conjunctim editæ, judicio Eccleſiæ Evangelico-Lutheranæ ſubmittuntur. Acceſſit triplex Index: I. Qvæſtionum. II. Teſtium veritatis, in hoc opuſculo allegatorum, & III. Reſpondentium, qvi Pugillos publicè defenderunt. Gedani Typis & Impenſis Joh. Zach. Stollii,* 1701. 8vo. Alph. 1. pl. 5½.

*D. Sam. Frider. Willenberg*, d. 15. Sept. disputavit *de Jure negato circa territorium ſuum.* Resp. *Joh. Georgio Roſenbergio*, Gedan. Argumentum diſputationis ita ſe habet: In Cap. I. Præmunimenta Diſſertationis exhibente, §. 1. res de qvâ agendum deſcribitur. §. 2. Ex Textu 1. Sam. VIII. 11. verum & abſolutum Jus Regis adſtruitur, §. 3. idemqve ex ſententiâ Senecæ exponitur. §. 4. Teſtimonia Scripturæ S. Leges & Principes eſſe â Deo. §. 5. An immediatè â Deo Majeſtas Principi competat? 6. Qvomodo Populi conſenſus circa Principem conſtituendum declaretur. 7. Principis poteſtas eſt abſoluta. Ipſe Legibus ſolutus eſt. Jus qvæſitum auferre poteſt ſubditis; etiam ad tempus apud ſe commorantibus. 8. Cauſa negati Juris circa Territorium ſunt (α) Leges fundamentales. 9. Species qvarundam Legum fundamentalium. 10. An Leges fundamentales minuant Majeſtatem diſtingvitur. 11. (β) Pacta cum ſubditis inita. 12. An Principis Succeſſor ex contractu anteceſſoris teneatur? Aff. 13. (γ) Modus habendi Imperium. Cap. II. de Jure Principi negato circa Territorii ſui acqviſitionem in §. 1. affert Capitis Prolegomena. Cura Sacrorum ad ſummam Poteſtatem pertinet. §. 2. An ſæcularibus Principibus competat? Sententia Negantium, §. 3. Præfertur affirmativa. 4. Non tamen poteſt Princeps novos fidei Articulos introducere. 5. Qvatenus in Germaniâ Statibus Imperii Jus reformandi denegatum. 6. Nec in noviter acqviſito territorio id habent. 7. Jus Primariarum precum, qvando Imperatori denegatum. 8. Favor acqvirendi bona. 9. Imperator R. G. per bellum acqvirere qvando neqvit. 10. Qvando Status Imperij non poſſunt. 11. â ſubditis Principi præſtandum

Ho-

Homagium,qvi tamen formam ejus mutare neqvit. 12. An princeps ante præſtitum homagium ſubditorum privilegia confirmare debeat? 13. An poſſit Succeſſor Anteceſſoris privilegia revocare? Neg. 14. An Principi privilegia à ſe data revocare poſſit? diſtingv. 15. Qvando Imperator bona Vaſalli perduellis confiſcanda non acqvirit. Cap. III. de Jure Principi negato circa Territorii ſui conſervationem in §. 1. continet Diſtinctionem inter id qvod eſt in & qvod eſt de Territorio. §. 2. Probandum aliqvid non eſſe de Territorio, An Clericorum bona non ſint de Territorio? §. 3. Collectis gravari neqvit qvi non eſt de Territorio. §. 4. Explicatur prolixius ſententia præced. §. 5. Qvando, qvi non ſunt de Territorio, ad onera tenentur. 6. Princeps à Vaſallo collectas exigere non poteſt. Qvare in Germaniâ Illuſtres Vaſalli ſolvant collectas? 7. Fœdera inire licet Principi. 8. Utrum cum Idololatris fœdera pangere liceat? Aff. de Jure Nat. 9. Cautiùs tamen non ineuntur niſi ſub certâ conditione. 10. Imperator cum extraneis fœdera inire neqvit. 11. Status I. R. G. contra Imperatorem non poſſunt: Niſi fiant ad ſui defenſionem. 12. Qvibus fortalitium in ſuo inſtruere non permiſſum. 13. An in genere qvis prohiberi poſſit fortalitia exſtruere. Primogenituram Princeps introducere qvando neqvit. In Cap. IV. de Jure Principi negato circa Territorii ſui alienationem. §. 1. Exhibetur Significatio verbi Alienare, §. 2. An Princeps Territorium ſuum alienare poſſit? §. 3. Reſp. ad qvæſt. per diſtinctionem. §. 4. Reſolvuntur objectiones qvædam. §. 5. Reſp. ad aliam object. 6. Princeps cedere non poteſt regnum. 7. Exempla ſe abdicantium à regno. 8. An liceat regno ſe abdicare? 9. An Princeps partem territorii ſui alienare poſſit? 10. Exceptio horum. 11. Non bona domanialia, nec fiſcalia alienare poteſt. 12. Alia exceptio in locis ab hominibus vacuis. 13. Species alienationis eſt infeudatio & oppignoratio & Teſtamenti factio. 14. Imperator R. G. de Imperio nihil alienare poteſt. 15. Qvænam Imperii bona Imperator alienare prohibeatur? 16. Neqve Status Imperii bona ſua alienare poſſunt. 17. Bona Jure feudi poſſeſſa à nullo Principe alienari poſſunt. 18. Vaſallus alium ſub infeudare poteſt. An & Princeps de ſuo territo-

ritorio. Qvid ſi feudum Regale poſſideat ?19. An ab alio Princeps ſuum territorium in ſubfeudum recognoſcere poſſit? 20. Oppignorationum Imperii jura antiqva & nova. 21. Antiqvæ oppignorationes confirmantur à Cæſaribus. 22. An Status Imperii territoria ſua poſſint oppignorare? Sentent. Affirmat. 23. Rationes negativæ ſentent. 24. Qvomodo Teſtamentum ad ſpecies alienationis pertineat. 25. An Princeps de Territorio ſuo condere poſſit Teſtam.? Aff. de terr. patrim. An extraneum Liberis præferre? Neg. 26. Neg. de Regno Electitio. 27. Hodie Imperator de Imperio teſtari neqvit. 28. Neqve ſtatus Imperii de ſuo territorio. 29. Qvid de Pactis Confraternitatis habendum? 30. Qvare Teſtam. Caroli II. Regis Hiſpan. non poſſit videri valere. (4to. pl. 6½.)

*M. Gabriel Groddeck*, Philoſoph. Prim. ac Pract. Prof. P. & Bibliothec. d. 22. Sept. *Res Davidis ante Regni Iſraelitici adminiſtrationem geſtas*, Diſſertatione morali examinavit, ac adverſus liberiores cenſuras *Cl. Balii* defendit Reſpondente *Michaele Schilberg.* Gedan. Alumno Vœgedingiano. (4to pl. 3.)

A *Frider. Chriſtiano Büchero* editus eſt *Lutherus Anti-Pietiſta*, das iſt: *D. Martin* Luthers Schrifftmäßiges Urtheil von dem *Pietiſmo*, aus ſeinen Schrifften/ und denen von den *Fanaticis* ſelbſt angeführten Zeugniſſen/ treulich *colligirt*: Wittenberg zu finden bey Gottfried Zimmermann: Druckts Joh. Michael Goderitſch/ 1701. 4to Alph. 1. pl. 6. Tractantur in hoc libro Articuli ſeqventes. (1) *de Theologiâ in genere.* (2) *de Scripturâ S.* (3) *de Revelationibus divinis.* (4) *de Deo.* (5) *de Creatione & Imagine divinâ.* (6) *de Lapſu Adami & Peccato.* (7) *de Libero Arbitrio & naturalibus viribus.* (8) *de Chriſto.* (9) *de Electione & Illuminatione.* (10) *de Regeneratione & Pœnitentiâ.* (11) *de Juſtificatione & Fide.* (12) *de Unione Myſticâ.* (13) *de Renovatione & bonis Operibus.* (14) *de Perfectione.* (15) *de Mediis Salutis, Verbo & Sacramentis.*

(16)

(16) *de Miniſterio & Spirituali Sacerdotio.* (17) *de Confeſſione Eccleſiaſticâ.* (18) *de Eccleſiâ.* (19) *de Adiaphoris & Libertate Chriſtianâ.* (20) *de Noviſſimis.*

Dom. XIX. p. Trinit. *à Samuele Schelgvigio*, D. & Athenæi Rectore publicabatur Programma Invitatorium ad ſolemnem Introductionis Panegyrin, in qvâ *M. Chriſtianus Sahmius*, Regiomonte-Boruſſus, antehac in Academiâ Patriâ Alumnorum & communis Convictorii Inſpector; poſtqvam nuper admodum Scholæ Johannitanæ apud Gedanenſes Rector præfectus fuiſſet, nunc pariter Mathematum in Athenæo ProfeſſorPubl. ac Ordinarius conſtitui debebat. Actum in eo eſt *de Geometriâ reliqvis diſciplinis præmittendâ.* fol. pl. 1.

Die 6. Octobr. celebrabatur ipſa Introductio. Rector diſſerebat de Λογοκλοπία, qvæ definiebatur *Vitium lingvæ* (aut qvi lingvæ vices ſubit, calami,) *cum qvis ſibi verbis confictis, aliorum animos, contra jus faſqve lucrari conatur.* Exempli loco producebantur (1) *Adulatores.* (2) *Qvi ementitis terriculamentis alios ſibi devinciunt.* (3) *Qvi, ut admirationi ſint, rebus pridem cognitis ignota nomina imponunt, aut vocabulis nihil ſignificantibus ludunt.* (4) *Sophiſtæ in Scholâ, Foro & Eccleſiâ, inter qvos Autor Obſervationum in Orationem Chytræi & Diſſertationis de Orthodoxiâ Judæ Iſchariotæ,* præ cæteris notabatur. Hinc novi Profeſſoris *M. Sahmii* Oratio, *qvod Matheſis homines quodammodò ſimiles Deo reddat,* ſeqvebatur.

Dom. XXI. poſt Trinitatis novus Profeſſor programmate *de utilitate Matheſeos*, Studioſos Athenæi ad freqventandas Lectiones ſuas invitabat.

Idem *Sahmius* antehac Regiomonti præſidendo defendit ſeqventes diſputationes.

*De Regreſſu Solis tempore Hiskiæ*, Regis Judæ, pars prior, Reſpond. *Georg. Chriſtoph. VVoſeginio*. 1689. Menſ. Jun. pl. 2.

Z z Ejusd.

Ejuſd. diſſert. Pars poſter. Reſp. *Vladulao Henrico Genſichen.* 1696. Menſ. Novemb. pl. 3.

*de Eclipſium Cauſis & Calculo*, Reſp. & Autore, *Andreâ Hedione*, Juniore. 1689. Menſ. Novemb.

*De Diviſione Circuli*, Reſp. *Joh. VVilhelmo* Schultz/ 1691. Menſe Decembr.

*de Quæſtione: Vtrum ea, quæ ſunt Juris Naturalis, mutationi ſint obnoxia?* Reſp. *Dan. Cornelio Sahmio.* 1697. Menſe Octobr. pl. 2½.

*De Theſibus Philoſophicis quibusdam*, Reſp. *Michaele Engel.* 1699. Menſe Aprili. pl. 2.

*De Fine Hominis.* Reſp. *Jacobo Jack*, 1699. Menſ. Mart. pl. 1½.

*De Virtute morali*, Reſp. *VVilhelmo Dullo.* 1699. Menſ. Majo. pl. 2.

*De Invito & Spontaneo*, Reſp. *Joh. Martino Bythnero.* 1699. Menſ. Jun. pl. 1½.

*De Proæreſi & Voluntate*, Reſp. *Dan. Lepack.* 1699. Menſ. Aug. pl. 2.

*De Libero Arbitrio*, Reſp. *Reinholdo* Voigt. 1700. Menſe Majo. pl. 3.

*De Fortitudine & Temperantia*, Reſp. *Matthiâ Gregorovio.* 1700. Menſe Jun. pl. 2.

*De Quæſtione: Vtrum ſingularium detur ſcientia?* Autore & Reſp. *Joh. Georgio Teuber.* 1701. pl. 3.

*De Cathedris Apoſtolorum*, Autore & Reſp. *Georgio Sigismundo.* Roſt. pl. 2½. 1701. Menſe Aug.

*De Occultatione Stellarum Fixarum per Lunam.* Reſp. *Vladulao Henrico Genſichen.* 1701. Menſe Auguſt. pl. 6.

Autore *Johanne Bœhm*, Scholæ Mariæb. Rectore, verſibus Elegiacis editum eſt, *Connubium Scholaſticum favente divinâ gratiâ ab ipſo initum*, Typis Joh. Zachar. Stollii. (pl. 2. in 4.)

*Jaco-*

*Jacobi Barthelmai, Med. D.* (primùm Medici præſidii *Boizenburgenſis*, in Ducatu Mecklenburgico, hinc per triennium Practici *Luneburgenſis*, poſtea ſub auſpiciis Sereniſſ. Poloniarum Regis *Medici Caſtrenſis*, nunc *Practici Gedanenſis)*

*Obſervatio de Cancro exulcerato ex ſcarificatione.*

*David Beier*, annorũ 50. circa mediũ Decembris anni præterlapſi, ex ſcarificandi conſvetudine ad ſe vocat Balneatorem qvendã clancularið qvo accedente, cucurbitulã in ſcapula ſiniſtra adhibere curat, ſed eheu! infelici ſanè eventu, vix elapſis aliqvot horis miſer ille pruritum ſentit ferè intolerabilem, qvem tertio & qvarto die multæ parvæ puſtulæ cum inſigni ardore inſeqvuntur, qvæ intra paucum tempus tantum ſumpſere incrementum, ut qvaſi unum liveſcentem tumorem magnitudine ovi columbini, conſtituant: noluit tamen nec Medicorum nec Chirurgorum conſilia petere, ſed ſibi ipſi medicus eſſe voluit; putans nihil aliud eſſe niſi Furunculum, qvo aperto tam ardorem qvam tumorem periturum; hinc per ſuos digitis exprimere jubet: dictum factum, ſed proh dolor! contra ſuam ſpem non levamen, ſed auctos dolores, tumoremqve non detumeſcere, ſed de die in diem adhuc magis protuberare ſentit. In hoc ſuo ſtatu circa finem Aprilis iterum adit Balneatorem ſed jã ordinarium civitatis noſtræ, & de novo circum circa tumorem tres vel qvatuor cucurbitulas applicare curat, ſimulqve conſilium petens qvid in tali ſtatu ſibi faciendum? ad qvæ Balneator, malum non vacare periculo, & ſi à ſua operatione ortum, tunc ſe obligatum qvoqve ad curandum, reſpondit, nihilominus tamen ægro noſtro & pulveres & Emplaſtra adhibenda dedit, hisqve dimiſit. Cum autem nec in his auxilium invenerit, neſcio qvo fato ad circumforaneum qvendam pervenit, qvi ut multi tales ignari ac ſcioli ſolent, malum parvi faciebat ipſumqve brevi citoqve ſanaturum certiſſime promiſit; miſer mali pertæſus, conditionem lætus accepit. Hinc ille ſtatim neſcio qvæ non ungventa & Emplaſtra impoſuit, dicens partem protuberantem, eamqve jam exulceratam ſe prius abſumpturum, eoqve fine varia adhibuit corroſiva, & inter illa

qvoqve alumen uſtum. Verùm enim verò cum hæc qvoqve omnia nihil proficere, ſed malum hiſce magis ſaltem irritatum, viresqve ægri ad extremum dejectæ, fumivendulum hunc multis ſcommatibus dimiſit. Tandem meum qvoqve petiit conſilium, & accedenti die 5to Auguſti currentis anni dorſum monſtrabat, ſed ah! Furunculi loco qvalem antea eſſe putabat, horrendum ſanè maximeqve fætidum cancrum exulceratum inveni cum labiis prætumidis, foris latitudine boni digiti emenſis, circuli, cujus medium diſſectum lineam tantæ magnitudinis ______

faciebat, ſeu potius fungi figuram (wie eine ſehr groſſe Xüßfe) præ ſe ferens. Superficies erat maximè inæqvalis & nodoſa, hinc inde pus livi°dum odore fætidum, ac cadaveroſum maxima copia cum pauco ſangvine eructans: paulò inferiùs, ad latus ſiniſtrū, duo tumores, ex rubro liveſcentes, & ſub ipſo brachio, circa venā ſubdaviam ſiniſtram, tumor magnitudine nucis juglandis, colore cum cute ſimili apparebant: dolorem tunc temporis non adeo magnum, niſi pungendo circa noctem exaſperantem ſentiebat, vires interim proſtratæ, reſpiratio difficilis inprimis circa noctem, qvæ inqvietæ erant, appetitus proſtratus, pulſus debilis ac inæqvalis ſentiebatur. In tali ſtatu miſerum hunc inveni, & licet ex omnib° benè penſitatis ipſum non diu amplius ſuperſtitem fore judicaverim, nihilominus tamen ipſius precibus inductus, ne ipſum pro deſperato dejererem, anceps hæſi, qvalenā non medicamentū pro abigendo tam gravi malo ſufficiens adhibendum eſſet, interim de generoſo medendi genere per internam ſalivationem Mercurialem cogitare cæpi, hac inductus ratione, extra medicamenta Mercurialia legitimè exhibita, tam externè qvam internè non dari pro hoc morbi genere convenientiorem medicinam, in corpore qvippè Mercurii, omnes Salinæ acres, acidæ ac corrodentes particulæ obtunduntur ac qvaſi emoriuntur; hinc varia ac inſanabilia ulcera vetuſta, qvæ nullis aliis medicamentis cedere volunt, Mercurio cedunt; qvod ſæpè ſæpius & mihi obſervare licuit, inprimis ante triennium, dum à S. R. Majeſtate Polonorum mihi cum aliis Medicis Noſocomium Caſtrenſe, qvod tunc temporis Leopoli locatum, qvam clementiſſimè demandatum erat, in illis

lis inprimis qvi lue Venerea multisqve variis fœtidiſsimis ulceribus in variis corporis partibus, infecti erant, qvi tamen ferè omnes à me & aliis ſola Salivatione Mercuriali felicisſimè ſanati ſunt; Inter omnes tamen tanqvam ſingularisſimum & rarò contingens exemplum in medium duco meretricem aliqvam, qvæ adeò infecta erat, ut præ doloribus nec ſedere nec ſtare nec ambulare magis poſſet, muſculi enim abdominis, totaqve ferè ſubſtantia pubis infimulqve labia pudendæ, cum muſculis ex parte podicis ab ulcere cancroſo, horribili ſanè aſpectu eroſi erant, nihilominus tamen à ſola inunctione Mercuriali, in locis exulceratis ſalivare cæpit, cujus beneficio morbum cum ſanitate commutavit. Et qvod maxime mirandum, qvod hæc meretrix, licet in Noſocomio locum habere non potuerit, ſed coacta fuit dies noctesqve in maxima tempeſtate Menſis Decembris, ſaltem ante præfurnium, ubi tamen à vento trajicienti immunis non eſſe poterat, ſana evaſerit. Hic qvoqve Gedani honeſtam curavi Fœminam, qvæ jam per qvinqve vel ſex annos inſigni dextri pedis exulceratione cum ingenti dolore laboraverat, qvæ etiam multa ac varia multorum conſilio, incaſſa tamen adhibuerit, donec meum qvæſiverit conſilium, & licet internè varia tentaverim, per Mercurialia etiam fixiora qvæ non niſi ſudorem moveant, & externè ab optime perito & rationali qvodam civitatis noſtræ Chirurgo, exactè etiam medicamentis mercurialibus tractaretur, ad totalem tamen ſanationem nullo modo, adhibita licet omni diligentia, pervenire potuimus; promota autem ſalivatione per mercurium internè ſumptum intra trium ſeptimanarum ſpatium cum ipſius ægrotæ ac mariti ſumma admiratione qvam perfectisſime ſanata eſt. Et ſupra laudatus Chirurgus ante paucum tempus mulierem labio cancroſo laborantem ſola qvoqve ſalivatione curavit. Hinc non immerito Excellentisſimus *VVedelius* mercurium noſtrum laudat his verbis: Mercurius Luis Venereæ hinc & rebellium aliorum ῥιζοτόμος vid. in tract. ej. de Medicam. facult. lib. 2. ſect. 2. cap. 12. Ex his itaqve ſole clarius apparet ſtrenuisſimum ejusmodi acrium malorum domitorem eſſe Mercurium, qvicqvid etiam obganniant alii, qvibus nobilisſimi hujus medicamenti virtus nunqvam

qvam innotuit, ſed non niſi peſſimum & abominabile venenum dicitur, his tamen non niſi propriam ignorantiam publicè profitentur, carbonibus qvippe digitos nunqvam adhibuerunt nec ſolidum præparare ſciunt medicamentum. Hinc cum Galeno de ſimpl. cap. 19. Mercurium à tota ſubſtantia contrarium eſſe humanæ naturæ, ſeqve illius mineralis uſum planè neſcire, exclamant. In talibus autem morbis non niſi curam ſvadent pallitativam, qva autem conſcientia judicent alii: dum talia adhibent remedia, de qvibus ipſis certiſſime conſtat, ad morbum imminuendum, ne dicam curandum, nec qvicqvam conferre poſſe: adhibent tamen; ſi qværis cauſam? ut aliqvid tantum feciſſe videantur; audacter reſpondent. Sed dicta ſufficiant & revertamur ad noſtrum ægrum, cui medicamenta ad procurandam ſalivationem propinare conſtitueram. Cum autem ipſum ad extremum usqve viribus jam jam dejectum animadverteram, mentem meam mutavi & ſalivationis loco qvotidie ipſi de mercurio noſtro diaphoretico doſin aliqvam propinavi idqve ad 14tum diem Auguſti continuando leniſſimumqve ſaltem exſpectando ſudorem, pro cura externa mecum ſimul vocatus ſupra laudatus Chirurgus, qvi ſaltem vulnus mundificabat & Emplaſtrum egregium Mercuriale ſuperimponebat, qvibus tumor qvidem ſubaxillaris aliqvo modo molleſcebat, & ulcus ipſum magis albicans pus dare cæpit. Sed qvia ob ſummam debilitatem pro lubitu tractari non potuit, hinc de ulteriori medicina (qvam tamen parca manu & ſemel ſaltem in die accipiebat) abſtinui, ægerqve die 17. Auguſti totus emaciatus obiit. In præcedentibus mentionem feci de Mercurio noſtro Diaphoretico, qvo tamen non intellectum volo medicinam præcipitati Diaphoretici, à *Paracelſo* traditam,

Rara avis in terris nigroqve ſimillima cygno.

Cujus præparatio qvoniam ut verè loqvitur *Helmontius* pendet à manu ejus cui debetur omnis honos, non unicuiqve medicorum facile obvia eſt, ſed inter majora Chemiæ arcana jure ſuo referri poteſt. Fateor qvidem me tanti Theſauri nondum eſſe poſſeſſorem, attamen ſedulum indagatorem, ſpero tamen eum, qvi vel veſtigi-

ſtigium nobiliſſimi hujus medicamenti mihi jam monſtravit ad perfectionis atria perducturum. Sed Mercurium ſaltem aliqvo modo fixum, qvi in juſta & mihi conſveta doſi ſumptus, nec vomet, nec purget multo minus ſalivet, ſed ſaltem per inſenſibilem tranſpirationem operetur.

Qvo modo autem & qva ratione ex ſola ſcarificatione, qvæ tamen qvotidie uſualis, cancer noſter exulceratus originem ſuum traxerit explicatu ſanè difficilis. Cum a. beatus noſter ſanctiſſimè teſtetur, ſe ante ſcarificationem nec minimum ſenſiſſe ſed optimè ſanum fuiſſe; ſtatim verò poſt ſcarificationem pruritum obſervaſſe uti ex ſuperioribus liqvet: Sic meo judicio non aliter factum eſſe puto, qvam qvod clancularius ille Balneator inſtrumento forſan cujus acies non exactè ſtricta ſed qvaſi hinc & inde conflexa inſtructus fuerit, qvo incidendo & iterū removendo, minutiſſima cutis filamenta non ſaltem inciſa, ſed lacerata ſunt, unde lenis ſubſecuta inflammatio, qvæ in principio pruritū cauſavit, & qvia procul dubio ſe fricuit, humori jam fermentanti calcar addidit, huc qvoqve facit neglecta in principio cura neceſſaria & poſtea mala ac inidonea iſtius circumforanei vulneris, cum ſuis corroſivis qvibus oleum igni addidit, tractatio, unde malum qvod in principio adhuc curabile, poſtea incurabile redditum.

## *Scholion Jo. Jacobi Stolterfohti, D.*

Qvod *Cancer* ſit Tumor ſingularis ac omnino ſui generis, haud inepte credit *B. Dn. D. Mich. Ettmüller. Chirurg. Medic. Artic. IV. ſ. m.* 1238. Deſcribitur alias, qvod ſit *Apoſtema ulceroſum cum forti corruptione putredinoſo-ſalſa, magis magisqve putido fœtore ſqvalens, & corruptionem exedentem, colliqvantem, corrodentem præ ſe ferens* vid. *Excell. Dn. D. Georg. Erneſt. Stahlii Diſp. de cancro cap. . p.* 3. *Dn. D. Joh. Ludov.* Neuhahn *Diſp. de Carcinomatis malignitate & cura p.* 5. aliiqve paſſim Autores Practici. Fœminis maxime accidere, iis præſertim, qvæ aut natura aut electione ſteriles ſunt, cujusmodi eſſe ſolent Moniales, aut aliàs continentes Mulieres, qvæ cælibem vitam agunt, vult *Franc. Arcæus de recta curandorum vulnerum ratio-*

*ratione L. II. c. III. p. m. 86.* ubi accidere & viris qvoqve, at rarius, nullo argumentorum pondere in medium prolato, concedit, cum & hos eidem ſuccumbere Fato tot exempla evincant. Non negandum interim firmiorem ſibi eligere ſedem hocce malum in Mammis, ob glandularum freqventiam, & inter has excurrentium vaſculorum lymphaticorum pariter ac ſangviferorum copiam, in qvibus vel ex contuſione aliqva aut compreſſione, vel levi etiam punctura, contenti ſucci ſtaſis qvædam varicoſa & reſultans inde acor haud raro contingere ſolet: unde qvod in Glandulis eſt *Cancer*, in oſſibus *caries*, hoc in partibus membranoſis & carnoſis eſſe *Gangrænam* volunt haud pauci Artis noſtræ Antiſtites, inter qvos & B. *Dn. D. Joh. Jac. VValdſchmid. Prax. Medicin. rationalis Caſ. LXXXIII. p. m.* 146. ubi de *Gangræna ex Veſicatorio in dorſo* agit. Talis autem acceptio vocis (qvamvis cauſæ identitatem ex lympha acriori gradualiter differentem admittant) ad illorum non videtur eſſe palatum, qvi Medicorum illum Ciceronem *Celſum* virgula notoria tangunt, qvod *Eriſypelan*, *Gangrænam* & *Sphacelum* accenſere *Cancro* ſolent, qvi qve ulcera mali moris, antiqva, cavernoſa, fiſtuloſa, venerea, nec non oſſium cariem, qvamvis à Chirurgis interdum minus apte habeantur pro *Cancroſis* Germanice Krebs Schaden/cum vero *Cancro* confundi nolunt. Subjectum interim principale hujus mali habentur partes glanduloſæ; cumqve nullus non ſit in corpore locus glandulis refertus & vaſis lymphaticis, hinc nec ullus ab invaſione cancri videtur immunis. Huc qvadrat qvod more ſuo ingenioſe ac nervoſe ponit *Excell. Dn. D. Georg. VVolffg. VVe-„del. Exercit. Semiotico-Patholegic. cap. LXX. p.* 191. Freqventius „oboritur (Cancer) in partibus magis glandoſis & vaſis lym-„phaticis præditis, ut præcipue in Mammis, hinc & uliginoſis & mol-„lioribus aliis, ut utero, labiis, Faucibus, naſo, apertus fere magis; „deniqve etiam in partibus cutaceis aliis indefinite, ſed rarius, & ex „degeneratione magis. Aſſerti veritatem probant *Cancer dentis* de qvo *D. Matth. Franc. Hertod. M. N. C. Dec. I. A. I. Obſ. V. p.* 18. Uterinus apud *Riedlin. Cent. III, Obſ. LXXXI. p.* 431. Cancer uteri ex ſuppreſſo Fluore, vid. *Act. Med. Haffn. Vol. V. Obſ.* 128. *p.* 324. Cancer

Uteri

Uteri *Dn. D. Nicol. Pechlin. L. I. Obſerv. Phyſicô Medic.* XXII. *p.* 50. Fungus cancroſus in interiori Matricis colli parte, de qvo *Cornel. Stalp. van der VViel Cent. I. Obſ. LXXXVII. p.* 368. Cancer in Urinario Fœminæ meatu *l. c. Obs. LXXXVIII. p.* 372. Labii Cancer *l. c. Cent. II. Obſ. XIII. p.* 104. Ex Labiorum fiſſura *D. Balthaſ. Timæus à* Güldenklee *L. I. Caſ. XXXVIII. p. m.* 71 Carcinoma in naribus, *Hagendorn Cent. I. Hiſt. Med. Phyſ. LIX. p.* 92. Cancer Genarum, *Th. Bartholin. Cent. I. H. A. XXVI. p.* 42. in Abdomine, *l. c. Cent. VI. Hiſt. LXXI.* Cancer exulceratus ingentis magnitudinis, qvatuor pondera civilia habens, Fœminæ in ſiniſtri femoris parte exciſus, *Eberhard. Gockelius Gallicin. Medico-Practic. Cent. II. Obſ. LX. p.* 513. Cancer Glandis in Pene exciſus *D. Joh. Jac. VVepfer. M. N. C. Dec. I. A. III. Obſ LXVII. p.* 322. qvo cum conferri meretur *Nobiliſſ. Dn. D. Joh. Jacobi Döbelii Penis Glandis cancroſi ac feliciter Diſſecti Hiſtoria*, ſummo Eruditionis documento adornata, typisqve expreſſa Lipſ. 1698. Sed qvo rapior? en raritate pariter ac novitate ſeſe commendans Exemplum *Cancri in Scapula ſiniſtra*, qvem *Nobiliſſ. & Experientiſſ. Dn. D. Jacobus Barthelmæi*, ingenii, qva pollet, ſagacitate *exulceratum* judicavit *ex ſcarificatione.* Nota qvippe vel Artis noſtræ Tyroni eſt Diſtinctio illa *Cancri* in *occultum & ulceratum.* Il- „le primo qvidem vix Ciceris ac Piſi aut Fabæ magnitudinem ad- „æqvat, ita tamen, ut in ipſo ſubinde punctio percipiatur ab ægro, „ſucceſſive modo citius modo tardius incrementum capit, & ſub ipſo „parvo initio tuberculum iſtud durum nigricans, interdum livi- „dum, punctionibus qvibusdam moleſtum eſſe ſolet: ubi au- „gmentum accepit, apparet Tumor durus coloris plumbei aut livi- „di, dolens in principio moderatè, in augmento vehementius &c. „ex deſcriptione B. *Dn. Mich. Ettmüll. Chirurg. Medic. Artic. IV. ſ. m.* 1238. Qvando vero à qvacunqve cauſa irritatus vires acqviſivit, ut ad actualem jamjam ulcerationem declinaverit, *Vlceratus* nominatur. Hujus Phœnomena accurate ſecundum ſingulas circumſtantias ſiſtit *Carolus Muſitanus in Trutina Chirurgico-Phyſica L. II. c.* „*XXIII. p. m.* 96. *ſq.* h. m. Ulceris cancroſi ſigna facile deprehen- „duntur ex *ulceris forma*, qvæ inæqvalis eſt, cavernoſa & obſtra-

„coſa; *ex odore*, qvem fœtidum & cadaveroſum emittit; *ex ex-*
„*cretis*, affluit namqve materia ſordida, fœtidâ, ichoroſa &
„interdum flava; ex *dolore*, qvi eſt fere intolerabilis,& æger non
„aliter dolorem percipit, ac ſi acicularum myriade pungatur,
„nunqvam deeſt, ſaltim per intervalla, & noctu exaſperari ſolet:
„ex *colore*, qvi fuſcus eſt; ex *aſpectu*, qvi horridus, teter, & abo-
„minabilis eſt; ex *attactu*, qvi eſt durus & obſtinatus, aliqvando
„etiam mollis; ex *ulceris* labiis, qvæ ſunt craſſa, prætumida,eroſa,
„& foris inverſa. Venæ etiam circumpoſitæ turgidæ,varicoſæ, ac ni-
„gricantes apparent, & cancri pedes qvodammodo repræſentant,
„qvia ſangvinis motus ab affectæ partis denſitate & conſtipatione
„feriatur. Interdum venarum & arteriolarum extremitates ab-
„ſumuntur & corroduntur, & magna ſæpe ſangvinis profuſio ſeqvi-
„tur. Carnes proximæ ſæpe ita (in mammarum cancro) exe-
„duntur, ut abſumtis partibus muſculoſis, in ipſum thoracis ſpecum
„inſpicere poſſimus. Febris adeſt lenta, cibi faſtidium, & ſæpe
„animi deliqvia. In aliqvibus tandem ſeqvitur Hydrops,qvem
ipſa excipit mors. Cauſa hujus mali proxima eſt acidum vola-
tile inſigniter corroſivum, ad naturam qvaſi arſenicalem vergens,
ex ſtaſi humorum originem ſumens glandulas circumjacentes plus
ultra depaſcens, ac dolorem intolerabilem excitans, ex ipſo effectu
dijudicandum,dum vel ipſa ferramenta ſanies inde defluens rubigi-
ne inficit, & abſorbentibus affuſa effervescentia nonnunqvam ſatis
manifeſte ſe prodit. Contingere autem poteſt ejusmodi acredo
etiam ex contuſione, frictione, aut contrectatione dura, unde cal-
car ſero ichoreſcenti, jam in glandulosis partibus ſtagnanti, addi-
tur, ut vaſa capillaria jam obſtructa impetu qvaſi facto perrumpere
tentet, obſtaculo autem ibi poſito magis magisqve ad putredinem
indeqve reſultans acidum corroſivum decliner, totq; divaricationi-
bus ſenſim ſenſimqve ſeſe glandulis vicinis in infinitum fere inſinu-
et, ut vel Chirurgicis aliisqve generoſisſimis mediis extirpari obſti-
nato qvaſi conſilio recuſet. Hoc confirmaſſe Fato videtur ſuo
Fœmina, qvæ primum *cancro occulto*, hinc *exulcerato* correpta, cul-
tro ſubjecta anatomico, hoc obtulit notabile, qvod tota manus, to-
tum

tum latus dextrum intumuerit, tumefacta etiam tota facies ea parte, ubiqve profiliente ichore. Hinc ultra millenas glandulas ſubcutaneas in humero & brachio aſpectui ſe ſiſtentes obſervavit *Excell. Dn. D. Georg. VVolffg. VVedel. in Collegio MSto ad Libr. IV, Caſ. Medicinal. Tim. à* Güldenklee *Caſ. XL.* Idem ille fœminam *cancro exulcerato* laborantem vidit minima à punctura acus primum nato, ut refert *l. c. ad Caſ. XXXIX.* Ita qvippe vel levis occaſio ſtaſin & acredinem humorum inducere valet: Qvid mirum igitur qvod & *David Beier* ex improvida *ſcarificatione* ab imperito & clancularío Balneatore inſtituta, inſtrumento inepto, qvale argumento ſatis probabili deſcribit *celeberrimus* noſter *Dn. D. Barthelmæi*, aut etiam rubigine ſpurcato, vel legis arte minus apte applicato, tanqvam cauſâ remotiori & occaſionali hoc ſibi contraxerit malum. Intempeſtivâ autem frictione crabrones, angvemq; in herba latitantem irritavit magis, ut modo ſupra dicto collectum fuerit tale fermentum malignum, qvod ſub ſeri vehiculo una cum acido corroſivo ſenſim ſenſimqve circa vaſa capillaria varices effecit, dum illic ſtagnavit, ac corrodendo latius proceſsit, ubi ſimul dicta vaſa capillaria propter vim qvaſi illatam fuere conſtricta, adeo ut, dum ſic toti maſſæ ſangvineæ tranſitus fuit præpeditus, *cancer exulceratus* inde fuerit prognatus. Conf. *Ettmüller. l. c. f. m.* 1239. Hæc frictio cum ſit facta denudatis ſcapulis ſal acre corroſivum ab aere ſuppeditatum dilaceratis porulis ſeſe inſinuare maloqve portas ſimul aperire potuit. Ne dicam de reliqvarum *non naturalium rerum* temerario, a parte ægri, abuſu, pabulum non minus ſuggerente; qvem ad nauſeam usqve recenſent Autores noſtri Practici ſub hoc titulo à B. L. evolvendi. Tribus hinc dixerim verbis, qvod ex *Scarificatione*, indeqve *pruritu*, tanqvam *cauſa remotiori*, mox *frictione*, unde partium occluſio & *ſeri ſtaſis*, ut *mediata*, & *acredine* inde reſultante tanqvam *proxima*, ſit mali in ſubjecto noſtro Lerna. Autor hinc forem Chirurgis & Balneatoribus, ut ante applicationem inſtrumenta ſua probe acuant & mundent, ne qvid mali inde metuendum ægro veniat. Hydrophobiæ namqve ideam Phlebotomo, qvo Balneator antea partem à cane rabido demorſam

ſcarificaverat, fœminæ ejusqve lactanti infanti fuiſſe injectam, tradit D. *Petr. Rommelius Tr. de Peſte p. 2.* De Luis venereæ, vel Scabiei malignæ, per Scarificationem, ex ſervi Balneatoris neqvitia, propagatione in plus qvam LXX. homines, vid. *Joh. Hornung. Ciſt. Med. Ep.* 235. *Gregor. Horſt. Epiſt. Medicinal. L. II. Sect. VI.* ubi de malitioſa ſcarificatione fuſius agitur. De Lue Gallica poſt Scarificationem in Balneo publico contractam vid. idem *Horſt. Obſervation. Medicinal. ſingular. L. 2. P. 2. Obſ. VIII. p. m.* 136. *ſqq.* Hoſce caſus tragicos recenſet D. *Adami à Lebenvvald in Schol. ad M. N. C. Dec.* ,,*II. A. V. Obſ. LI.* Ubi de Venæſectione noxia differit h. m. Ad Ma- ,,jalem Venæſectionem vocatus Chirurgus à Viris qvinqve, optimi a- ,,lias corporis habitûs, utebatur Phlebotomo, qvo prius aperuit ve- ,,nam Lue Venereâ graviter affecto, nec eo abſterſo & purgato &c. ,,Ecce omnes qvinqve eadem Lue infecti fuerunt, ut nullum Deco- ,,ctum Lignorum, nulla inunctio Mercurialis, nullum azoth intrin- ,,ſece propinatum, nulla ſuffimigatio cinnabarina, qvæ omnia a ,,peritisſimis Medicis & Chirurgis ordinata, impreſſum hunc mali- ,,gnum characterem tollere & delere potuerint, ſed doloribus arti- ,,culorum nocturnis graviter cruciati, poſt unum & alterum annum ,,Tabe omnes perierunt, duobus ex his crura fuerunt ulcerata, qvi ,,non tam graviter afflicti, diutius vixerunt. Neqvam Chirurgus ,,ſibi fugâ conſuluit, de qvo poteſt dici:

*Qvi fuerat Chiron, cœperat eſſe Charon.*

Sed ad ſcopum. De Balneatore qvamvis non præſumenda Medicæ artis peritia (qvam tamen non ſine tot Mortonæ prædis nonnulli prætendunt Thraſones) non tamen inſcius eſſe debet ſymptomatum operationibus ſuis ſupervenire ſolitorum, & mediorum hiſce occurrentium. Qvid ſi miſello *Davidi* pruritu & mox dolore vexato, ſtatim leniens qvoddam oleum ex amygdalis vel Papavere & ſimilibus, applicuiſſet Mulo-Scarificator, anteqvam frictionis fatale ſolamen adhibuerat, forſan particulæ tumatæ, ut ita loqvar, pungentes, fibullasqve cutis vellicantes, fuiſſent obtuſæ: aut Diaphoreticum aliqvod conveniens, in omni ſtaſi unicum fere præſidium, propinaſſet, partis obſtructioni conſultius obviam iviſſet. Conf.

qvæ

qvæ habent. *Ettmüller. Opp. T. I. ſ. m.* 292. 326. *Roſin. Lentil. Miſcellan. Med. Pract. P. I. p.* 33. *ſq.* & alii ex profeſſo materiam hancce tractantes. Scarificationis itidem funeſtæ, inſcio Medico a Balneatore inſtitutæ, exempla habet *Hagendorn. Cent. 2. Hiſt. Medico-Phyſic. XX. p.* 181. Ita peccati pœnas luunt, qvi data opera Aſinos in Medicorum paſcuis qværunt. At incidit in *Scyllam* dum vult vitare Charybdin miſer homuncio; Caco-Medicum qvippe petit, ah! miſerum mali ſolamen, conſiliis ſine conſilio hinc inde diffluentem. Qvid ille? dulciſſima ſpe lactat Afflictum, ut ſolet iſta Gens crumenimulga, usqve dum merces, i. e. fumum vendiderat. Tandem ſero ſapiens Phryx Æſculapii Templum, pede ex cymba Charontis tremulo pulſat. At poſt Feſtum. Dictator *Coris* decretum ipſi inſinuat, qvod erat ex *VI. Aph.* 38. qvi multo majus periculum *exulcerato* imminere, tacite qvaſi innuit. Subſcribunt, canonemqve non ſine ingenio interpretantur *Franc. Archæus de recta curandi vulnerum ratione L. 2. cap. III. p.* 86. Alter poſt Corim Principem Dictator *Galenus ad dictum Aphorism. Gvil. Fabric. Hildanus L. III. Obſ. LXXXVII. p. m.* 491. *Heurn. comment. ad Aphorism. Hippocrat. p.* 493. *Franciſc. de Roma Conſult. XXI. XXII. Cornel. Celſus L. V. c.* 28, *Foreſtus L. IV. Obſ. V. Ettmüller. Chirurg. Medic. ſ. m.* 1239. *Ern. Stahl. Diſſ. de Cancro cap. II. p.* 12. *ſq.* 17. *cap. III. p.* 19. *Excell. VVedel. Amœnit. Mat. Med. p.* 56. *Colleg. MSto ad Tim. à* Güldenklee *Caſ. Medicinal. XXXIX. Neuhahn de Carcinomatis malignitate & cura p.* 9. *Carol. Muſitanus Chirurg. Medico-Pract. L. I. c. IX. p.* 41. 44. *L. II. cap. XXIII. p.* 99. *ſqq. Matth. Franc. Hertod. M. N. C. Dec. I. A. I. Obſ. V. p.* 19. *Ammann. Medicin. Critic. Caſ. XXXVII. XCIV. Göckel. Gallicin. Med. Practic. Cent. II. Obſ. C. p.* 613. &c. &c. Difficultatem ſanationis mechanice & eleganter demonſtrat B. *Dn. D. Joh. Jac. VValdſchmid. diſſert. de Chirurgo Carteſiano* §. 13. *p. m.* 18. conf. *Ejusd. annot. in Chirurg. Barbett. opp. p. m.* 398. Cum itaqve qvotidiana, tot celeberrimorum ſuffragiis confirmata Praxis evincat, qvod plus ſæpius noceat Medicus religioſa medela, *Noli me tangere*, appellari conſvevit. Ne autem vocatus *Dn. D. Barthelmæi* ſimilis videretur illi Evangelico ſacerdoti & Levitæ *Luc.*

X. Horrendum iſtud animal, felici forſan eventu, *Mercurialibus* armis, *ſalivationis* modo glandulas onere ſuo funeſto alias virtuoſe liberantibus, aggreſſus fuiſſet, ſi vires Maraſmo jam confecti Ægrotantis, inſultui rationali ſuſtinendo pares judicaſſet. Nos qvoqve hoc anno *Cancrum Labii* in Ancilla, omnia ſpernentem media, eodem hoc telo fugatum vidimus. Operandi modum docent D. *Georg. Trumph. Diſp. de ſalivatione Mercuriali habit. Jen.* 1668. *Georg. Conr. Albin. Diſp. habit. Francoſ.* 1689. *Joh. Mauric. Hoffmann. Diſp. habit. Altorff.* 1697. *Michaël Pantelius de Mercurio & ejus in uſu Medico operandi ratione habit. Regiomont.* 1698. *Chriſtian. Valer. de Mercurialibus Medicamentis habit. VVittenb.* 1695. *Ettmüller. opp.* T. I. *f. m.* 387. *ſq.* 467. De uſu ejus eximio in Scorbuto inveterato differunt *Roſin. Lentil. Miſcell. Med. Pract.* P. I. *p. m.* 272. conf. qvæ habet *in Append. M. N. C. Dec. II. A. X. p.* 54. *D. Joh. Burg. M. N. C. Dec. II. A. III. obſ. CLXXIII. p.* 238. *D. Joh. Acoluth. l. c. A. IX. obſ. CLXV. p.* 306. De uſu ejus in plica Polonica *D. Martin. Bernhard. à Berniz M. N. C. Dec. I. A. II. in Schol. ad obſerv. L. II. p.* 95. *Hercul. Saxonia de Plic. Polonic. cap.* 57. In Hydrope *D. Andr. Ernius Dec. II. A. IV. Obſ. XXXVI. p.* 91. *Vit. Riedlin. Lin. Medic. A.* 1695. *Menſ. Maj. N. XII. p.* 136. *Jun. N. XXIII. p.* 180. Ne dicam de uſu ejus in Lue Venerea, qvem ad Aſtra ferunt noſtri Doctores. Primus qvi Luis Venereæ curandi methodum per Salivationem inſtituit, fuit *Johannes Carpius* Italus, Medicus Bononienſis, qvi hac via multa millia ſcutatorum lucratus fuit vid. *Ettmüller. Opp. T. I. f. m.* 38. Parili fortuna beatus perhibetur *Hieron. Capivacius*, qvi hujusmodi cura ultra 18000 Coronatorum lucratus eſt, vid. *Trumph. Diſp. de Salivat. Mercurial. in Proavl. p.* 5. Uſum ejus proſcribit *David. Abercrombus* in Tract. cui Titulus: *Tutum & efficax Luis Venereæ ſæpe abſqve Mercurio, & ſemper abſqve Salivatione Mercuriali curandæ methodus*, *Londin.* 1684. De abuſu ejus erudite ſcribit *Bartholom. de Moor cogit. de Inſtaurat. Medicin L. III. p.* 399. conf. *Trumph. l. c. cap.* 2. *p.* 12. *Ettmüller. Synopſ. Inſtit. Med. f.* 20. *Clauder. Invent. Cinnabarin. c.* 2. *& paſſim. Stiſſer. Act. Laborator. Chemic. ſpecim.* 2. *cap.* 3. &c. At abuſus non tollit genuinum uſum, ad hunc usqve diem non ſine maximo

mo ægrorum ſolatio vigentem. Confirmato jam eodem longa experientia virorum celeberrimorum, vel eo qvoqve capite, qvod ſalivæ forma excernatur materia ulcerum, ſtudio & conſulto hanc methodum etiam ad alios morbos chronicos & contumaciores, corpus adhuc robuſtum affligentes, qvarum cauſa morbifica in acido vitioſo abſcondita judicatur, applicarunt. Hac ratione Epilepticus per 50. annos Lue Venerea infectus, mediante ſalivatione ab utroqve malo curatus fuit; non ſecus ac Arthritis contumax evanuit, poſtqvam æger Lue Venerea inqvinatus ſalivationem Mercurialem paſſus eſt. Vid. *VVedel. de Facult. Medicamentor.* L. 2. *Sect.* 2. „c. 12. adeoqve, inqvit *B. Dn. D. Ettmüller. l. c. f.* 387. in genere ſa„livatio Mercurialis non qvidem in morbis acutis, in qvibus ſim„pliciter nullius uſus eſt, ſed potius in qvibusdam contumaciori„bus affectibus chronicis, aliis modis non curabilibus, à fermen„to acido plus minus corroſivo, in ſubjecto ſed vehiculo plus „minus viſcido, glutinoſo &c. hærente oriundis, ſolidas præſer„tim partes & maſſam ſangvineam nimis affligentibus, fermen„tum acidum ſaturando, & ſub forma liqvaminis ſalivalis evacu„ando, vel viſcida fortius diſſolvendo & evacuando, uſum ſu„um obtinebit. Generoſa vero talia remedia à Barbitonſoribus & Balneatoribus inconſideratè adhibita, ſunt qvaſi arma in manibus furioſi, ut plurima funeſta ſatis docent exempla. vide *Trumph. l. c. cap.* 2. *p.* 12. De Illuſtrisſimi Hypochondriaci morte miſerrima ab inunctione Mercuriali vid. *Joh. Jac. VVenceslaus Dobrzensky de* Nigroponte M. N. C. *Dec.* I. *A.* I. *Obſ.* LXXX. De ulcere faucium lethifero ab ungvento Mercuriali vid. *D. Joſeph. Lanzoni l. c. Dec.* III. *A.* I. *Obſ.* XXXVIII. *p.* 57. *Joh. Dolæus Ep.* III. *ad VValdſchmid. p. m.* 218. *ſq.* Ex vivo argento carpis applicato mors. *Act. Med. Haffn. Vol.* V. *Obſ.* LII. *p. m.* 141. Mercurium foris artibus illitum intra cranium repertum fuiſſe à *Petro Caſtello*, refert *Joh. Jac. VVepfer. in Ep. ad Roſin. Lentil. Miſcell. Med. Pract. P.* I. *p.* 74. Colli diſtorſio ex ungvento Mercuriali *Thom. Bartholin. Cent.* IV. *H.* A. XLVIII. *p. m.* 333. Temeritatis hinc nota inurendi ſunt Chirurgi illi, Balneatores aut Medicaſtri, qvi propria autoritate absqve conſenſu & præſentia Me-

Medici ordinarii talia adhibent media, conf. *Ammann. Medicin. Critic. Caſ. LXXII.* ſi è contra de legitima eorundem applicatione & uſu inde expectando diſcurſum inſtituere vellemus, Voluminis, non Scholioli materia foret. In Cancro præcipuè Mercurialium uſum ſerio commendat *Carolus Muſitanus Trutin. Chirurgico-„Phyſic. L. I. cap. IX. p. 45. ſq.* his enim, inqvit, præſtantiora in hoc „morbo non dantur, & eadem ratione, ut de Lue Venerea diximus, „Luem Veneream potenter eliminat Mercurius, qvia Luis cauſa „eſt exaltatum & corroſivum nutrimenti ſal redditum, qvod in Mer-„curii corpore immutatur, nec corroſivum amplius retinet, in *Can-„cro* qvam maxime proficua ſunt. Conf. *L. II. cap. XXIII. p.* 101. 103. ubi ſalivationem approbat, verum & absqve ea ſuffumigio ex Cinnabari Antimon. ſcrupul. uno. & nativ. gran. iij ulcera cancroſa feliciter ſe ſanaſſe aſſerit. Exempla *Cancri* exciſione curati habent *Gvil. Fabric. Hildanus L. III. Obſ. LXXXVII. p. m.* 496. *Franc. Arcæus de recta vulnerum curandorum ratione L. II. c. III. p. m.* 88. *ſqq. Eberhard Göckel Gallicin. Med. Practic. Cent. II. Obſ. LX. p.* 513. & alii qvamplurimi. At cancros exciſos iterum revertiſſe malamqve indolem de novo aſſumſiſſe, exemplis evincere conatur *Seb. Meyerus Ep. ad Gvil. Fabric. ad l. c. p. m.* 499. conf. *Smizius VValæus* &c. &c. Qvomodo *Petrus Alliot* absqve ferro & igne per *alcali* qvoddam feliciter ſanaverit *Cancrum* vid. D. *Olaus Borrichius Act. Med. Haffn. Vol. I. Obſ. LXXII. p. m.* 140. conf. *Ettmüller. Opp. T.* 2. *f. m.* 1239. 1159. 1276. Methodum palliative curandi *Cancrum* non tangimus, qvoniam eâ tot repletæ ſunt Medicorum paginæ.

## REGIOMONTI

Die 3. Novembris ſub Præſidio *Jo. Chriſtophori* Volß/ J. V. D. & Profeſſoris Ordinarii jam ante ſemeſtre ſpatium publici juris facta diſputatio Pandectarum XXXVI. *ad Tit. ff. de Tutelis, de Teſtam. Tut. de Confirm. Tut. vel Curat. de Legit. Tutorib. de Tut. & Curat.* Reſpondente *Georgio Friderico* Sperber/ Velav. Pruſſo habita eſt. (4. pl. in 4.)

Die 10. Novembris Præſide *D. Paul Pomian Peſarovio*, S. The-

Theol. Profeſſore Publico Extraordinario, Paſtore Cniphoſiano, Aſſeſſore Conſiſtorii Samb. Diſputationem Theologicam *de Converſione* propoſuit *Jacobus Jach*, Lyccâ Pruſſus, Scholæ patriæ & provinc. Con-Rector. (4. pl.)

Die 24. Novembris *Georgius Emmerich*, Med. D. & Profeſſor Publicus, & Reſpondens atqve Auctor *Georgius VVilhelmus Buno*, Luneburgenſis Saxo, Diſſertationem conſcripſerunt *de Frigore Correptis*, atqve in exponendâ Frigoris naturâ præcipuè ſecuti *Sturmium & Perraultium* cum plurimis recentiorum, qvod ſcilicet frigus ſit mera privatio caloris, effectus autem violentiores frigoris, preſſioni aëris eſſe adſcribendos, & frigus per accidens & occaſionaliter tantùm hîc concurrere, aſſeruerunt, hâc qvoq; occaſione doctrinam aëris ejusqve duas qvalitates: *Elaſticitatem* & *Gravitatem*, uti & Ventorum ἐνέργειαν expoſuerunt, interſperſis rationibus phœnomenorum ex frigore prodeuntium, commoda qvoqve ac incommoda frigoris tàm in macrocoſmo, qvàm in microcoſmo ſeſe exſerentia explicarunt. Tandem Curationem frigore correptorum ſubjunxerunt, ſecundùm indicationes à Cauſâ petitas, qvam, cum conſtrictionem pororum ac fibrarum, coagulationem ac ſtagnationem lymphæ ac ſangvinis, inhibitum tandem motum ſpirituum dixerint, iſtam relaxandam, illam reſolvendam, hunc reſtituendum eſſe aſſeruerunt, ità qvidem, ut membra affecta non calidis ſtatim immergantur, ſed frigidis atqve nive leniter ſint fricanda, è longinqvo calori ignis ſaltem exponenda, ſicqve ſenſim ſenſimqve adſtricta laxentur ac influxus ſpirituum invitetur. Si verò partes planè fuerint emortuæ, ferro amputandæ, imo calida tunc juvare, ut citius mortua membra à ſanis ſecedant cum *Bartholino* in tractat. de niv. cap. 31. putarunt. Pernicionum inſuper tum inveteratorum tùm ulceratorum curam, præſervativam deniqve à frigore methodum tradiderunt.

Die 25. Novembris Decadem Theſium Controverſarum, ex Loco *de Officio Chriſti* ſelectarum, Præſide *Bernhardo von Sanden*, Jun. S. Theol. Doctore & Profeſſore Ordinario, publicæ ventila-

tilationi exhibuit *Chriſtophorus Gregorovius*, Johannb. Pruſſus, Scholæ Gerdav. Rector. (3. pl.)

Prodiit nuper *Novum Teſtamentum Lithvanicum*, genio loqvendi Lithvanorum, in regno Pruſſiæ ac magno Ducatu Lithvaniæ, accommodatum à purè Lithvanis. Cum præfatione *Latinâ Bernhardi von Sanden*, D. Sen. de Verſionibus Scripturæ S. in lingvas cuiqve genti vernaculas; & *Lithvanicâ Friderici Sigismundi Schuſteri*, Miniſterii Cand. nunc Paſtoris Eccleſ. *Budvvetenſis*, d. 18. Novembris ad miniſterium ordinati. (2. Alphab. 15. plag. in 4.)

### THORVNII

